F. PII-THOMAE MILANTE

EX-VICARII GENERALIS
CONGREGATIONIS S. MARIAE SANITATIS
ORDINIS PRAEDICATORUM
S. Th. Magistri, & Regii Professoris in Neapolitana
Studiorum Universitate

EXERCITATIONES DOGMATICO-MORALES IN PROPOSITIONES

Proscriptas à SS. PP. Alexandro VIII.



NEAPOLI MDCCXL.
EX TYPOGRAPHIA JANUARII, ET VINCENTII MUTIO.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISS., ET REVERENDISS. DOMINO

D. COELESTINO GALIANO

ARCHIEPISCOPO OLIM TARENTINO, NUNC THESSALONICENSI, REGIO CONSILIARIO, CAPELLANO MAJORI.

F. PIUS-THOMAS MILANTE
Ordinis Praedicatorum F. P. D.

DUO prorsùs apud eos reor exploranda, quibus libri palàm, ut fit, inscribantur: fama, nempe, & sapientia; alterum sanè Scriptori, cui nescio quam auram nomen addat Patroni; alterum scriptis proderit: nam ea insciis oblata, perinde sunt, ac surdis fabulae, coecisque tabulae. Habes jam Vir Illustrissime audaciae meae causam, qui lucubrationes hasce arida modò pumice expolitas Tibi

Digitized by Google

bi sistam: optavi prae ceteris Virum cum omni scientiarum suppellectili, suprà quàm dici potest, instructum; tum Theologica in re rude jam pridem universo omnium consensu donatum: ea praeterea nominis celebritate, ut nullus tota Europa angulus pateat tui inscius, hoc autem in Regno etiam suprà invidiam constitutus. Audivit enim Te Roma Theologiae adyta docentem in Sapientiae Templo: admiratus est Ordo tuus, Generalis Abbatis insulas eximia cum prudentia sustinentem, magno Coelestinae Familiae exemplo, meliorem ejus frugem tuis consiliis debentis: noverunt, qui Te Regiae Capellae praefecerunt: grates agit omnis studiosae juventutis flos, cujus commodo consuluisti. Te enim monente, vetusta illa Neapolitanae Academiae moles, Musis domicilium ab Regibus olim Hispanis destinatum, stationario deinde milite inquinatum, rimis undique fatiscens, extremae proximum ruinae, vix ipso superstite cadavere vitiis labefacto, Te, inquam, monente Regis nostri CAROLI munificentia pristino nitori fuit restitutum, Musis eò quasi postliminio revocatis. Habet totum Regnum, quod Tibi debeat haec de se praeludia promoventi: mittam nova scientiarum, Matheseos praesertim, Orientaliumque linguarum invecta lumina: mittam, quod Te Tarentinum Archiepiscopum Romani Pontifices jam dudum receperint: at sic me Deus sospitet, ut olim Sacrae conchylidis fuco vertex praefulgeat. Liquent sanè haec publicè; privata porrò, quibus ipse sigillatim obstringor, plurima sunt nomina; primùm me nihil tale cogitantem in ipsorum Antecessorum Album retuliisti, qui Divi Thomae doctrinam primarius Theologorum Professor propugnarem jure suffragii dato: eorum, qui Sacris initiantur Regiae Capellae Ministri, examinatorem statuisti; librorumque censorem: quae adeò aequa mei concepta opinio, ut nullo, quod

apud

apud me reperio, fundamento innititur, ità ſummae benignitatis tuae eſt argumentum: qua ſi, ut eleganter illud dictum, ità verùm eſſet, eò uſque grata eſſe beneficia, dum videntur exſolvi poſſe, honoraveris ne me, an oneraveris, divinare neſcirem, cùm reddendae gratiae impar etiam, atque etiam evadam: niſi ipſa Comitas me tua erigeret, quae non ejus, quod debetur, at quod poteſt, habet rationem. Hinc poſtremam hanc partem laborum meorum Tibi Sacram eſſe juſſi: munuſculum ſanè levidenſe, & craſſo filo, quod, fateor enim, non ità honoris tui cauſſa, qui aliorum tricis, apiniſque non indiges, quàm ambitionis meae cauſſa feci, qua gloriam patrocinii tui oſtentare geſtio. Illud ipſe modò recipias, non ego miniatulas momorum ceras pertimeam, ſed jugulantibus βελοῖς, occurram illo: Ipſe vidit. Ipſe h. e. Sapientiae alumnus, Coeleſtinae Religionis decus, Italorum Praeſulum exemplar, Regiae Majeſtati à Sacris, & gravioribus Regni curis Romae ſuffectus. Ipſe h. e. GALIANUS. Tota ſed res in eo ſita eſt, an is ſit liber meus, qui Te demereat: agit ille de recentiſſimis quibuſdam propoſitionibus non ità pridem ab Alexandro VIII. proſcriptione profligatis, quarum rumores, & turbines non dum poſuerunt: at cui non dictus Hilas? argumento ſanè à celebrioribus Theologis ſumma animorum contentione ventilato, ſymbolam addenti nonne occinent:

Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis
Tempus eget? . . .

Conſilii tamen mei rationem aperiam, aſſumtaeque Provinciae auctoritatem minimè defugiam: Tot, ſcilicet, tantique viri hac de re ſcripſerunt, at non ità omnia complexi ſunt, ut pleraque ex iis non exciderint, quae tanquam ſpicas poſt

eos

Digitized by Google

eos legeremus. Praeterea satius fuit hoc, qualicumque labore, Matri nostrae Ecclesiae nonnullorum intemperiis perturbatae suppetias iviſſe, quàm prorsùs nullo. Est hoc puerorum ingenium, ut cùm Matrem impeti videant, quamvis imparem opem ferant, occurrant tamen, & clamoribus, ejulatu juvent utcumque. Vereor tandem ne Comitati Tuae sponte omnibus patenti injuriam faciam, qui talibus morer: nosti enim Illustrissime, & Reverendissime Praesul, aliorum opellas non prò tua, aut Tui similium facultate metiri, sed prò cujuscumque viribus; Ejus quod optimum est, metas noscunt quamplurimi, sed

. . . pauci, quos aequus amavit
Juppiter . . . .

Vos sanè ex hoc paucorum censu suspicimus, & veneramur; nos verò, vel longè sequentes, apud æquos viros purgabit, vel illud: Voluisse. Vale.

Pro-

Digitized by Google

Propositiones duae laxiores damnatae ab ALEXANDRO VIII.

DECRETUM

Feria 5. die 24. Augusti 1690. In Congregatione Generali Sanctae Romanae, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo D. N. Alexandro *Divina Providentia Papa VIII. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversùs haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.*

SANCTISSIMUS D. N. Alexander Papa VIII. non sine magno animi sui moerore audivit duas Theses, seu Propositiones, unam denuò, & in majorem Fidelium perniciem suscitari, alteram de novo erumpere; Et cum sui Pastoralis Officii munus sit, Oves sibi creditas à noxiis pascuis avertere, & ad salutaria semper dirigere, dictarum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus contra Haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus seduló commisit, qui pluries re maturè discussa infrascriptis Thesibus, seu propositionibus super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suae singillatim exposuerunt.

1. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: Formalis verò in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in Finem ultimum interpretativè. Hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitae suae moralis.

2. Peccatum philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturae rationali, & rectae rationi: Theologicum verò, & mortale est transgres-

Digitized by Google

sio libera Divinae legis. Philosophicum quantumvis grave, in illo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissoluens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum.

Quibus peractis, Sanctissimus, omnibus plenè, & maturè consideratis, primam Thesim, seu Propositionem declaravit haereticam, & uti talem damnandam, & prohibendam esse, sicuti damnat, & prohibet sub Censuris, & poenis contra Haereticos, & eorum fautores in jure expressis; Secundam Thesim, seu Propositionem declaravit scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, & erroneam, & uti talem damnandam, & prohibendam esse, sicuti damnat, & prohibet, itàut quicumque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de ea etiam disputaverit publicè, seu privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in Excommunicationem, à qua non possit (praeterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam Dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi. Insuper districtè in virtute Sanctae obedientiae, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christifidelibus cujuscumque conditionis, Dignitatis, ac Status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne praedictam Thesim, seu propositionem ad praxim deducant.

ALEXANDER SPERONUS S. Romanae, & Universalis Inquisitionis Not.

Loco ✠ Sigilli.

Die 24. Augusti 1690. supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, Palatii S. Officii; in acie Campi Florae, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Franciscum Perinum SS. D. N. Papae, & Sanctissimae Inquisitionis Cursorem.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIO UNICA.

I. PROPOSITIO.

Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis verò in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè. Hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitae suae moralis.



IVIT adhuc, estò agonizans, strepit iterùm, etsi duplici Pontificia censura, veluti repetito jaculo, percussum laxitatis monstrum; & quod ex vulnere confossum jam censebatur mortuum, veluti redivivum consurgit adversùs fidei, & veritatis dogmata, ut cuncta subvertat. Binas dumtaxat theses eversivas totius Ethicae Christianae procudit novellum probabilitatis commentum, sed eas quidem aptas ad Divina omnia praecepta pessumdanda, ut constat ex jam adposita, & sequente, quam actutum exscribam. Verùm quia priorem illam pluries exagitavi, ideò ab omni peculiari Exercitatione abstineo, confestim transiens ad exsufflationem posterioris, quam simul cum priore confixit Alexander VIII. antequam alias ex opposito momento ab Erronibus quibusdam adinventas nigro theta signaret.

II. PROPOSITIO.

Peccatum philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturae rationali, & rectae rationi. Theologicum verò, & mortale est transgressio libera divinae legis. Philosophicum quantumvis grave, in illo, qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum; sed non est offensa Dei, neque aeterna poena dignum.

QUod vel obiter nunc digito monstravi, nunc omnibus manifestè adparet, conspicuum est cunctis: quàm, nimirùm, sit immane, horridumque, vel unicum hoc laxitatis

Digitized by Google

portentum ; quod nedum Ecclesiastica naturalia & divina praecepta, sed Deum ipsum directè impetere pertentat, & adversùs Omnipotentem immediatè brachium suum extendit. Non secùs ac olim spurius ille Philisthaeus Goliath, vel solus exprobrabat agminibus Israël, totum Dei populum se perditurum comminabatur, & Deo exercituum injuriam irrogans, illius Majestatem prorervus blasphemus & maledicus despiciebat. Eximere à culpa lethali vel ipsos scelestissimos contendit, ut hi liberiùs sensui laxent habenas, non gehennam timentes, qua fortasse retraherentur à culpa, dum *oderunt peccare mali formidine poenae* : Quandoquidem ex tam infami confixo dogmate à theologica culpa eximitur, qui actu non cogitans de Deo ejus praecepta conculcat. Quapropter dubio procul nemo felicius faciliusque Veneri, & sensui indulget, quàm perditissimus quisque homo, qui assuetus peccata peccatis addere, certè nec de Deo actu cogitat, nec Deum pertimescit, dum peccat obduratus in malo. Ad atheismum usque excurrit, & sathanae solium parat, dum ignorantiam D O. M. innoxiam statuit; adstruitque, quod, vel insensatae ipsae creaturae, inficiantur: denegat quod Coelum, terra, mare, & omnia, quae in eis sunt praedicant evangelizant (a). Quid ergò foedius, quid scelestius eructare poterat Divionensis ille Professor, qui laxitatem hanc pessimam vario ornatam calamistro, stybio ac cerussa perpolitam ad animarum perniciem promovit ? Nigro carbone obliterandum est utique ne dum ejus commentum, sed nomen ipsius ; & pudet me, vel munus *Professoris* exscribere, qui authorem nescire optassem ad detestationem erroris, sicut olim de proditore Juda in abominationem criminis Chrysostomus inquit (b). Et quamvis P.Dominicus Viva (c) omnem moverit lapidem, ut ab hac nefanda laxitate Divionensem laxonem purgaret, ad ejus manuscripta adpellans, res tamen nota est lippis, & tonsoribus; quapropter ad recondita monumenta confugere vanum est effugium, & inutilis labor. Qui rem totam ab ovo ad malum usque productam perfectamque scire exoptat prae ceteris legat eruditissimum N.Norbertum Delbecque Doctorem, & Professorem Lovanienscm (d), qui etiam *non segniter* adversùs novellum probabilitatis commentum, & validè nimis contrà hoc monstrum pugnavit, utrisque feliciter devictis.

Nec dumtaxat Divionensis ille Professor, aut primùm, aut primus hoc commentum docuit, Alii quoque ante eum, sed postremis hisce temporibus confixum Philosophicum peccatum Veteribus Theologis omnino ignotum adinvenerunt, docueruntque, quorum pariter laxitatem, non secùs, ac Divionensis Professoris errorem Alexander VIII. diris devovit. Quapropter incassum P.Viva eos à laudata censura eripere conatur, dum subtili quadam argu-

(a) *Psam. XVIII.* Coeli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat Firmamentum, &c.

(b) S. *Joh. Chrysostom.* Homil. de proditione Judae : Judas, *inquit*, Icariotes. Quid mihi ejus patriam dicis ? Utinam ipsum quoque nescire licuisset.

(c) *P.Viva* in Trutina damn. Thes. *hic* §. *III.*

(d) *Norbertus Delbecque* de advertentia requisita ad peccandum.

Digitized by Google

argutatione ; adeòque exili nimiùm momento illorum sphalma haud obnoxium Apostolico fulmini declarare pertentat. Nimirùm, quia laudatus R. P. Alexander VIII. in confixione duarum adpositarum thesium diversimodè se gessit ; priorem quidem profligans, ait eam *denuò, & in majorem fidelium perniciem suscitari* : posteriorem verò, seu praesentem, nigro theta signans, inquit eam *de novo erumpere*. Ex qua varietate censurae infert P. Viva posteriorem hanc ut dumtaxat à Divionensi Professore traditam fuisse confixam. Sed pace tanti viri, iterùm iterùmque dico elumbe esse ejus argumentum, infirmamque illationem. Idcircò quidem R. P. in praefata censura dixit priorem thesim *denuò suscitari*, quia toties Apostolico fulmine confossa, nimirùm ab Alexandro VII. & Innocentio XI. iterùm à laxonibus, ut solida, vel probabilis, jactabatur. At ex adverso ea de causa posteriorem, seu praesentem thesim dixit *de novo erumpere*, quia non dum à Romana Sede (cujus est Theologica censura, & supremo judicio notare theses) fuerat anathematizata. Quia autem eadem Divionensis Professoris adsertio fuerat ab illis Doctoribus, quos laudat P. Viva, tradita, non minùs hujusce, quàm illorum commentum praesenti decreto fuit proscriptum. Quòd si vera foret illatio P. Viva, certè probabilis, saltem ex ejus sententia, foret adsertio Veterum illorum Theologorum, quos refert. Sed quis sanae mentis, & catholicae communionis Theologus hoc audet adserere ? Eadem quippe thesis, ut ab illis Doctoribus tradita, antequam cathedram conscenderet Divionensis Professor (a), fuit à peculiaribus Ecclesiis, & Academiis proscripta : nimirùm ab Ecclesia Senonense Anno MDCLVII. ab Ecclesia Parisina eodem Anno. A' Sorbonica Universitate Anno MDCXLI. & ab Academia Lovaniense Anno MDCLVII. Igitur confixus hic error à quocumque, & quandocumque traditus, fuit ab Alexandro VIII. praesenti decreto stigmatizatus : praesertim cùm plurimi, quos P. Viva hìc dicit Scriptores primae notae, non hypotheticum, sed absolutum, & realem Philosophismum docuerint (b), quos tamen hìc silentio praetereo ex charitatis, & moderationis momento. Sed haec obiter ad veritatis manifestationem. Modò ad notitiam terminorum opus est progredi, ut vim proscriptionis rimemur, & secernamus pretiosum à vili.

Et ut nomen peccati *Philosophici* in sui propria quidditate seorsim ab omni errore appendamus. Certum est non fuisse à Theologis inferioris aetatis, quos nunc ventilavimus, primò adinventum, & velut è propria penu depromtum, estò ab eis perfumè usurpatum fuerit ad laxitatem fovendam, ut in innumeris id genus materiebus est observare. Dari quidem peccatum philosophicum, seu peccatum, ut à Philosophis consideratum, variamque à peccato Theologico quidditatem habere, nemo qui sapiens est inficias ivit. Siquidem pec-

(a) *Divionensis Professor* (*Franciscus Munier*) *Anno* 1686. *inter ceteras proscriptam hanc thesim de Peccato philosophico publicè defendendam exposuit, ut idem P. Viva ibidem scribit.*

(b) *In lib cui Titulus* Philosophistae, seu excerpta pauca ex multis, *in appendice fol.* 3.

Digitized by Google

peccatum philosophicum, seu ut à Philosophis consideratum, est *Actus humanus disconveniens naturae rationali*. Theologicum verò, seu, ut à Thologo consideratum, & inspectum, est *Actus humanus contrarius legi Dei praecipientis bona, & interdicentis mala*. Quapropter Sanctus Thomas utrumque respectum in peccato considerans bifariàm distinxit, & Theologicum idcircò, sicut & Philosophicum, expressit. *A' Theologis*, inquit (a) *consideratur peccatum praecipuè secundùm quod est offensa contrà Deum; à Philosopho autem Morali secundùm quod contrariatur rationi*. Verùm quòd peccatum philosophicum omninò secernatur à malitia Theologica, seu quòd actus ille disconveniens rectae rationi sit omninò expers injuriae, & offensae Dei, vel è converso. Hic punctus, hic labor est. Haec laxonum fraus, hic cavillantium dolus. Separant inseparabile, & indivisibile dividunt, dum ex vario respectu considerantis idem invariabile crimen variare pertentant, & rem, quae unica est, secare contendunt. Sejungi autem non posse, nec separari unam ab altera deformitate, qualiscumque sit operantis motus, & actus, Ortodoxi docent adversùs errorem confixum; idque ostendere nostri studii erit postquam alia adverterimus praenotanda, antequam ad exsibilationem laxitatis deveniamus.

Prò certo ergò habendum est, quòd hìc non suppetat locus discurrendi de ignorantia facti, aut juris positivi, dum laudatum Alexandri VIII. Decretum expendimus, & ex decreto praefato commentum proscriptum impugnamus. Posse quidem dari ignorantiam invincibilem, adeòque inculpabilem in materia facti, estò factum cadat super jus naturale, ex infrà dicendis innotescet. Sicut etiam posse dari ignorantiam invincibilem in jure positivo, nemo est qui ambigat: hinc de ea re hìc agendum nullimodè occurrit. Quaestio igitur est in praesenti de sola ignorantia juris naturae, praesertim de ignorantia Dei: nimirùm an haec possibilis sit in facto? & an, cùm possibilis, sit quoque invincibilis dicenda? Et iterùm an peccans cum hac ignorantia de Deo, vel Deum non advertens, ejusque injuriam non respiciens in actu pravo, committat peccatum Philosophicum ità sejunctum à Theologico, ut ex illius, non verò ex istius deformitate reus sit judicandus? Quo ex momento, dum ejus peccatum ex praefato modo operandi est dumtaxat philosophicum, qui illud committit non est dignus aeterna poena, quia Deum suo actu peccaminoso haud offendit. In hoc quidem, ut nuper indigitavi, cardo difficultatis est situs.

Et quamvis plura quoque alia forent hìc praenotanda, quia tamen in ceteris sequentibus Exercitationibus ea discutienda occurrunt, ne vano labore consumar, ea omitto, & in solutione sophismatum ex occasione expendam; sicut & in probationibus veritatis non praeteribo. Interim ordine suo, & recta methodo viritim omnes partes confixi erroris enervabo singula quoque verba proscriptae thesis sugillando.

Qua-

(a) *S. Thomas* 1. 2. *Qu. LXXI. Art. 6. ad 5.*

Digitized by Google

Quapropter primùm manifestare oportet non posse dari ignorantiam de Deo; &, si forte fortuna haec admittatur, omninò eam esse vincibilem, & culpabilem probandum occurrit.

Quomodo enim, bone Deus! dari potest ignorantia de Deo, in quo vivimus movemur, & sumus (a)? Certè fas est adserere asello tardiorem, obtusioremque plumbo eum, qui Dei notitiam non habet (b): quum impossibile sit, vel somniare hominem mentis compotem, & nescientem Deum, cujus existentiam ne dum Divina eloquia manifestant,

ip-

(a) *S. Paulus in Areopago praedicans ex Ethnicorum dictis Dei quidditatem explanans, inquit Actorum XVII.* In ipso enim vivimus, movemur, & sumus: sicut quidam vestrorum Poëtarum dixerunt. Ipsius enim & genus sumus, &c.

(b) *Neminem fuisse unquam Atheum re vera talem viri summi, praesertim S. Augustinus lib.* de vera Religione *cap.* 38. *olim adnotarunt, & nunc universim, qui Eruditi audiunt, una voce fatentur, praesertim quia cunctis illuxerit hoc lumen Dei: hinc de ejusdem existentia idea omnibus est ingenita, ut modò ostendam: facitque ad rem quod Tullius ait, dum omnium nationum confessionem hujusce veritatis producens, nullum excipit, qui Deum non noveris. Inquit enim lib. I.* de natura Deorum *n.* 3. *tom.* 4 *p.*179. Firmissimum hoc afferri videtur, ut Deos esse credamus, quòd nulla gens tam fera, nemo hominum sit tam immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de Diis prava sentiunt, id enim vitioso more effici solet: omnes tamen esse vim, & naturam Divinam arbitrantur. Omni autem in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est. *Numero autem 43. to 4. pag.*202. *de Epicuro loquens ait*: Solus primùm vidit esse Deos, quòd in omnium animis eorum notionem impressit ipsa natura. Quae est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam Deorum? quam Epicurus appellat προλήψιν, idest anteceptam rationem, & animae praeviam rei quandam informationem, sine qua nec intelligi quidquam, nec quaeri, nec disputari possit. *Et lib I.* de Legibus *num.*24. *ait*: Nulla gens neque tam immansuera, neque tàm fera, quae non, etiam si ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat. *Hinc patet quàm impiè simul, & ignoranter egganierint aliqui Novatores, qui omnem de Deo idcam, seu omnem Dei notionem ab hominis mente ablegare studuerunt. Hanc blasphemiam evomuit Socinus* Praelect. Theolog. *cap.*2. *tom* 1.*pag.*537. *Irenopoli anno* 1656. *quem secutus est Christophorus Ostordus* Institutionis Christianae Religionis *cap.*3. *Cracoviae an.*1612. *& alii; non nullis tamen dissentientibus, Crellio, nempe* de Deo *c.*1. *Smarcio* contrà Francion. *disp.*8. *de quo videri potest Hoornebeeck* Socinianismi confutati *lib.I. c.*7. *s.*1. *pag.*133. *Ultrajecti an.* 1650. *Ad Socinianos, ut solent, sese adjunxerunt in Batavia Remonstrantes, seu Arminiani Conradus Vvorstius in* notis ad disputationes de Deo *pag.*148. *Simon Episcopius* Institutionum *lib. I. c.*3. *t.*1. *pag.*6. *Amstelodami: eadem quoque pice infectus dignoscitur Michaël Molinos, ut patet ex ejus Thesibus VI. XIX. XX. XXI. & XXII. confixis à V. M. Innocentio XI. die* 28. *Augusti An.*1687. *Qui autem ex veteribus Philosophis, ut Athei accusantur, verè athei non fuerunt; sed sic dicti qui Deos gentium inficiabantur, quomodo etiam Christiani primis Ecclesiae Seculis* Athei *dicti fuerunt, quia verum Deum colentes, idola ethnicorum, & numina detestabantur; vel alio ex momento. De qua re Videsis praecipuè Carolum Vvitasse Doctorem Sorbonicum, & Regium Professorem* Tract. Theologic. *T.I.* de Deo *ubi* de innata Dei notione. *Circumfertur aliquis, qui re vera fuerit atheus, sed meo, eruditorumque judicio is certe fuit, de quo Scriptura inquit*: Dixit insipiens in corde suo non est Deus. *In corde, idest pravo animo Deum negavit, quem nolebat habere vindicem delictorum, ut liberiùs sensui laxares habenas; & qui primum quidquam in orbe velut principium, & semen rerum omnium admisit (de quo nemo certè dubitavit) hoc quippe velut numen aliquod adseruit, quia ens à se, & primò per se existens. Idipsum quoque dicas de pluribus atheis, quos Mahumetana Secta in Oriente peperit, de quibus (si tamen eis fidem adhibeas) Herbelotius* in Bibliotheca Orientali, *Bayllius* in miscellaneis cogitationibus, in sua ad provincialem apologia, *& Jaquelotius* contrà Bayllium *part.*1. *c.*3. *pag* 32. *& seq. Quòd verò nonnulli ex eis ad hanc venerint coecitatem, & obdurationem*, ut videntes non videant, & audientes non intelligant, *hoc est ex justo Dei judicio, & in poenam peccati*, quia, *ut ait Apostolus ad Rom.I.* cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum.... Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis sui..... tradidit illos Deus in reprobum sensum, &c. *Ex qua prava conversatione, ut observavit M. P. Augustinus* Tract. CIV. in Johannem, *orta est obvocatio illa tàm grandis.* Haec est enim, *inquit*, vis verae Divinitatis, ut creaturae rationali jam ratione utenti, non omninò, ac penitùs possit abscondi. Exceptis enim paucis, quibus natura nimiùm depravata est, universim genus humanum Deum hujus mundi fatetur Authorem.

Digitized by Google

teſtantur Patres, & Philoſophi omnes nemine penitus excepto (ſi fortaſſe è poſterioribus unum, vel alterum in meridie coecutientem excipias, qui ex perverſitate animi, non ex hebetudine mentis, ex malitia, non ex ignorantia Dei exiſtentiam fuit inficiatus). Sed vel ipſamet elementa, etſi muta, & inſenſatae creaturae omnes, licèt elingues, clara voce Divinum hoc Numen praedicant, & Factorem omnium evangelizant (a). Quid ſi inſuper addas clarum Dei ipſius lumen ſignatum ſuper nos, quod Divinum Opificem manifeſtat (b), & ideam illam claram, & diſtinctam de ejus exiſtentia in nobis *innatam*, *congenitam*, & *implantatam* (c)?

Ex hiſce ergò momentis, & praeſertim quia naturali ratione Dei exiſtentia multifariàm probatur, (d) omnes quotquot veri Theologi audiunt, invincibilem Dei ignorantiam omninò inficiantur, inexcuſabilem eum adſerunt, qui eadem laborat. Nec quidem ex probabili quadam ratione, ſed ex invictis monumentis, atque momentis. Id enim luculenter, apertè, & clariſſimè Divina eloquia, & Patres omnes adfirmant. Et quamvis innumera praeſtò forent monumenta, quae in praeſentiarum poſſem laudare, aliqua dumtaxat in medium produco, reliqua conſulenda apud Tractatores ex profeſſo indigitans (e). Pſalm. LXXVIII. dicitur. *Effunde*

(a) *Ex cunctis creaturis Deum cognoſci poſſe autborem earum manifeſtum eſt, & Divinum eloquium apertè teſtatur. Pſalm. XVIII.* Coeli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat Firmamentum. *Job C. XII.* Interroga jumenta, & docebunt te. *Sapientiae XIII.* A magnitudine enim ſpeciei, & creaturae cognoſcibilite, poterit Creator horum videri. *Ad Romanos I.* Inviſibilia enim ipſius (*Dei*) à creatura mundi per ea, quae facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas, itàut ſint inexcuſabiles. *Et id genus innumera in Divino eloquio extant monumenta.*

(b) *Pſalm. IV.* Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. *Job C. XXXVI.* Omnes homines vident Deum. *Johannis I.* Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Cetera inſuper extant ſimilia teſtimonia in Verbo Dei ſcripto.*

(c) *Quidam exiſtimant Renatum Carteſium fuiſſe autorem de innata nobis idea de exiſtentia Dei, ſed certè hallucinantur. Haec enim doctrina eſt avita, & tradita ne dum à probatis Philoſophis, etſi etbinicis, praeſertim Platone, Plotino, Jamblico, & aliis, quos laudat S.P. Auguſtinus, & non ſemel; eorumque integra monumenta tranſcribit Cl. Ludovicus Thomaſſinus T. II.* Dogmatum Theologicorum, *& longè ante eum Cl Dionyſius Petavius* lib. I. Dogmat. Theolog. *c. 2. & 3. quae hic reſerre ſupervacaneum exiſtimo. Idem quoque adſeruerunt omnes utriuſque Eccleſiae, Orientalis, & Occidentalis Patres. Hanc ideam de Dei exiſtentia* inſitam eſſe naturae hominum *dixit S. Juſtinus Martyr* Apologia II. inſitam hominibus *docuerunt Origenes* lib. II. & IV. contrà Celſum, & *Arnobius* lib. II. adversùs Gentes, *eamque* innatam & inſpiratam nobis *adſeruit Euſebius Caeſarienſis* Praeparat. Evangelic. *lib. II.* anticipatam notionem de Deo *in nobis eſſe ſcripſit Clemens Alexandrinus lib V.* Stromatum. *Hanc eandem veritatem teſtati ſunt omnes priores Eccleſiae PP. Tertullianus* in Apologetico *c.* 17. de Teſtimonio animae *c.* 5. & contrà Marcionem *c.* 10. *uterque Gregorius Nanzianzenus Orat. XXIV. & Nyſſenus* Orat. V. de Peat. *S. Cyrillus Alexandrinus* lib. I. in Evangel. Johannis *T. IV. p. 75. S. Auguſtinus* in Pſalm. LXXIV. & *alibi. Idem quoque poſteriores Eccleſiae PP. clariſſimè docuerunt, praeſertim in Oriente S. Joban. Damaſcenus* lib. I. de Fide Ortodoxa *C.* 1. *& in Occidente S. Anſelmus in* Proſologio *Cap.* 2. *aliique poſt pauca laudandi.*

(d) *Exiſtentia Dei variis demonſtrationibus poteſt probari optima eſt illa S. Thomae I. P. Qu. II. art. 3. aliae adducuntur à Polemicis, & Scholaſticis, innumerae offenduntur apud PP. ſuprà, & hic laudatos, quos conſulas, quum eas hic in medium producere non oporteat.*

(e) *Videſis praecipuè Dionyſium Petavium ubi ſup. Thomaſſin* de Deo ejuſque proprietatibus, *Carolum Vitaſſe ubi ſuprà Michaëlem Elizalde de* forma verae Religionis. *Antonium Boucat* Theolog. Patrum *T. I. Diſſert. I. & alios. Ex NN. Joban. Baptiſtam Gonet T. I.* Clypei Theologici, *Vincentium Conteſon T. I.* Theolog. Mentis & cordis, *Card. Gotti T. II.* de Deo & attributis, *alioſque* in 1 P. S. Thomae.

Digitized by Google

funde iram tuam in gentes, quae te non noverunt. Et Apostolus ad Roman. I. *Quod notum est Dei manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, itàut sint inexcusabiles*, & II. ad Thessalonicenses I. *In revelatione Domini Jesu .... in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum.* Ex Patribus autem Minutius Felix (a) ait: *Parentem omnium non minoris sceleris est ignorare, quàm laedere.* Tertullianus idem adstruit (b): *Et haec est*, inquit, *summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt.* Idem eisdem ferè invariatis verbis ait S. Cyprianus (c), Origenes pariter consentit. *Non est*, inquiens (d), *mirandum .... Deum, eorum, quae per Prophetas & Servatorem docuit, semina indidisse omnium mortalium animis, ut in Divino judicio omnis homo sit inexcusabilis, habens legem mentis scriptam in corde suo.* S.P. Augustinus. *Deus*, inquit (e), *ubique secretus, ubique publicus, quem nulli licet ut est cognoscere, & quem nemo permittitur ignorare.* Et tandem, ut ab aliis consultò abstineam, Angelicus Doctor impossibilem adstruit hanc ignorantiam invincibilem de existentia Dei: quia (f) *Deus quantùm in se est nulli est absens.* Quòd verò aliquando aliquis Deum ignoret, ex culpa hominis provenire manifestat; *quia homo à Deo se absentat, sicut à praesente lumine, qui claudit oculos*, quod pariter ante eum dixerat Aquilinus Doctor (g). Sed quomodo homo hoc lumen repellat? idem Angelicus optimè ostendit bifariàm evenire, & in utroque casu non sine gravi culpa ejusdem. Directè, nimirùm, quando (h) *habet voluntatem spontaneè se avertentem à consideratione talis principii secundùm illud Psal. XXXV. Noluit intelligere, ut benè ageret.* Secundò indirectè *per occupationem mentis circà alia, quae magis diligit, quibus ab inspectione hujus principii mens avertitur, secundùm illud Psalmi LVII. supercecidit ignis (scilicet concupiscentiae) & non viderunt solem. Et utroque modo coecitas mentis est peccatum.*

Sed contrà insurgunt Patroni damnatae thesis, & veritatem hanc ità dilucidam obfuscare contendunt. Opponunt igitur. Quamplures Thomistae, iique celebres, docent dari posse ignorantiam invincibilem de Deo. Similiter ex S. Thoma haec propositio *Deus est* non est per se nota quoad nos. Atqui posito, quòd notitia Dei non sit nobis indita, & quòd possit dari ignorantia invincibilis de Deo, certo certius qui

(a) *Minutius Felix* in Octavio.

(b) *Tertullianus* in Apologetico *cap.17. idem habet lib.* de testimonio animae, *& alibi.*

(c) *S. Cyprianus lib.* de vanitate idolorum. *Nec mirum quòd S. Cyprianus usurpaverit verba Tertulliani: semper ad manus ejus opera habebat, eumque ut Magistrum venerabatur, quem propterea dum petebat, dicere consueviti* da Magistrum. *Hinc Hieronymus* ad Pammachium & Oceanum *scribens ait*: B. Cyprianus Tertulliano Magistro utitur, ut ejus scripta probant.

(d) *Origenes lib.2. & 4.* contrà Celsum.

(e) *S. P. Augustinus* Enarrat. in Psal. LXXIV. *Vide etiam Philonem Judaeum* de Gigantibus *pag.286. Chrysostomum* Homil. IX. ad Populum Antiochenum. *Authorem* Carminis de Providentia *apud Prosperum. Boëtium Lib.I.* de Consolatione *metro 2. Cassiodorum lib.* de Amicitia, *Primasium* in Epistolas Pauli, &c.

(f) *S. Thomas in* I. Sententiarum *Dist. XL. Qu. IV. Art.2.*

(g) *S.P. August. Tract. laudat.* in Johannem.

(h) *S. Thomas 2. 2. Qu. XV. Art. I. in corp.*

Digitized by Google

peccat, Deum, quèm ignorat, non laedit, sed tantùm contrà naturale dictamen agit. Ergò solummodo peccatum Philosophicum committit, quia contrà rationis dictamen, non contrà legem Dei, quem ignorat, operatur. Idque eo potiùs, quia cùm S.Thomae doctrina subsistat, & Thomistarum opinio non videatur diris devota, ex eorum principiis Philosophicum peccatum confirmatur. Quapropter P. Johannes Serges de hoc peccato, ejusque authoribus loquens ait (a). *Thomistas illustres hac in parte plus aliquid affirmasse, quàm Jesuitarum ullus hactenùs ausus sit.*

Haec cùm ità objiciantur Thomistis, eorumque S.Magistro, quid dicam, vel quid faciam dum provocor? Cum S. Hieronymo repetam. (b) *Si tacuero reus: si respondero inimicus. Dura utraque conditio. Sed è duobus eligam, quod levius est. Simultas redintegrari potest, blasphemia veniam non meretur.* Necessitate igitur coactus cùm ad manifestationem veritatis, tum ad vindiciam Thomistarum, constanter adsero, quod Eruditis omnibus omninò est exploratum, nimirùm per impostoram, & calumniam id nobis adjudicari, idque perfricta fronte adscribi veritatis Magistro, quod nunquam vel per somnium, aut ab Angelico, aut ab ullo ejus discipulo fuit effutitum. Possem utique recudere fabam, & contrà P.Serges aliquorum suae Scholae elenchum statuere, *ut in se videat condemnata, quae falso aliis crimina-tur* (c), sicut laudatus Hieronymus olim ajebat. Verùm quia charitas Christi urget me, libenter abstineo, aliorumque decori consulo, praesertim cùm sufficiat ad injuriam repellendam adnotare, quòd S.Sedes non semel id genus famosos libellos nigro theta signaverit, & in vindiciam Thomisticae Scholae nobiles apologiae omnibus obviae prostent, sicut ex adverso itidem syllabus eorum, qui reapse damnatum commentum adinvenerunt, propugnarunt, venditarunt (d). Hinc collatione facta poterit quis acu tangere, quàm calumniosè scripserit P. Serges. (*Necessitati det veniam: non enim alterum accuso, sed me nitor defendere, & objectam haereseos calumniam refutare*, cum eodem Bethleemitico Doctore rogo (e)). Ut autem res omnibus propatula fiat, quae in crimen vocantur velut à nostris dicta, fideliter referam; clarèque indicabo, ut falsitas detegatur confundatur. *Habet*, iterùm cum eodem Hieronymo dico, (f) *libellum, quem in crimen vocat, hunc sua disputatione subvertat, & scripta scriptis arguat.*

Audacter scribit P.Serges *Thomistas illustres* (ut nimirùm plures nobilioresque carpat) in confixum sphalma descendisse, vel ex eo, quòd ii docuerunt posse dari ignorantiam invincibilem de Deo. Sed falsò, & impudenter nimis. Fas erat ei dumtaxat scribere *Thomistae pauci, iique inferioris subsellii*, hoc docuerunt.

Sed

(a) *Serges* in Apologia prò Jesuitis *Cap.* 2. §.Thomistas.

(b) *S.Hieronymus* De erroribus Origenis ad Pammachium & Oceanum.

(c) *S.Hieronymus* Apologia contrà Ruffinum.

(d) *Apud N. Norbertum Delbecque* de adversentia requisita ad peccandum. *Item Anon. in opusc. cui tit.* Philosophistae, seu excerpta pauca ex multis libris. *Item opusc. Anonym. Gallic.* Novelle Heresie dans la Morale denoncée au Pape, & aux Evesques, &c, *aliosque*.

(e) *S.Hieronym. ibid.* in Apologia.

(f) *S.Hieronymus ibidem*.

Digitized by Google

Sed numquid absolutè, generatim & absque ulla modificatione? Minimè gentium. Apertissimum mendacium hoc est nigro signandum carbone. Docuerunt utique aliqui è Thomistica Schola posse in aliquo dari ignorantiam de Deo sub explicito conceptu supremi Legislatoris, & Domini. At posse dari ignorantiam de Deo sub ratione boni superioris, seu boni honesti, & in confuso, nullus certè, qui Thomista audiit, unquam, vel jocando, eructavit. Quinimò ex hoc momento, quia, nimirùm, natura dictante unusquisque statim ac pervenit ad usum rationis hoc principium boni honesti, seu Deum in confuso cognoscit, docuerunt laudati Thomistae, quòd puer perveniens ad usum rationis, etiam sub illo primo diluculo, teneatur se convertere in Deum, agendo aliquod bonum honestum; quod si non fecerit, peccat mortaliter, & reus est aeternae mortis. *Quaenam ergò conventio lucis ad tenebras?* Sufficiat nobis ad manifestationem veritatis in medium producere unum ex insignibus Thomistis, qui veluti in patrocinium falsitatis à P. Viva(a), ex relatione sui Tanneri laudatur, ceu apud quem plures adseruntur extare Doctores adstruentes peccata eorum, qui invincibiliter Deum ignorant, aut ad Dei offensam non advertunt, non rescindere Divinam amicitiam, nec promereri poenam aeternam: sed falsò quidem, cùm nec vel unus id asserens ab eodem laudetur. Hic, inquam, est Cl. N. Franciscus Victoria, qui quamvis prò illo primo diluculo usus rationis admittat ignorantiam Dei sub explicito conceptu Supremi Legislatoris, &c. nullimodè admittit objectam Thomistis laxitatem, sed eam expresè impugnat. En ejus verba. (b) „ Dico ad argumenta „ facta, cum S. Thoma 1.2. *q.* 19. *art.* 4. „ *ad* 4. quòd lex Divina dupliciter potest considerari à nobis. Uno modo „ ut est in ipso Deo, & sic omninò est „ nobis ignota, neque hoc modo nos „ obligare posset. Alio modo prout nobis innotescit, vel per lumen naturale, vel per revelationem, & hoc „ modo nos obligat. Dico ergò, quòd „ ad hoc, ut aliquis obligetur lege Divina, non oportet, ut formaliter sciat „ esse aliquam legem, vel Legislatorem, „ à quo lata sit, sed satis est, quòd sciat „ aliquod esse bonum, vel malum; „ etiamsi ignoraret omninò causam, „ quare sit bonum, vel malum, vel „ utrumque sit prohibitum, vel non. „ Et sic talis, qui ponitur sine cognitione Dei adhuc ex casu, postquam ponimus eum habentem usum rationis (c) cognoscit aliquid esse malum, „ aliud bonum; & hoc satis est, ut possit peccare, quia cognoscit aliquid esse vituperabile, & hoc est quia malum. Ut enim S. Thomas 1. 2. *q.* 21. „ *art.* 2. dicit. Ex hoc actus est laudabilis, vel culpabilis, quia bonus vel „ malus „. Sed quale sit peccatum, quod committeret non se convertens ad Deum modo explicato? clarissimè explicat idem Victoria dicens esse *mortale*:

(a) *P. Viva hic T. III.* Trutinae §. *IV.* Nihilominus.

(b) *Victoria* Relect. XIII. de perveniente ad usum rationis *P. II. n.* 10.

(c) *Idem Victoria paulo ante docuerat non improbabiliter dici posse eum, qui non habet notitiam de Deo, non habere perfectè usum rationis: consule tamen eum.*

Digitized by Google

imò ſtatuit ſuam concluſionem „ quòd „ impoſſibile eſt, ut aliquis primò per„ veniat ad talem uſum rationis, ut „ poſſit venialiter peccare, & non mor„ taliter. Iſta concluſio eſt S.Thomae „ 1.2. *qu.89. art.6. item in 2. d.42.art.4.* „ & probatur, &c.„ Peccare mortaliter quid eſt, niſi incurrere reatum aeternae mortis? Vel ambigere de veritate rei eſt in dubium revocare, num in gehenna ſit ignis?

Quis inſuper ex Thomiſtis unquam adſeruit praeter morulam illam temporis nuper enunciatam, ſeu praeter diluculum illud rationis ignorantiam invincibilem de Deo, ſaltem in adultis? Vel unum producat P.Serges, & erit mihi magnus Apollo. Quantùm licuit Noſtrates luſtravi, nec unquam unus obvius fuit. Hinc quiſnam vel poſſit ſomniari, ceu *rara avis in terris, alboque ſimillima cor-vo*, mihi certè haud occurrit. Quomodo ergò P. Serges intrepidè teſtatur plus contuliſſe peccato Philoſophico Thomiſtas, quàm ullum Jeſuitarum? Et quod pejus eſt, *illuſtres* dicit Thomiſtas, qui nec obſcuri nominis unum producit. Proculdubio fucum facit Thomiſticae Scholae, quam prò debito ſuae profeſſionis potiùs vindicare debebat.

Ad id, quod ex S.Thoma additur, nimirùm, quòd haec propoſitio *Deus eſt* non ſit per ſe nota, hinc impetus fit ad eruendum ex mente S.Doctoris dari poſſe ignorantiam invincibilem Dei, adeòque eo ex momento ad probandum peccatum philoſophicum: dicimus quòd nimis praepoſterè ab Adverſariis in medium profertur Angelicus: quum nonniſi per injuriam, & violentiam inde poſſit inferri poſſibilitas ignorantiae Dei, ſaltem ſub ratione boni in communi. Quandoquidem S. Doctor dum adſtruit, quòd haec propoſitio *Deus eſt* non ſit nota quoad nos, ſolùm adſtruit, quòd ad cognoſcendum Deum ſub ratione explicita Entis a ſe, primae cauſſae, &c. indigeamus *diſcurſu*, ſed nobis proprio, & ex lumine Dei nobis indito, ſeu ex idea Dei innata, ut ex PP. licet colligere: hinc ad cognoſcendum Deum ſub hac explicita ratione confeſtim pervenit homo dum ad ſe redit, dum ſe conſulit: quum ſit primum obvium menti, quae ſua ratione utitur, & voluntariè ſe non diſtrahit à cognitione veritatis. Quapropter ab Angelico hoc adſignatur diſcrimen inter hanc propoſitionem *Deus eſt*, & iſtam aliam *quodlibet eſt, vel non eſt*, nimirùm quòd poſterior propoſitio ex terminis eſt obvia & nota, nulloque eget diſcurſu, ut perfectè cognoſcatur, at ex adverſo prior per diſcurſum, eſtò facilem, innoteſcit ex notitia creaturarum: hinc qui Deum non cognoſcit, rationis compos adſtrui nequit. Quod etiam expreſsè docuit idem Renatus Carteſius, dum ideam de exiſtentia Dei poſteriorem idea de propria hominis exiſtentia dixit, eſtò ideam de Dei exiſtentia dicat non ab homine factam, ſed in homine implantatam omnibus aliis ideis nobiliorem, & clariorem.

Verùm cùm non ignobiles Thomiſtae (a) (quibus ſubentiſſimè, & utroque

(a) *Praecipuè tamen NN. Johannes Gonzalez* I.P. diſp. XI. Concluſ.IV. *Vincentius Conteſon* T. I. Theol. Mentis & Cordis, *Paulus Cavvinus* T.I. Tract.2.Prooemial.Qu.2.*Card.Gotti* in Theolog. I.P. T.II. dub.2. de exiſtentia Dei, & *ex exteris Juenin* in Inſtitut. Theol.Tract.de Deo.

Digitized by Google

que pollice ſubſcribo) doceant nullimodè poſſe dari invincibilem ignorantiam de Dei exiſtentia etiam ſub ratione peculiari primi principii, & entis à ſe: dico, quòd Angelicus dum adſerit, hanc propoſitionem *Deus eſt* non eſſe notam quoad nos, ſolummodo inſinuat non habere nos primùm, & primitùs claram, diſtinctamque notitiam quidditatis Dei, ſeu perfectiſſimae illius, omnibuſque numeris abſolutae, conditionis: quam tamen, ut homo rationis compos adtingat, indiget ratiocinio ex ipſamet anima per congeniram inſeminatam & implantatam ideam, promanantem, ex qua Deum in creaturis, & Majeſtatem Primae Cauſſae in effectibus intuetur; nobiliori quidem diſcurſu, & per ſimplicem quandam collationem, ſecùs verò per illationem elaboratam, ut in ceteris ratiociniis, Magnitudinem illius dignoſcens. Idcircò enim S. Job inquit Cap. XXXVI. *Omnes homines vident Deum.* Cùm enim iſti non videant intuitivè, procul dubio abſtractivè vident, in imagine quidem ſupremi illius entis relucentis in mente, & in veſtigio Divinitatis ſplendentis in Creaturis, ut paſſim Patres expendunt (a). Quo ex momento vis omnis cavillandi enervatur, penitùſque profligantur Oppoſitores.

Ne autem quis exiſtimet me vel ex propria penu depromſiſſe hanc explicationem, vel proprio marte confictam adhibuiſſe ſolutionem S. Thomae textui adverſam, lubet non ignobilia momenta cùm in vindiciam adſertionis meae, tum in decorem tanti Magiſtri in medium adducere; praeſertim ejus verba librando, aliaque S. D. monumenta laudando, quibus adpareat una facies eloquiorum ejus. Quomodo enim poterat unquam Angelicus Magiſter invincibilem Dei ignorantiam adſtruere admittendo ideam de Dei exiſtentia non eſſe inſertam, & implantatam naturaliter hominum menti, quum vel hoc alienum ſit ab ipſa hominis natura, & ab Angelici mente? Noverat quidem S. D. quid hac in re ſenſerint Philoſophi, quid Patres, quos omnes apprimè callebat, quare non ſemel laudat utroſque, ut firma ſolida, & erudita argumenta conficiat ad veritatis manifeſtationem. Quum ergò univerſim cùm Patres, tum Philoſophi, quorum elenchum texui, praeſertim Lactantius (b) & Ci-

(a) *Ultrà Patres ſuprà laudatos legendus eſt praecipuè Theophylus Antiochenus Epiſcopus, circà An.* 168. *clarus*, Ad Autolycum *lib. I. Et ex laudatis praeſertim Nanzianzenus* Orat. XXXIV.

(b) *Lactantius* Lib. I. Divinar. Inſtitut. *ſeu* de Falſa Religione *Cap. V. loquens de hac veritate Dei exiſtentiae, inquit*, Veritatis ipſius tanta vis eſt, ut nemo poſſit eſſe tàm coecus, qui non videat ingerentem ſe oculis divinam claritatem, & Lib. VI. Divinarum Inſtitutionum, *ſeu* de Vero Cultu *Cap. IX.* Non poteſt enim rationem hominis obtinere, qui parentem animae ſuae Deum neſcit, quod eſt ſummum neſas. *Quod clariùs ante eum expreſſit Tertullianus* lib. de Carne Chriſti, *dicens*: Nihil adhuc de Deo diſcens (*anima*) Deum nominat. Nihil adhuc de judicio ejus admittens, Deo commendare ſe dicit. *Idem* lib. I. contrà Marcionem *adſerit*, & *in* Apologetico *ait*: Haec ſumma delicti eſt nolentium recognoſcere, quem ignorare non poſſunt, &c. . . . . O teſtimonium animae naturaliter Chriſtianae! *Videſis ceteros Philoſophos, & Patres ſup. laudatos.*

Digitized by Google

& Cicero (a) adfirment hanc Dei notionem esse animae nostrae praesentem ex ipsamet hominis conditione, nonne Angelicus quoque hanc innatam ideam, seu lumen signatum, & impressum in cordibus nostris, seu notionem implantatam, aut quovis alio vocabulo expressam, manifestissimè admittit? Consectaneum ergò est, quòd cùm Angelicus docet hanc propositionem *Deus est* non esse notam quoad nos solummodò quidditatem hujusce innati principii confestim non claresceré insinuet, sed ex ratiocinio mentis per idem lumen impressum effulgere manifestet.

Id clarius innotescit ex eo, quod idem S. Doctor expendens locum Apostoli Pauli ad Rom. I. *Quod notum est Dei manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea, quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas: itàut sint inexcusabiles*, differtè adserit Dei existentiam fuisse à Philosophis cognitam lumine naturae impresso indito, & implantato naturaliter in eis. Sed quid Deus foret, fuisse manifestatum eisdem vel per peculiare lumen adhuc intrinsecum, vel per medium quoddam extrinsecum, creaturas nimirùm, ex quibus pervenerunt ad Divinae Majestatis cognitionem: adeòque ratiocinium illud, quod requirit ad dignoscendam hanc propositionem *Deus est*, non utique requirit ad illius existentiae notitiam, quae inest homini ab ipsa ejus primaeva conditione, sed dumtaxat ad cognitionem essentiae Divinae, seu ad cognoscendum quid sit hìc Deus, cujus potentiae, sapientiae, &c. ut ex his, quae ibi habet, luculenter colligitur. Dicit enim (b) „ Circà primum tria fa„ cit. Primò ostendit quid de Deo co„ gnoverunt. Secundò ostendit à quo „ hujusmodi cognitionem acceperunt: „ ibi. *Deus enim illis*. Tertiò ostendit „ per quem modum: ibi. *Invisibilia „ enim*. Dicit ergò primò, rectè dico, „ quòd veritatem Dei detinuerunt. Fuit „ enim in eis quantùm ad aliquid vera „ Dei cognitio, *quia quod notum est Dei*; „ idest quod cognoscibile est de Deo ab „ homine per rationem, *manifestum est „ in illis*, idest manifestum est eis ex „ eo, quod in illis est: idest ex lumine „ intrinseco. Sciendum est ergò, quòd „ aliquid circà Deum est omninò ignotum homini in hac vita, scilicet quid „ est Deus. Unde & Paulus invenit „ Athenis aram inscriptam *ignoto Deo*, „ & hoc ideò, quia cognitio hominis „ incipit ab his, quae sunt ei connaturalia, scilicet à sensibilibus creaturis, quae non sunt proportionatae „ ad repraesentandam Divinam essentiam. Potest tamen homo ex hujusmodi creaturis Deum tripliciter cognoscere, ut Dionysius dicit in lib. „ *De Divinis nominibus*. Uno quidem „ modo per causalitatem, quia cùm hu„ jus-

(a) *Cicero* lib. I. de Natura Deorum *adserit nos* talem esse Deum certa animi notione praesentire, ut sit animans hoc est non inanimum, ac sensus, & cognitionis expers, *deinde ut omni natura nihil sit eo* praestantius. *Et iterùm ibidem*. Quae est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandàm Deorum, quam appellat προλήψιν Epicurus, idest anteceptam animo quandam informationem sine qua nec intelligi quidquam, nec quaeri, nec disputari possit, *ut suprà*.

(b) *S. Thom.* Lectione VI. in Epist. ad Romanos *Cap. I.*

„ jusmodi creaturae sint defectibiles, & „ mutabiles, necesse est eas reducere „ ad aliquod principium immobile & „ perfectum, & secundùm hoc cognoscitur de Deo an est. II. per viam „ excellentiae. Non enim reducuntur „ omnia in primum principium, sicut „ in propriam causam, & univocam, „ prout homo hominem generat, sed „ sicut in causam communem, & excedentem, & ex hoc quod est super omnia. III. per viam negationis, quia „ si est causa excedens, nihil eorum „ quae sunt in creaturis potest ei competere, sicut etiam, neque corpus „ coeleste propriè dicitur grave, vel leve, aut calidum, aut frigidum. Et „ secundùm hoc dicimus Deum immobilem, & infinitum, & si quid aliud „ hujusmodi dicitur. Hujusmodi autem cognitionem habuerunt per lumen rationis Psalm. IV. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* „ Deinde cùm dicit *Deus illis manifestavit*, ostendit à *quo authore hujusmodi cognitio eis fuerit manifestata*, & dicit, quod *Deus illis manifestavit* secundùm illud Job XXXV. *docet nos super jumenta terrae*. Ubi considerandum est, quòd unus homo aliquid alteri manifestat, explicando conceptum suum per aliqua signa exteriora, puta per vocem, vel scripturam. „ Deus autem dupliciter aliquid homini manifestat. Uno modo infundendo lumen interius, per quod homo „ cognoscit. Psalmo XLII. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam*. Alio „ modo proponendo suae sapientiae „ signa exteriora, scilicet sensibiles „ creaturas, Ecclesiastici I. *Effudit illam*, scilicet sapientiam, *super omnia „ opera sua*. Sic ergò Deus illis manifestavit, vel interius infundendo lumen, vel exterius proponendo visibiles creaturas, in quibus sicut in „ quodam libro Dei cognitio legeretur. „ Deinde cùm dicit *invisibilia enim ipsius à creatura mundi, &c.* ostendit per „ quem modum hujusmodi cognitionem acceperint. Ubi primò considerandum est, quae sunt ista, quae de „ Deo cognoverunt, & ponit tria. „ I. quidem invisibilia ipsius, per quae „ intelligitur Dei essentia, quae, sicut „ dictum est, à nobis videri non potest. Johannis I. *Deum nemo vidit unquam* scilicet per essentiam vita mortali vivens. I. Timot. I. *Regi seculorum immortali, invisibili*. Dicit autem pluraliter invisibilia, quia Dei „ essentia non est nobis cognita secundùm illud, quod est, scilicet prout „ in se est una: Sic erit nobis in Patria „ cognita, & tunc *erit Dominus unus, & nomen ejus unum*, ut dicitur Zachariae ultimo. Est autem manifesta nobis per quasdam similitudines in creaturis repertas, quae id, quod in „ Deo unum est, multipliciter participant, & secundùm hoc intellectus „ noster considerat unitatem Divinae „ essentiae sub ratione bonitatis, sapientiae, virtutis & hujusmodi, quae „ in Deo non sunt. Haec ergò invisibilia Dei dixit, quia illud unum, „ quod his nominibus, seu rationibus „ in Deo respondet, non videtur à nobis Hebreor. XI. *ut ex invisibilibus invisibilia fierent*. Aliud autem quod „ de Deo cognoscitur est virtus ipsius

„ se-

„ ſecundùm quam res ab eo procedunt, „ ſicut à principio Pſalm. CXLVI. *Magnus Dominus, & magna virtus ejus.* „ Hanc ergò virtutem Philoſophi perpetuam eſſe cognoverunt, unde dicitur *ſempiterna quoque virtus ejus.* „ Tertium cognitum eſt, quod dicit, „ *Et divinitas*, ad quod pertinet, quòd „ cognoverunt Deum ſicut ultimum finem, in quem omnia tendunt. Divinum enim bonum dicitur bonum commune, quod ab omnibus participatur: propter hoc potiùs dixit divinitatem (quae participationem ſignificat) quàm Deitatem, quae ſignificat eſſentiam Dei. Coloſ. I. *Et in ipſo habitat omnis plenitudo Divinitatis, &c.* „ quae ibidem ſubdit Angelicus ad expreſsè indicandum Dei exiſtentiam omnibus ſub primò rationis diluculo eſſe notam ex lumine Dei in anima ſignato, licèt ad cognitionem quidditatis Dei ex ipſo lumine non ſtatim perveniat, ſed ulteriùs vel alio infuſo interiùs lumine, vel exteriùs adhibito medio ad eam cognoſcendam pertingat. Quod, ut clarè conſtat, nil aliud eſt, quàm cognoſci Dei exiſtentiam à nobis per lumen ſignatum, ſeu ideam innatam, ſeu notionem impreſſam, ſive congenitam implantatam, &c.; probari autem ſeu manifeſtari, ſive luculentiùs quidditates hujuſce Entis à ſe cognoſci per aliquod medium adjunctum, ſive interiùs per Dei lumen, ſive exteriùs per media, ex quibus naturali diſcurſu homo rationis compos ad ea pervenit, quae ſtatim in lumine impreſſo, ſeu innata idea non adtingit.

Ex his ergò etiam luculenter evincitur quaenam fuerit mens S. Thomae, dum adſtruit (a), quòd Deum eſſe ſit propoſitio per ſe nota, ſecus autem quoad nos. Clariſſimè quidem Angelicus ibi ſuam aperit mentem, nec per volam, aut per hilum ab his, quae nuper inquit, elongatur. Docet utique non eſſe ità nobis ſub initium divini fulgoris relucentis in nobis notum, quid ſit illud ens à ſe, quod quidem exiſtere primò nobis innoteſcit; quapropter ſolummodo adſtruit ad cognoſcendam quidditatem hujuſce Divini Numinis requiri diſcurſum, ſecùs autem ad ſupremum hoc numen primò intuendum: quum naturaliter anima ex innata Dei notione, ſeu idea, Deum ipſum cognoſcat, & in lumine vultus ſui ſignato ſuper nos videat lumen illud, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: quum impoſſibile ſit lumen Dei in nobis impreſſum Deum primò non repraeſentare. En ejus verba, quae in reſponſione ad primum argumentum ibidem habet, ex quibus res tota clareſcit. *Dicendum, quòd cognoſcere Deum eſſe in aliquo communi ſub quadam confuſione eſt nobis naturaliter inſertum* (b) *in quantùm ſcilicet Deus eſt hominis beatitudo, homo enim naturaliter deſiderat beatitudinem, & quod naturaliter deſideratur ab homine, naturaliter cognoſcitur ab eodem. Sed hoc non eſt ſimpliciter cognoſcere Deum eſſe. Sicut cognoſcere venientem non eſt cognoſcere Pe-*

(a) *I. P. Qu. II. Art 1.*

(b) *Ex nota marginali N. Johannis Nicolai ibidem.* Vel inſitum, ut in argumento notatum eſt, velut inſeminatum (juxtà graecum ἐγκατέσπαρται) ſeu implantatum, ingenitum, innatum, &c. *nimirùm juxtà phraſim Philoſophorum, & Patrum, quam nos uſurpamus.*

Digitized by Google

Petrum, quamvis veniens sit Petrus. Quid est enim hoc modo cognoscere Deum esse omnium Causam, Ens à se, & Supremum numen? Certè adhuc sub ea ratione concipitur Deus, ut primum appetibile, quum voluntas non feratur in incognitum. Ergò eodemmet actu, quo mens nostra ità Deum adprehendit, cognoscit Deum ut primum ens, & à se. Appetibile quidem non est, quod non existit, & consequenter dum primum ex se appetibile dignoscit, primum ens, & à se tale cognoscit. Estò in hoc veluti diluculo quidditates omnes hujusce supremi Numinis, & entis à se non cognoscat; sed paululum in ejus contemplatione immorari debeat, ut omnes eas perfectiones in Deo discernat, quas quidem in illa ratione entis à se clarè cogniti veluti in confuso primùm adtigit. Id explicat Angelicus exemplo videntis hominem venientem, qui utique videns non confestim cognoscit hunc esse Petrum, estò reapse hic veniens sit Petrus. Quod citrà omnem controversiae aleam aliud non manifestat, nisi quòd in illa primordiali irradiatione reluceat in mentibus nostris Dei existentia, secùs verò ejus perfectiones, estò hae sint ipsemet Deus; quapropter hae veluti in confuso primùm elucent in illa ratione entis à se; claréscunt posteà cùm hoc idem ens à se innato in nobis lumine appenduntur, & naturali discursu examinantur. Et nonne ex hoc quòd Deus est ens à se naturali ratiocinio infertur esse unum, infinitum, maximum, Omnipotentem, immensum, Summum bonum, &c.? Nemo certè, qui Philosophus audit, inficias ire pertentat. Igitur sicut benè ex eo, quod primò cognoscimus in Deo inferimus quid sit ipse Deus; sic ex eo quòd hoc ens à se, seu Deum naturali lumine primò cognoscimus, illius idea est nobis implantata, insita, inserta, congenita. Si autem congenita est nobis haec notio, haec idea, haec species, quomodo non est etiam nota quoad nos? Foret quidem jocandi non argumentandi modus aliter aut sentire, aut loqui, & contradictionem in ipsismet terminis effet involvere aliter adserendo. Igitur sub hac ratione entis à se, & primae Causae Deus est notus quoad se, & quoad nos, estò quoad nos non sint primò notae perfectiones omnes hujusce entis à se, quae reapse Deus ipse sunt, ut nuper expendimus; adeòque dum ità rem totam Angelicus expendit, exemplificavit, dilucidam reddidit: quamvis hoc ipsum, quia aliis obscurum nimis videtur, aliter ab eis mens S.Magistri explicatur. Clarius insuper semetipsum explicavit S.Thomas paullò post infrà, ubi ostendens quomodo possit demonstrari Deus per effectus, juxtà illud Apostoli ad Rom. I. *Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt intellecta conspiciuntur*, inquit, (a) *Nomina autem Dei imponuntur ab effectibus, ut postea ostendetur. Unde demonstrando Deum esse per effectum, accipere possumus prò medio quid significet hoc nomen Deus*, ad demonstrandum nimirùm quod utique nobis per congenitum lumen Dei existentia innotescit, sed confestim quid sit ille Deus, seu tota illius natura non claréscit primò, verùm ut perfectè

(a) *S.Thomas I.P. Qu.I. Art.II. ad 2.*

Digitized by Google

concipiatur opus est ratiocinio, quo utique benè inferimus unum ex alio metaphysica utentes: ex creaturis autem eodem ratiocinio eas praecipuè colligimus perfectiones, quae prò termino habent creaturas. Quare ex Angelico in eo differt haec propositio *Deus est*, velut propositio per se nota quoad nos, à ceteris primordialibus notioribusque primis principiis, nimirum *quodlibet est vel non est*: *omne totum est majus sua parte*, &c. quia haec dum primò cognoscuntur demonstratione non egent, & loco demonstrationis, vel ipsa sola eorum cognitio cedit. At verò haec propositio *Deus est* innotescit quidem nobis in illo, & ex illo congenito lumine, & eodem lumine duce demonstratur ulteriùs: idque procul dubio propter nobilitatem, & eminentiam objecti, seu termini ejusdem ideae. Sicut pariformiter idea nostrae existentiae, quamvis sit nobis congenita, implantata, insita, & innata, demonstratur etiam eodem ratiocinio eodemque lumine, ut constat. Hinc solùm colligitur, quòd idea existentiae Dei non sit ità clara, & distincta, ut primò, & primùm clarissimè nobis Deum repraesentet, & luculentiùs quidem ac innata idea propriae existentiae, qua clarè, & distinctè nostrum esse repraesentatur, ut aliqui Philosophi contendunt: num autem quod adstruunt, ostenderint? judicent Eruditi. Nil autem hoc ad nos, quibus sufficit ostendisse ex Angelici doctrina Dei existentiam innotescere cunctis ex ipso, & in ipso primaevo lumine vultus Dei signato super nos; hinc nulla potest unquam, vel imaginari ignorantia invincibilis Dei sub explicito conceptu entis à se. Et ostendisse quidem hoc ipsum jam constat ex adnotatis.

Neque obstat, quòd ibidem in solutione I. argumenti Articuli I. protinus subdat S. Doctor: *Multi enim perfectum hominis bonum, quod est beatitudo, existimant divitias, quidam verò voluptates, quidam autem aliquid aliud*, quasi quòd ex eo posset inferri hanc rationem entis à se, seu primae Causae non claresce re nobis in illa idea congenita Dei. Alius quippè, & è diametro oppositus est sensus S. Magistri. Ex eo namque, quòd reliquae Divinae perfectiones, quae in Deo sunt, & sunt ipsemet Deus, ut saepius dixi, in illa prima idea statim non effulgent, sed per eam possunt benè ab intellectu percipi, sequitur, quòd nonnulli haud benè librantes eas, aliòque distracti à sensu converterunt se ad bonum commutabile, incommutabili omisso, quo ex momento contrà naturae legem in eorum cordibus impressam deliquerunt. Sed non inde sequitur, quòd ratio summi boni contenti in illa radicali notione entis à se non videatur primò ab anima divino innato lumine illustrata; aut (quod deteriùs foret) quòd hoc ens à se primò non cognoscatur. Quamplures etiam (a), qui hanc primam causam, & hoc ens à se innato lumine cognoverunt, corporeum dixerunt, &c. Sed per errorem quidem & in-

(a) *Ex Glossa marginali N. Johannis Nicolai in respons. ad 2. argum.* Non rudes tantùm, & indocti propter insitam quandam idololatriam, quam ex consuetudine visibilium constituere conantur humanae cogitationis infirmitas: ut Augustinus epist. 122. loquitur, sed philosophi quoque plures, & Christiani quidam, de quibus qu.

Digitized by Google

& inexcusabilem, quia non perpenderunt, ut par erat, illiusmet primae causae quidditatem.

Plura insuper praestò forent momenta, & monumenta ad nostram assertionem confirmandam, eaque praesertim, quae ex eodem Angelico mutuari possent. Verùm ne longiorem, quà par est, protraham funem, & in diverticulo videar figere lares, ea omitto, ut in viam recedam. Hoc unum dumtaxat adnotatum hìc volo, quòd ad rem, & firmius quidem, faceret Opusculum LXIII. S. Thomae, quod laudant Docti non pauci ad probandam nostram thesim, quum ibi Cap. 3. repudietur stultitia eorum, qui foris Deum quaerunt, cùm intùs habeatur, in anima, scilicet, ibique inveniri facilè possit. Verùm quia eruditi Critici praesertim N. Jacobus Echard (a), opusculum hoc abjudicant S. Thomae, quod propterea in editione Romana juffu S. Pii V. peracta minutioribus characteribus fuit impressum, illud hìc non laudo, verùm illud digito monstrasse, vel ex eo proderit, quia antiquissimi Theologi (nec fortasse abs re meo qualicumque judicio Alberti Magni) monumento vallatur.

Dices iterùm ex Patronis ejusdem confixae thesis. Quamplures Thomistae docent, quòd si daretur ignorantia invincibilis de Deo peccatum hujusce ignorantis haud foret Theologicum, sed merè philosophicum. Quinimò Sanctus Thomas ipse disertè idem asseruit 2. 2. *Qu. XXII. Art. 3. in corpore*, dicens: *Si enim posset esse conversio ad bonum commutabile sine aversione à Deo, quamvis esset inordinata, non esset peccatum mortale.* Quum ergò ità S. Thomas, ità Thomistae loquantur cur vapulat solus Divionensis Professor idem docens, & conditionatè loquens?

Respondeo, quòd perperàm nimis, & fraudolenter ex S. Thoma, ejusque discipulis patrocinium sibi quaerunt damnatae thesis authores. Angelicus quippe, sicut & Thomistae hypothesim impossibilem efformant, adeòque restè ex ea id inferunt, quod insipienter quidem ex adversa ratione, & absolutè adstruunt Patroni damnati sphalmatis, ut constat. Ex doctrina quidem universim recepta, & probata à Philosophis, & Theologis de Schola, quando propositiones hypotheticae sunt destructivae subjecti, de quo enunciantur, sunt de re omninò impossibili, adeòque nil ponunt in re, nil de facto adseverant, etsi illatio deducta legitima sit ex regulis Summularum. Duarum exemplum adpono, ut res nostra firmetur. Vera est ista. Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio non distingueretur ab illo. Vera etiam est haec. Si homo non esset rationalis nec discursivus foret. Et tamen ex neutra aliquod sequitur absurdum, aut contrà fidem, aut contrà Philosophiam. Nec quidem adstruitur, quòd Spiritus Sanctus non procedat à Filio, aut non distinguatur ab eo; nec etiam adfirmatur, quòd homo careat ratione, aut non sit discursivus; Sed solummodo quid per legitimam inlationem sequatur ex impossibili enunciato principio, seu hypothetico adserto, ma-

(a) *Jacobus Echard* Bibliotheca Scriptorum Ordinis *T. I. in S. Thoma.*

Digitized by Google

nifestatur, ut notum est iis etiam, qui vel à limine Scholas salutarunt. Ideòque cùm Thomistae Angelico Duce adstruant impossibilem ignorantiam invincibilem de Deo, hypotheticam eam propositionem efformantes nil à veritate alienum adfirmant. At verò propositio confixa non est de hypothesi impossibili, quia Divionensis Professor (vel quisquis cum eo sentiat) reapse admittit possibilem ignorantiam invincibilem Dei, ne dum sub explicito conceptu Entis à se, Primae Causae, Supremi Numinis, & Maximi Legislatoris, sed etiam sub conceptu Boni superioris in communi, in confuso, &c. ut constat ex hucusque dictis. Similiter praefatus author ejusque Socii indiscriminatim loquuntur de quacumque ignorantia, sive vincibili, sive invincibili; quinimò adstruunt peccantem, dum actu non cogitat de Deo, Deum non offendere, nec ullam ei injuriam inrogare, hinc philosophicum dumtaxat peccatum committit. Quis verò è Thomistis tale facinus unquam admisit? Quando nam Angelicus Doctor ethnicam hanc ganeam ructavit? Anathema semper illi dixerunt scelesto dogmati, & nec dum diris devotum ille praefocavit detestabile commentum, ut luce meridiana clarius innotescit ex dictis. Docuit quidem S. Thomas loco in argutatione laudato: *Si posset esse conversio ad bonum commutabile sine aversione à Deo, &c. non esset peccatum mortale.* Sed quando nam vel obiter adseruit posse dari hanc conversionem ad bonum commutabile absque aversione à Deo? E' diametro oppositum adseruit; quapropter de essentia peccati mortalis esse id adfirmavit, non secùs ac de essentia hominis est esse rationalem; quare ità ex M. Patre Augustino definiendum esse peccatum lethale docuit. (a) *Est dictum factum concupitum contrà legem aeternam*; & respondens ad 4. objectionem haec habet. *Dum dicitur, quòd non omne peccatum ideò est malum, quia prohibitum, intelligitur de prohibitione facta per jus positivum. Si autem referatur ad jus naturale, quod continetur primò quidem in lege aeterna, secundariò verò in naturali judicatorio rationis humanae, tunc omne peccatum est malum, quia prohibitum. Ex hoc enim ipso, quòd est inordinatum, juri naturali repugnat.*

Ex qua S. Thomae doctrina clarissimè evincitur, quòd etiam, qui laborat ignorantia Dei, dum peccat, non materialiter tantùm, sed formaliter Deum offendit, adeòque non philosophicum, sed Theologicum peccatum committit. Hic enim dum contrà jus naturale delinquit procul dubio, cùm sit rationis compos, ex ipsomet naturae lumine cognoscit se malè agere, & contrà quoddam bonum honestum operari. Ergò saltem contrà bonum Divinum in confuso cognitum agit. Eo ipso quidem ac cognoscit se agere contrà legem, implicitè saltem, & in confuso, cognoscit se operari contrà legis authorem. Ergò pariter cognoscit se agere contrà Divinum Legislatorem cognitum *saltem* in confuso sub ratione boni honesti in communi, cui adversatur sic operando. Quia, ut optimè ostendit laudatus S. Doctor: (b) *Quicquid est contrà rationem*

(a) *S. Thom. 1. 2. Qu. LXXI. Art. VI.*

(b) *S. Thomas 1. 2. Qu. LXXI. Art. 2. ad 4.*

Digitized by Google

nem artificiati, est etiam contrà naturam artis, qua artificiatum producitur. Lex autem aeterna comparatur ad ordinem rationis humanae sicut ars ad artificiatum: undè ejusdem rationis est, quòd peccatum sit contrà ordinem rationis humanae, & QUOD SIT CONTRA' LEGEM AETERNAM.

Nunc autem probandum occurrit peccare itidem peccato Theologico, & mereri poenam aeternam eum, qui dum peccat, actu de Deo non cogitat. Inquit enim Regius Vates Psalm. IX. *Exacerbavit Dominum peccator*. En grave crimen Theologicum, certè & poena aeterna dignum, ut ex formula Divini Verbi, & modo loquendi Spiritus Paracleti. Sed quare ità criminosus dicitur, obstrictus proinde aeternalibus flammis? Fortasse quia Deum prohibentem animo advertens Legem, & Legislatorem contemsit? Numquidne quia Dei recordatus, nec praesentia Divini Regis exterritus in faciem jus infrunito, & irreverente animo crimen admisit? Minimè gentium. Vel ex eo praesertim deliquit, quia de Deo non cogitavit. *Non est Deus in conspectu ejus*, adpositè subjunxit Psalmista, & causam lapsus idcircò expendit: eoque pariter ex momento, quia Dei praesentiam non adtendit, non est recordatus Dei, neque animo legem prohibentem revolvit, praeceps in crimina ruit. *Inquinatae sunt viae illius in omni tempore*, ut ibidem Propheta subjunxit. Igitur vel ex eo adstruendum est liberiùs homines peccare, & Divinam Legem pessumdare, ad Tartara properare, dignos propterea gehennalibus flammis, quia de Deo non cogitant. *Pastores multi*, inquit Jeremias Cap. XII., *demoliti sunt vineam meam: conculcaverunt partem meam: dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis. Posuerunt eam in dissipationem, luxitque super me. Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde.* Quod quidem Divinum monumentum vel ab ipsis rudioribus, modò fidelibus, & noscitur, & pronunciatur, nec ullus est, qui inficias ire pertentet. Quòd si fortè fortuna admittatur commentum jam diris devotum, nonne feliciores erunt peccatores habituales obstinatique in malo prae quolibet pridem justo, sed posteà ex fragilitate, vel in unicum dumtaxat crimen lapso? Citrà omnem dubietatis aleam. Hic quidem, quia Dei memor doemoni tentatori cessit, aeterna erit dignus poena: Illi autem quia criminum multiplicitate detenti obscuratoque insipiente eorum corde etiam in meridie coecutientes ex pravo habitu nullam promerebuntur gehennalem poenam: ideòque liberiùs faciliùs feliciùsque poterunt criminibus froena laxare. Quo quid foedius, quid absurdius potest unquam aut dici, aut cogitari? Nec quidem hac in re ulteriùs immorandum censeo, abstinens proinde à laudandis Conciliis, Patrumque monumentis in medium producendis, quum ab eo velut à monstroso spectro mens lumine rationis illustrata refugiat; sensus animusque omnium reluctetur, quinimò vel ipsi peccatores ultrò, libenterque fateantur nullum sibi quaerere, nullumque se exspectare patrocinium ex commento Philosophici peccati jure summo nigro theta signato.

Ostendo insuper, quòd itidem peccet peccato Theologico, qui dum contrà

Digitized by Google

trà Dei legem insculptam in cordibus hominum, aut contrà positivam legem publicatam, & notam peccat, Dei offensam ex violatione legis resultantem non advertit. Dum scelestus hic contrà legem naturae agit, aut contrà quamcumque aliam positivam legem jam indictam, aut notam delinquit, procul dubio percipit se agere contrà rationem dictantem non esse violanda Divina, vel humana jura. Atqui impossibile est, quòd ità dissonè operans, saltem implicitè, non advertat, non percipiat offensam Dei: quandoquidem contrà honestatem agens, saltem implicitè, advertit se offendere Deum, quum implicitè haec duo simul nectantur, nimirùm violatio Legis, & injuria Regis: hinc celebre vulgatumque profluxit adagium, omniumque sensu commendatum proverbium. *Qui offendit Legem, offendit Regem.* Igitur estò peccator dum peccat nihil advertat, imò nullimodè persentiat Deum, aut ejus offensam, eo tamen ipso, quòd advertit actum esse malum, & rationi dissonum Deum re vera offendit; quia saltem implicitè advertit injuriam Supremi Legislatoris, ex quo lex omnis profluit: nec unquam potest dissonum rationi opus adverti non libata, saltem implicita, injuria Dei primae honestatis Regulae: adeòque pariter eo ex momento dignus est gehennalibus flammis. Quare sapienter M. P. Augustinus (a) diffiniens peccatum, inquit illud esse *dictum, factum, concupitum contrà legem aeternam.* Quod expendens Angelicus Doctor eruditè subjunxit: (b) „ Sicut ex supradictis patet, „ peccatum nil aliud est, quàm actus „ humanus malus: quòd autem aliquis „ actus sit humanus habet ex hoc, quòd „ sit voluntarius, quasi à voluntate elicitus, vel imperatus, ut exteriores „ actus, vel locutionis, vel operationis. Habet autem actus humanus, „ quòd sit malus ex eo, quòd caret debita commensuratione. Omnis autem „ commensuratio cujuscumque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam, à qua si divertat, incommensurata est. Regula autem voluntatis humanae est duplex. Una „ propinqua, & homogenea, scilicet ipsa humana ratio. Alia verò est prima regula, scilicet lex aeterna, quae „ est quasi ratio Dei. Et ideò Augustinus in definitione peccati posuit duo: „ unum, quod pertinet ad substantiam „ actus humani, quod est quasi materiale in peccato, cum dixit: *Dictum, vel factum, vel concupitum*; aliud autem, quod pertinet ad rationem mali, quod est, quasi formale in peccato, cùm dixit: *contrà legem aeternam*.

Tandem ultima pars ejusdem confixae thesis, nimirùm quòd requiratur advertentia ad malitiam moralem, ut peccatum dicatur Theologicum, estò breviter (quum ea de re iterùm hìc agendum occurrat Exercitatione III. ubi de ignorantia juris naturae agam, quandoquidem ejusdem rationis quoad malitiam moralem sunt ignorantia, inadvertentia, & oblivio culpabilis) sic tamen efficaci validoque momento profligatur. Quando malitia est intrinsecè con-

(a) *S. P. Augustinus* Lib. XXII. contrà Faustum.

(b) *S. Thomas* 1.2. *Qu. LXXI. art. VI. in O.*

Digitized by Google

connexa cum actu, tunc qui vult expresse actum, saltem virtualiter & implicitè, seu interpretativè vult malitiam tali actui adnexam. Sed in casu, qui vult praefatum actum, eumque necessariò adtendit, quia directè vult illum, saltem interpretativè, & virtualiter vult malitiam ejus, eamque re vera, saltem implicitè, advertit, ut constat; cùm velit actum, cui praefata malitia est intrinsecè adnexa. Ergò tunc re vera peccat peccato Theologico, & est dignus aeterna poena, quia sciens, & volens liberè vult malum Divino juri adversum, & aeterna lege prohibitum. Non minùs enim offensa Dei est intrinsecè connexa cum diffonantia rationis ad *jus naturae*, ac malitia est intrinsecè conjuncta cum actu malo. Sed ratione praefatae primaevae connexionis, qui facit actum diffonum rationi implicitè saltem vult offensam Dei, & reapse Deum laedit. Ergò pariformiter ratione posterioris intrinsecae connexionis actum malum patrans malitiam moralem illi adnexam vult & committit, adeòque peccat peccato Theologico; & quidem tunc praesertim, quum agit contrà praecepta naturalia, de quibus ignorantia invincibilis dari non potest. Quapropter Angelicus rem totam expendens, ità praefocavit damnatum commentum. „ (a) Dicendum, quòd ex hoc ipso, „ quòd ratio superior non dirigit actus „ humanos secundùm legem Divinam, „ impediens actum peccati, dicitur ipsa consentire, sive cogitet de lege „ aeterna, sive non. Cùm enim cogitat de lege Dei actu, eam contemnit, cùm verò non cogitat, eam negligit per modum omissionis cujusdam. Unde omnibus modis consensus „ in actum peccati procedit ex superiori ratione, quia, ut Augustinus dicit XII. de Trinitate c. 12. *non potest peccatum efficaciter perpetrandum mente decerni, nisi illa mentis intentio, penes quam summa potestas est membra in opus movendi, vel ab opere cohibendi, malae actioni cedat, aut serviat.* Adeòque ex Angelico, & Aquilino semper adest consensus in malum, isque à ratione dependens, vel nimirùm ab ea contemnente, dum actu advertit malitiam peccati, vel negligente, dum eam minimè adtendit.

Quod vel ex eo clarius evincitur, quia in casu, ut Aristoteles docet, ipsamet non advertentia malitia est. *Omnis igitur*, inquit, (b) *pravus ignorat quae agere oportet, & à quibus est abstinendum; & ob hujuscemodi errorem injusti homines, malignique omninò fiunt.* Quum ergò pravitas, & peccatum sit ea ignorare, aut non advertere, quae scire quilibet, & ad quae advertere tenetur, eo ipso, quòd haec sunt contrà Deum, id genus crimen non merè philosophicum, sed verè Theologicum erit peccatum. Praesertim quum impii sceleste que ii sint, qui de Deo non cogitant, malitiam nedum non advertunt, quinimò derident: hinc laetantes, omni sepositio timore, pudore omni dimisso, *laetantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis* Proverb. II. & ità proni sunt ad culpam, tàm lubenter eam patrant, ut eodem Salomone testante Proverb. X. *Quasi per risum stultus operatur scelus.* Idcirco igitur reus

(a) *S. Thomas* 1. 2. *Qu. LXXIV. Art. VII. ad* 2. (b) *Aristoteles III.* Ethicorum *Cap. I.*

Digitized by Google

reus criminis, & aeterna morte dignus est peccator, quia non advertit malitiam, aut legem, ex cujus violatione culpa consurgit. Non inficias eo eximi à culpa ignorantem legem positivam, vel ad eam non advertentem ab omni culpa excusari, quando tamen invincibilis est ignorantia, vel inadvertentia: quia tunc re vera ex momento praefatae ignorantiae, vel inadvertentiae censetur innoxius à violatione legis, ex cujus momento dumtaxat dicitur obnoxius culpae, ut Theologi una voce fatentur.

Haec autem, quae universim de ceteris quibuscumque non advertentibus malitiam in actu diximus, eosque propterea peccatores constitui adseruimus, locum non habent in scrupulosis, qui videntur consensisse malo, sed statim cognita malitia resiliunt. Hi namque cùm ità refugiunt, tunc primò persentiunt contrà honestatem se agere, adeòque re vera odio habent & crimen, & actum peccaminosum. Similiter quum in eis potiùs phantasia, quàm ratio agat, non sunt censendi perfectè liberi dum primò videntur adhaerere malo haud perpensa expresè malitia illius; quare ex defectu deliberationis perfectae, quae ad actionem moralem necessariò praerequiritur, excusantur à culpa. Idem dicas de iis, qui vehementi tentatione doemonis concussi, & persistentes in sancto proposito non semel videntur descendere in criminosum consensum, cujus malitia librata resiliunt confestim, & terrore concussi respuunt crimen: quandoquidem consensus hic, qui potest adstrui, perfectè liber haud est, sed ex momento tentationis obnubilantis mentem, & inclinantis adfectum ejusdem conditionis est, ac qui deprehenditur in semi-dormientibus, & semi-vigilantibus; ideòque consensus, si qui potest admitti, ex subreptione quasi extortus culpa saltem lethali caret. Idem pariformiter dicas de ceteris quibuscumque, qui veluti per abstractionem in crimen consensisse videntur, sed actutùm crimen destantur: etenim repentina fuga à culpa ejusdem malitia deprehensa, nec non stabile propositum permanendi in amicitia Dei indicia sunt non levia, dissensus veri, nulliusque admissionis theologicae culpae. Hoc enim ità clarum est ex doctrina S. Thomae, ut vel ex ea scrupulus omnis averruncetur, & rectè judicandi conscientiarum Directoribus solida methodus praestetur. *Dicendum*, inquit Angelicus Doctor (a) *quòd ratio superior per considerationem legis aeternae sicut potest dirigere, vel cohibere actum exteriorem, ità etiam delectationem interiorem: sed tamen antequam ad judicium superioris rationis deveniatur, statim ut sensualitas proponit delectationem, inferior ratio per rationes temporales deliberans, quandoque hujusmodi delectationem acceptat: & tunc consensus in delectationem pertinet ad inferiorem rationem. Si verò etiam consideratis rationibus aeternis, homo in eodem consensu perseveret: jam talis consensus ad superiorem rationem* (ab officio tamen suo degenerantem) *pertinebit*.

Pro-

(a) *S. Thomas* 1. 2. *Qu. LXXIV. Art. VII. ad 3.*

Digitized by Google

PROPOSITIONES XXXI. DAMNATAE AB ALEXANDRO VIII.

DECRETUM

Feria 5. die 7. Decembris 1690. *In Congregatione Generali Sanctae Romanae, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo D. N.* Alexandro *Divina Providentia Papa VIII. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contrà haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.*

SANCTISSIMUS D. N. Alexander Divina Providentia Papa VIII. praedictus prò pastorali cura Ovium à Christo Domino sibi commissa de earum salute sollicitus, ut inoffenso gradu per rectas semitas possint incedere, & pascua nimirùm pernicioſa in pravis doctrinis exhibita vitare, unius suprà triginta Propositionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, ac Reverendissimis DD. Cardinalibus contrà haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus commisit, qui tantum negotium diligenter aggressi, eique sedulò, ac pluries incumbentes, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suae sigillatim detulerunt.

Propositiones autem sunt infrascriptae, videlicet:

1. IN statu naturae lapsae ad peccatum mortale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.

Digitized by Google

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum (*Christus*) prò nobis oblationem Deo, non prò solis Electis, sed prò omnibus, & solis Fidelibus.

5. Pagani, Judaei, Haeretici, aliique hujus generis nullum omninò accipiunt à Jesu Christo influxum: adeòque hinc rectè inferes in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quàm pernicioſa est, sic ut proinde meritò possimus petere, à gratia sufficienti *libera nos Domine*.

7. Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis; hoc est, mala est.

8. Necesse est infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut coelestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quae per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, & etiamsi videantur credere, non est Fides Divina, sed humana.

13. Quisquis etiam aeternae mercedis intuitu Deo famulatur, Charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt Beatitudinis operatur.

14. Timor gehennae non est supernaturalis.

15. Attritio, quae ex gehennae, & poenarum metu concipitur sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

16. Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni, induxit non politia, aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex, & praescriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi ordo Poenitentiae est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Poenitentiae, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet Authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet; nihilominus ab Ecclesia non habetur prò usu, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita poenitentiam prò peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factae, pleraeque vel sacrilegae sunt, vel invalidae.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua poenitentia, seu satisfactione ob quaestum, seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint.

23. Si-

Digitized by Google

23. Similiter arcendi sunt à Sacra Communione, quibus nondum inest Amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in Templo, quae fiebat à B.V.M. in die Purificationis suae per duos pullos Columbarum; unum in holocaustum, & alterum prò peccatis, sufficienter testatur, quòd indiguerit purificatione, & quòd filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset secundùm verba legis.

25. Dei Patris simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare.

26. Laus, quae defertur Mariae, ut Mariae, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, *In nomine Patris, &c.* praetermissis illis, *Ego te baptizo*.

28. Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit, *non intendo, quod facit Ecclesia*.

29. Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani suprà Concilium Oecumenicum Authoritate, atque in Fidei quaestionibus decernendis Infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. *in eminenti*, est subreptitia.

Quibus maturè consideratis, idem Sanctissimus statuit, & decrevit 31. suprà dictas Propositiones tamquam temerarias, scandalosas, malè sonantes, injuriosas, Haeresi proximas, Haeresim sapientes, erroneas, Schismaticas, & Haereticas respectivè, esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, & prohibet, ità ut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in Excommunicationem, à qua non possit (praeter quàm in articulo mortis) ab alio quacumque etiam Dignitate fulgente, nisi à prò tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè in virtute Sanctae obedientiae, & sub interminatione Divini Judicii, prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscumque Conditionis, Dignitatis, & Status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne praedictas Opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Non intendit tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias Propositiones in majori numero ultrà suprà dictas 31. jam exhibitas, & in hoc Decreto non expressas, approbare.

ALEXANDER SPERONUS S. Romanae, & Universalis Inquisitionis Not.

Loco ✠ Sigilli.

Digitized by Google

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi M. DCXC. Indict. 13. die 20. Decembris, Pontificatus autem Sanctissimi D. N. D. Alexandri *Divina Providentia Papae VIII. Anno secundo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, Palatii S. Officii, in acie Campi Florae, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Franciscum Perinum SS. D. N. Papae, & Sanctissimae Inquisitionis Cursorem.*

J. Baptista de Comitibus Mag. Curs.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIO I.

I. PROPOSITIO.

In ſtatu naturae lapſae ad peccatum mortale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in cauſa ſua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.

EXAXITATIS pelago Divina protectus gratia illaeſus emergens, heu! Rigoriſtarum acuto nimirum gladio oppetor & impugnor. Qui ſaeva tempeſtate jactatus noctu diuque contendi, ut maris evaderem fluctus, necnon declinarem vortices, & monſtra, dum laxus exopto quietem, veluti vix egreſſus ab aquis hoſtium in littore ſtantium opprimor armis. Quapropter quod olim accidiſſe Palinuro AEneae claſſis navarcho *AEneidum VI.* Virgilius narrat, id quoque mihi vel ex parte accidiſſe dignoſco, etſi exitialem illius ſortem haud me ſubiturum in Domino ſperans certè confidam. Simul cum gubernaculo ille è puppi praeceps in mare triduo fluctibus jactatus & undis, quarto demùm die Velinum litus advenit, jamque gaudens terram tenebat, quum loci illius accolae in littore ſtantes ſpe non ignobilis praedae impetum fecerunt in eum, occiſumque ac expoliatum projecerunt in mare, quod propterea ex ejusdem fato *Palinuri* nomen ſortitum, illud uſque in hodiernum diem retinet, ſicut & promontorium, quod prope Lucaniam extat, & maris alluitur undis, in quod poſt necem infelix navarchus à praedonibus fuit projectus. Mare pariter & ego ingreſſus, nec placidum, quietumque ſalum; ſed fluctibus procelliſque refertum, nec triduo quidem tempeſtate jactatus, quot, heu! quot labores poenaſque ſubii, dum variis diſtentus curis contrà novelli probabiliſmi monſtra contendere debui? Illaeſus Divina protegente gratia emerſi rectus cynoſura Verbi Dei, Conciliorum, & Patrum; tutamque complexus tabulam, Angelici, nimirùm, Doctoris ſolidam probatamque ſententiam tenens. Mox autem ut deſii à bello adversùs molliores quoſdam Caſuiſtas dilatantes in animarum perniciem conſcientias hominum, contendere cogor cum hoſtibus ex adverſo pugnantibus, rigidioribus nempe aliquibus, imponentibus onera gravia & importabilia, praepedientibus idcircò viam ſalutis. Sed in Domino ſperans, ſicut non declinavi ad dexteram, ſic neque in ſiniſtram deflectam, mediumque tenens iter deventurum me ſpero ad veritatis metam, quam ſolùm exopto, prò qua dumtaxat contendo: laborio-

Digitized by Google

boribus nullimodè paream, etsi furentes obvient hostes, & contrà stent non imparia erroris monstra.

Et ut ad rem propius adcedam, quid non monstrositatis includit prima haec in ordine confixa thesis? Contendit quidem miserè deperditum in Proto-Parente hominem, nec quidem resurrexisse in Christo, eo quòd adhuc vinculis primigeniae culpae illigatus praepeditus strangulatus, nullimodè sit expers ejusdem primaevae labis, qua actu Protoplastus Deum offendit. Adserit quidem hominem eadem libertate, ac voluntate, qua originale crimen admisit, nunc tendere in omnes pravas inclinationes, quae ex peccato sequuntur; & consequenter adstruit concupiscentiam, ignorantiam, fomitem, ceterasque miserias, & poenas ex peccati originalis infecta lacuna profluentes, utpotè in caussa volitas, imputari homini ad culpam, proindeque vel semper hominem peccare statuit, qui vel semper hisce miseriis praepeditur. Nec novum quidem est praesens proscriptum commentum, sed ab inferis revocatum iterùm impetiit Ecclesiam Christi. Docuerunt quidem Vitilitigatores Lutherus (a), Calvinus (b), Melanchton (c), Beza (d), Vermilius (e), Kemnitius (f), Illyricus (g), aliique Deum impossibilia praecipere, & aliqua legis mandata non posse adimpleri, sed hanc quidem stultitiam revocarunt ab Orco quotquot hominem necessitate peccandi ex praefatis miseriis originariae labis profluente praepeditum adseruerunt. Quinimò nec subobscurè, sed distinctè, & expressè in idem commentum declinarunt aliqui, quorum adsertiones uti haereticas S. Sedes proscripsit, etsi personas nunquam Catalogo haereticorum adscenserit, nimirùm Michaël Bajus (h) Theologus, & Professor Lovaniensis, qui statim ac ei fuit à Francisco Toleto Societatis Jesu Theologo Legato, postea S. R. E. Cardinale Clarissimo indictum Apostolicum Diploma à S. Pio V. procusum, & à Gregorio XIII. publicatum, quo ejus errores fuerunt nigro theta signati, erroribus nuncium misit, Apostolicae diffinitioni collum submisit & fasces demirante eodem Francisco Toleto Professoris humilitatem, & obedientiam. Sicut & Cornelius Jansenius Yprensis Episcopus (i), qui in confessione fidei defunctus omnia, quae scripserat

(a) *Martinus Luther* in Assertionibus *Art. 2. & alii saepiùs.*

(b) *Joh. Calvinus* lib. III. Institutionum *c.* 3. §. 10. *& alibi.*

(c) *Philippus Melanchton* in locis posteriori tempore editis.

(d) *Theodorus Beza* Annotatione ad Epistolam S. Jacobi.

(e) *Petrus Vermilius Pseudo-Martyr* Commentar. in Cap. V. Epistolae ad Romanos.

(f) *Martinus Kemnitius* in Examine Sess. V. Concil. Trid. *p.* 454.

(g) *Matthias Yllyricus* in Apologia Confessionis Antuerpiensis *C.* 3.

(h) *In Michaelis Baii Sententiis hae theses praesertim fuere damnatae, nempe XXXIX.* Quod voluntariè fit etiam si necessariò fiat, liberè tamen fit. *LXVI.* Sola violentia repugnat libertati hominis naturali, *& LXVII.* Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessariò faciat.

(i) *Jansenius* lib. VI. VII. & VIII. de Gratia Salvatoris. *Et in hoc postremò Cap.* 19. *docet*, quòd nulla necessitas actibus voluntatis liberis formidanda sit, sed sola vis, coactio, & necessitas violentiae. *At* lib. VI. *cap.* 6. docet, quòd sola necessitas coactionis adimat libertatem, non necessitas simplex. *Et quod reapse loquatur de libertate requisita ad meritum, vel demeritum constat ex eodem lib. VI. Cap.* 24. *ubi ait S. Thomam docere* opus esse laude, vel vituperio dignum, meritorium, vel demeritorium ex hoc, quòd est voluntarium spontaneum non exactum: *perperàm autem S. Thomam laudat.*

Digitized by Google

pserat judicio S. R. Sedis subjecit. Quare sicut hosce duos posteriores è syllabo priorum eradere charitas urget, sic hunc errorem priorum commentis adnectere veritas cogit: praecipuè cùm eorum haereses jam diu fuerint à Tridentina Synodo diris devotae. Igitur contrà hos omnes.

Ostenditur primò in statu naturae lapsae ad peccandum formaliter, seu ad incurrendum reatum lethalis culpae, & gehennalis poenae requiri in homine viatore libertatem personalem, eamque plenam *à necessitate* dictam; eam, nimirùm, quae consistit in perfecta indifferentia judicii, vertibilitate arbitrii, & plenario dominio suorum actuum, quo, videlicet, homo viator possit ponere & non ponere actum praeceptum, ut requiritur ad peccatum omissionis; nec non possit ponere actum, & oppositum ejus, ut necessarium est ad peccandum peccato commissionis. Quandoquidem per praefatum dominium in sacris litteris homo adstruitur liber, & potens mereri, aut demereri. A Patribus, ac Conciliis quilibet Adae filius etiam post illius ruinam hac facultate praeditus adseveratur, & idcircò meriti, vel demeriti capax. Genesis IV. Dominus dixit ad Cain: *Quare iratus es, & quare concidit vultus tuus? nonne si benè egeris recipies, sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Ecclesiastici IV. dicitur: *Deus reliquit hominem in manu consilii sui, adjecit mandata, & praecepta; si volueris mandata servare conservabunt te. Appositi tibi ignem, & aquam: ad quod volueris porriges manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum; & quod placuerit dabitur illi.* Deuteron. XXX. Moyses ità adloquitur populum dum mandata Dei servanda proponit: *Considera, quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum, & è contrario mortem, & malum.* Et infrà. *Testes invoco Coelum, & terram, quòd proposuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem. Elige ergò vitam, ut tu vivas, & semen tuum.* In libro Josue Cap. XXIV. dicitur. *Optio vobis datur, cui servire potissimùm debeatis, &c.* Iterùm Ecclesiastici XXXI. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit: ideò stabilita sunt bona illius in Domino.* I. Ad Corinthios Cap. VII. *Qui statuit in corde suo firmus non habens necessitatem, sed potestatem habens suae voluntatis, & hoc judicavit in corde suo, servare virginem suam, benè facit.* Et infrà. *Quod vult faciat; non peccat si nubat.* Hisque sexcenta similia occurrunt monumenta in Divino eloquio ad rem praesentem firmandam.

Eadem veritas authoritate Conciliorum & PP. ostenditur, ex quibus tamen pauca laudamus monumenta ad veritatem manifestandam sufficientia. In Concilio Arausicano II. Can. XXV. diffinitur: *Hoc etiam secundùm fidem catholicam credimus, quòd, accepta per Baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quae ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Adeòque expressè definitur, quòd adhuc post Adae lapsum homo ità sit perfectè liber, ut sit in ejus potestate velle, & nolle; indeque etiam liberè possit operari. Concilium Tridentinum luculentiùs

hanc,

hanc veritatem adversùs Heterodoxos diffinivit, ut vel ex ejus decretis quodlibet renascens commentum profligetur. Quandoquidem Sess. VI. Cap. V. docet hominem liberè consentire Divinae inspirationi, quippe qui eam rejicere potest, si velit. Et Can. IV. docet liberum arbitrium concurrere in dispositione ad justificationem, quia sicut consentire, ità & dissentire potest. Alia itidem tradit, quae infrà laudabo ad falsitatem eliminandam.

Patres autem, quorum monumentis traditio firma vallatur, & catholicum dogma munitur, procul dubio omnes sunt, omniumque aetatum Doctores, quorum tamen paucos in medium proferre lubet ceteris dumtaxat digito monstratis. S. Justinus M. ità hanc veritatem demonstrat adversùs Ethnicos, ut pariter Jansenianos exsufflet. *Nisi*, inquit, (a) *arbitrio libero, & ad turpia fugienda, & ad honesta diligenda, facultatem habeat mortalium genus, non fuerit in causa, sive culpa qualiumcumque demùm factorum. Sed enim libero id delectu tùm rectè per virtutem vivere, tùm per peccatum labi adhuc demonstramus modum: Hominem eundem ad contraria subinde transire videmus.* Id pariformiter adseruerunt ceteri Patres (b), qui exsibilarunt Gentilium fatum humanae libertati obnoxium, non secus ac Jansenistarum commentum, Novatorumque ceterorum sphalma. Tertullianus itidem de libero arbitrio verbum habens ità disertè loquitur de homine adhuc post Adae peccatum (c) *Liberum & sui arbitrii, & suae potestatis invenio hominem à Deo institutum, nullam magis imaginem, & similitudinem Dei in illo animadvertens, quàm ejusmodi status formam... Hunc statum ejus confirmavit etiam ipsa lex tunc à Deo posita. Non enim ponerctur lex ei, qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate, nec rursùs comminatio mortis transgressioni adscriberetur, si non & contemtus legis in arbitrii libertatem homini deputaretur. Sic & in posteris legibus Creatoris inveniens proponentis ante hominem bonum, & malum, vitam & mortem. Sed nec alias totum ordinem disciplinae per praecepta dispositum, avocante Deo, & minante, & exhortante, nisi & ad obsequium, & ad contemtum libero, & voluntario homine.* S. Optatus Milevitanus idem eodem argumento confirmat. (d) *Voluntas habet poenam, necessitas veniam. Homicida scelus potest facere, potest etiam non facere; & cetera hujusmodi, in quibus liberum habetur arbitrium.* S. Basilius pari forma loquens, ait: (e) *Unicuique nostrum intùs inest statera quaedam à Conditore nostro fabricata, per quam rerum naturas possit appendere; bonumque à malo discernere.* S. Ambrosius opera quaelibet ab homine patrata, *prò voluntatis arbitrio, non prò necessitatis obsequio* facta adfirmat (f), & infrà. (g) *Non habes, in quo necessitatem magis, quàm tuam mentem arguas.* S. Gregorius Nanzianzenus definiens libertatis arbitrium in homine adhuc post Adae ruinam

(a) *S. Justinus M.* Apolog. II. prò Christianis.
(b) *Athanagoras* Apologia *seu* legatione prò Christianis, *Clemens Alexandrin.* lib. I. Stromat. *p. 65. Origenes* in Cap XIII. Matth. *& alii.*
(c) *Tertullian.* lib. II. adversùs Marcionem *Cap. VI.*
(d) *S. Optatus* lib. VIII. adversùs Parmenianum.
(e) *S. Basilius* Homilia in Psalm. LXI.
(f) *S. Ambrosius* lib. II. de Cain C. 2.
(g) *Ibidem Capite VIII.*

Digitized by Google

nam inquit : (a) *Arbitrii libertas parem in utramque partem motum habet*. S. Gregorius Nyſſenus (b) ex profeſſo probat omnes Adami filios eſſe liberos, & arbitrii poteſtate inſignitos ex eo, quòd eorum actiones non neceſſariò, ſed liberè fiant ab ipſis; & explicans quid ſit hoc liberum arbitrium hominis (c), adſtruit eſſe electivam facultatem voluntatis cum indifferentia & dominio in oppoſita : nimirùm ire, & non ire, facere, & non facere, concupiſcere, & non concupiſcere, laetari, & non laetari, &c. S. Hilarius Pictavienſis Epiſcopus inquit : (d) *Unicuique noſtrum libertatem vitae, ſenſumque permiſit, non neceſſitatem in alterutrum affigens*. S. P. Auguſtinus : *Et nos*, ait, (e) *ſub fato ſtellarum nullius hominis geneſim ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo vel benè, vel malè vivitur, propter juſtum judicium Dei, ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus*. Similiter idem S. D. hanc libertatem mirè vindicat, omniſque neceſſitatis expertem adſtruit (f) : quod argumento confirmans oſtendit. (g) *Si neceſſitate id feciſſet, nullo peccati vinculo teneretur*. Et alibi (h) Cainum adloquens ait. *Quieſce : ad te enim converſio ejus, & tu dominaberis illius. Numquid fratris? Abſit. Cujus igitur niſi peccati?* quod etiam pluries adſtruit. (i) S. Johannes Chryſoſtomus. *Nonne*, inquit, (k) *manifeſtum eſt ſua quemvis voluntate, vel malitiam, vel virtutem eligere? Nam niſi ità eſſet, & naturae noſtrae pravitas inſita eſſet, neque in illo puniri, neque iſtos virtutum retributiones accipere oportebat. Verùm quia in noſtra voluntate totum poſt Dei gratiam relictum eſt; ideò & peccantibus ſupplicia propoſita ſunt, & benè operantibus retributiones*. S. Hieronymus expendens illud Evangelii. „ Et diviſit eis ſubſtan- „ tiam, inquit, (l) *Significantiùs in graeco legitur* διεῖλεν αὐτοῖς τὸν βίον, *ideſt dedit eis liberum arbitrium, dedit mentis propriae libertatem, & ut viveret unuſquiſque non ex imperio Dei; ſed ex obſequio ſuo, ideſt non ex neceſſitate, ſed ex voluntate, ut virtus haberet locum, ut à ceteris animantibus diſtaremus*. Id pariter univerſim Patres utriuſque Eccleſiae confitentur (m), & tandem Angelicus Doctor ità robuſtè falſitatem omnem enervat, ut praeſertim Janſenianum commentum praedamnaſſe videatur. (n) *Quidam poſuerunt, quòd voluntas hominis ex neceſſitate moveatur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quòd voluntas cogeretur : non enim omne neceſſarium eſt violentum, ſed ſolùm id, cujus principium eſt extrà, unde & motus naturalis*

E in-

(a) *S. Gregor. Nanzianz.* In Apologetico *non procul ab initio*.
(b) *S. Gregor. Nyſſ.* in lib. de Philoſophia *C. I.*
(c) *Ibidem Capite* 2.
(d) *S. Hilarius* in Pſalmum II.
(e) *S. Auguſtinus* lib. II. contrà Fauſtum *C. V.*
(f) Lib. 2. de libero arbitrio *Cap.* 2. & 3.
(g) Lib de vera Religione *Cap.* 14.
(h) Lib XV. de Civitate Dei *Cap. VI.*
(i) *Idem S. P.* lib. de quantitate animae *Cap.* 36. & lib I. Retractationum *Cap.* 9. & *alibi.*
(k) *Chryſoſtom.* Homil. XXII. in Geneſim.
(l) *S. Hieronym.* Epiſtola ad Damaſum.
(m) *PP. qui id adſtruunt praecipuè ſunt Irenaeus Lib. IV. Cap.* 71. *Euſebius Caeſarienſis* lib. VI. Praeparat. Evangelic. *C. V. Theophylus Alexandrinus* Epiſtol. III. Paſchali. *Athanaſius* Orat. contrà idola, *Cyrill. Hieroſolym.* Catecheſi IV. de Baptiſmo. *Epiphanius* Haereſi VI. *Vulgatus Dionyſius* de Divinis nominibus *c.* 4. *Macarius Aegyptius* Homilia XV. *Ceteri autem Eccleſiae Latinae Patres ex parte laudati ſunt, ceteri verò conſuli poſſunt apud Polemicos*.
(n) *S. Thomas* Quaeſt. VI. de Malo *Art. unic.*

Digitized by Google

inveniuntur aliqui necessarii, non tamen violenti, &c. Haec autem opinio est haeretica: tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur esse meritorium, vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quòd vitare non possit. Est etiam annumeranda inter extraneas Philosophiae opiniones, quia non solùm contrariatur fidei, sed etiam subvertit omnia principia Philosophiae naturalis. Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, praeceptum, & punitio, & laus, & vituperium, circà quae Philosophia moralis consistit.

Ex quibus omnibus Patrum monumentis ad rem nostram clarificandam sic efformatur argumentum. Ut voluntas in statu naturae lapsae operetur moraliter, meritoriè, vel demeritoriè debet esse domina suorum actuum, idest debet operari cum indifferentia, ità quòd possit agere, & non agere, agere bonum, & malum. Atqui libertas, quae olim fuit in Adamo non est hujusmodi: quum voluntas nequeat actum illum semel elicitum retractare; insuper voluntas, & libertas illa jam transiit in naturam. Igitur insufficiens est praefata libertas, sed alia omninò diversa, nimirùm personalis, debet admitti. Et mirum quidem est, quòd Jansenistae ad peccandum dumtaxat statuant voluntatem & libertatem illam, quae olim fuit in Adamo reposita, tanquam in omnium Protoparente, in quem nostrae voluntates fuerunt translatae (fuisse solùm eo in casu, eaque ex causa obedientiae praestandae de non comedendo pomo juxtà Dei interdictum voluntates posterorum in Adami voluntate repositas Fides catholica docet) secùs verò ad merendum eam admittant libertatem, quae fuit in Christo, in quo omnes sumus renati: hinc sicut peccavimus in Adamo, sic credimus in Christo, juxtà illud decantatum ex Augustino axioma de infantibus in Christo credentibus in Baptismo. *Credit in altero, qui peccavit in altero.* Cùm enim uterque sit Parens hominum, ille in perditione, hic in salute: cur non dicemur mereri semper ex libertate, & voluntate Redemtoris, qui dicimur demereri semper ex libertate, & culpa perditoris? Nimiùm ergò saevit in filios Adae Yprensis Episcopus, qui ità delirando oggannit. Quòd si verò ex eo requiritur libertas personalis ad merendum, quia operi personali liberè, & ex gratia facto, utpote meritorio, respondet praemium juxtà illud Jeremiae *Est merces operi tuo.* Cur idem adstruendum non est de voluntate, & personali, in ordine ad demerendum, cùm pariter huic respondeat poena, juxtà illud Ecclesiastici XXX. *portans mercedem iniquitatis*, & Ezechielis XVIII. *Anima, quae peccaverit ipsa morietur?* Jure summo Regius Vates quamvis dixisset: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*; non tamen ex eo dolebat, non de eo etiam ut de fonte, & origine peccatorum veniam poscebat à Deo, sed de propria personali culpa, quam volens & libens patrarat. *Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contrà me est semper, Tibi soli peccavi* Psalm.L. quod pariter in omnibus Divini eloquii paginis est adnotare. Quia ut optimè docet Ange-

Digitized by Google

gelicus. (a) *Ad culpam personae requiritur voluntas personae, ad culpam verò naturae non requiritur nisi voluntas in illa natura.* Ex illa, utpote primaeva labe, & scaturigine malorum, vitium: ex ista, utpote personali culpa, reatus mortis aeternae. Hinc praeter illam primigeniam labem, quam contrahunt filii Adae (nullum de Sanctissima Virgine volo habere sermonem, ut cum Tridentini Concilii Patribus loquar) vitium hoc eis non imputatur ad culpam, nisi ex praefato vitio inclinati sponte liberè, & ex electione recedant à Deo.

Confirmatur haec ratio. Actus nostri non alia ratione dicuntur morales, nisi quia subjacent regulis morum, & ab illis diriguntur: sicut actio aliqua ex eo artificialis dicitur, quia subditur regulis artis. Sed actus merè spontanei, & à sola coactione immunes, quales sunt motus inordinati naturae lapsae, talesque certè ex rebellione Adami liberè à Deo aversi, & conversi ad commutabile bonum, non possunt subjici regulis morum, nec ab eis dirigi, & ordinari. Ergò neque possunt dici morales. Major patet, minor verò probatur. Quum regula, seu lex adhibeatur actionibus, ut eas ab extremitatibus ad medium regulae deducat, procul dubio frustrà adplicatur actionibus illis, quae suapte natura invariabiles sunt; quare nequeunt ab extremis ad medium revocari. Atqui actus merè spontanei, & à sola coactione immunes, quales essent actus illi liberi dumtaxat ex voluntate, & libertate Adami praevaricatoris, sunt omninò invariabiles, ut exploratum est cunctis. Igitur praefati actus non possunt subjici regulis morum; adeòque nec possunt esse morales. Quòd si morales non sunt, quomodo peccaminosi dicentur? quomodo ad demerendum ea satis erit libertas, quae olim fuit in Adamo? Audiatur Angelicus rem totam explanans, & confixum figmentum perstringens. (b) *Ibi incipit genus moris, ubi primò dominium voluntatis invenitur. Sumus*, autem (c) *Domini nostrorum actuum secundùm quòd possumus hoc, vel illud eligere.*

Ostenditur ulteriùs falsum omninò esse vitia naturae lapsae nobis imputari ad culpam, sicut adversarii ex commentitio jam explosò principio inferre pertentant. Et I. ex Apostolo ad Romanos VII. *Nunc autem non ego operor illud, sed, quod habitat in me, peccatum. Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum.* Ex quibus verbis luculenter colligitur, Apostolum docere concupiscentiam, quae remanet in homine justificato, non esse peccatum, & consequenter nec esse liberam, & voluntariam homini, quo modo libera, & voluntaria fuit primigenia culpa, quam ex Adami praevaricatione contraxit, & cum quo pariter praevaricati sunt omnes filii ejus. Apostolus enim primò adseruit concupiscentiae motum non esse opus suum, deinde rectè concluſit sibi idcircò non posse imputari ad culpam. Quomodo enim homini imputabitur ad crimen, quod non est proprium opus, estò malum, & rationi dissonum? Sapienter quoque addidit malum habi-

(a) *S. Thomas* in II. Dist. XXX. *Qu.* 1. *Art.* 2.
(b) *S. Thomas* in II. Dist. XXIV. *Qu.* 3. *Art.* 3.
(c) *Idem* I. P. *Qu.* LXXXII. *Art.* 2. *ad* 3.

Digitized by Google

tare quidem in carne, non in anima, ut solummodo vitium naturae corruptae illud esse ostenderet, secus verò animae culpam, & moralem defectum. Id luculentiùs idem expressit ibidem versu 23. dum ait: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, & captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis*. Premebatur quidem Apostolus ferrea illa lege peccati, qua impellebatur ad culpam; sed innoxius erat à crimine dum peccati poenam patiebatur, nimirùm illecebras carnis, rebellionem sensus, ceteraque miserias ex Adami rebellione profluentes; eoque ex momento, nimirùm, ne fortasse allectus, & victus ab excitamentis hisce culpae praestaret consensum: ut, inquam, effugeret periculum consensus ex vehementi tentatione imminens, tam gravi sarcina depressus cupiebat dissolvi, mundo vale dicere optabat, & esse cum Christo in Coelis ab omni periculo liber; quare exclamabat ibidem versu 27. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Quòd verò non succubuerit praefatis illecebris, Dei gratia adjutus, idemmet Apostolus expressè fatetur: quinimò nullum ex eisdem sequi peccatum, modo per gratiam Salvatoris vitetur consensus, etsi stimulus adhuc urgeat vellicet & pungat, clarissimè ostendit, subdens ibidem v. 25. *Gratia Dei per Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati*. Quid ergò clarius, quid luculentius ad profligandum Jansenianum commentum? Ad penitùs tamen exsibilandum illud in medium producere lubet Gratiae Coriphaeum, & veritatis Magistrum M. P. Augustinum, ad quem veluti ad asylum confugere, sed perperam, consuevit Jansenius quaerens sibi patrocinium delirandi. Ait enim Aquilinus Doctor. (a) *Ibi homo primitùs Dei lege transgressa, aliam legem repugnantem suae menti habere coepit in membris, & inobedientiae suae malum sensit, quando sibi retributam dignissimè inobedientiam suae carnis invenit*. Et iterùm: (b) *Aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refraenat, atque compescit. Quod cùm fit, non labimur in peccatum, sed cum aliquanta luctatione coronamur*. Et iterùm explanans verba Apostoli, id genus rebelles motus, & concupiscentiam carnis adpellantis peccatum, ità loquitur: (c) *Hoc peccatum, de quo sic est locutus Apostolus, ideò peccatum vocatur, quia peccato factum est, & poena peccati est, quandoquidem poena peccati est*: quod non semel, sed pluries alibi repetit Aquilinus Doctor, qui propterea apertè Jansenio resistit. Id pariformiter adstruunt PP. omnes utriusque Ecclesiae, Orientalis, nimirùm, & Occidentalis, ex quorum syllabo, & consensu nonnisi firma traditio resultat. Et quamvis horumce monumenta penè innumera sint, hìc dumtaxat laudabimus unum Chrysostomum, ceteros ex parte non omissuri post pauca: eos omnes tamen plenius lustrare poterit apud Polemicos de hac re agen-

(a) *S. P. Augustinus* lib. I. contrà duas epistolas Pelagianorum *Cap. X. Et* lib. I. de Nuptiis, & Concupiscentia *Cap. VI.*

(b) *Idem* lib. II. de Genesi contrà Manichaeos *Cap.* 14.

(c) *S. Augustinus* lib. I. Retractationum *C. XV.*

Digitized by Google

agentes (a) quicumque uberiorem messem exoptat. Loquens enim S. Episcopus de id genus peccati poenis ait: (b) *Nisi consuetudinem vincamus, quomodo concupiscentiam vincemus, cujus radix habet à natura principium? Concupiscere enim naturale, at malè concupiscere est voluntatis.* Et iterùm: (c) *Non simpliciter dixit* (Christus) *qui concupiverit, sed qui viderit mulierem ad concupiscendum: ideſt qui concupiscentiam sibi consciverit, quique nullo omninò cogente quiescenti cogitationum feram subitò immiserit. Hoc enim non jam naturae est, sed propriae desidiae.* Et iterùm: *Ipsae passiones in se peccatum non sunt, effraenata verò ipsarum immoderantia peccatum operata est. Et ut exempli gratia unam illarum tractem: concupiscentia quidem peccatum non est, quando verò egressa modum foras eruperit, tunc demùm adulterium fit non à concupiscentia, sed à nimio & illicito illius luxu.*

Confirmatur eadem veritas ex alio Novi Foederis monumento. S. Jacobus in sua Canonica Cap. I. inquit. *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Deinde concupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò, cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Ubi, ut constat, quatuor ab Apostolo distinguntur. Concupiscentia, nimirùm, potentia appetitiva, aliique ejus motus, praecipuè suggestio (ut post M. Gregorium, & V. Bedam Theologi loquuntur) delectatio, & tandem consensus. Atqui his omnibus enumeratis in solo consensu Apostolus peccatum constituit; quandoquidem voluntario adcedente consensu delectatio perficitur, & tunc interiùs peccatum consummatur. Ergò ex Apostolo laudato nobis haud imputantur ad culpam passiones illae, quae ex originali peccato profluunt, quaeque vexant filios Adae in mortali carne viventes. Audiatur iterùm M. P. Augustinus Apostoli sensum explans, & confixum sphalma condemnans. (d) *Sed cùm dicit Apostolus Jacobus unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus; deinde concupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum: profectò partus à pariente discernitur. Pariens enim est concupiscentia, partus peccatum. Sed concupiscentia non parit, nisi conceperit: non concipit, nisi illexerit, hoc est ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis consensum.* Adstipulatur quoque vulgatus M. Patris discipulus S. Prosper (e) *Peccatum perpetrare non possumus nisi malae delectationi consentiam.* Id ipsum testatur S. Cyrillus Alexandrinus (f) *Voluptas quaedam antè omne praecurrit, & fervens cupiditas ad delicta solet allicere, quae ante peccandi actum insidet, & mentis consensum arripit, persuadens facilè hac via veniendum esse quò gliscimus. Quod verum Christi discipulus ostendit dicens: Nemo, qui tentatur dicat se à Deo tentari: neminem enim Deus tentat, sed unusquisque à sua cupiditate abstractus, atque seductus tentatur. Cupiditas deinde, postquam concepcrit, parit peccatum: porrò consummatio*

(a) *Polemici de hac re agentes sunt Card. Bellarminus, N. Card Gotti, & reliqui: agunt pariter ea de re Scholastici in Tract. de* Actibus humanis.

(b) *S. Joh. Chrysostom.* Homil. XIX. ad Popul. Antiochen.

(c) *Idem* Homil. XIII. in Epist. ad Romanos.

(d) *S. Augustinus* lib. VI. adversùs Julianum *Cap. V.*

(e) *S. Prosper, seu verius Julianus Pomerius,* lib. III. de Vita Contemplativa *Cap. IV.*

(f) *S. Cyrill. Alex.* lib. IV. in Johan. *Cap. 51.*

Digitized by Google

matio mortem generat. Igitur concupiſcentia, & ceterae paſſiones ex Adami culpa profluentes nobis voluntariae non ſunt, peccata non ſunt, ſed potius pena peccati, qua ſtimulamur, ut purgemur, certemus, & coronemur. Quum enim Gentium Doctor II. ad Timotheum II. dicat. *Nam & qui certat in agone non coronabitur, niſi legitimè certaverit*, procul dubio hiſce ſtimulis exagitatus animus, hiſque hoſtibus impetitus, dum viriliter contendit, & vincit, cum palma victoriae conſequitur coronam triumphi. Quapropter, ut adnotavit V. Beda (a) ex communi Patrum doctrina, etiam à Tridentina Synodo (b) probata, adhuc regeneratis hae paſſiones inſident ad meritum non ad culpam: eſtò ex eis non ſemel tentatus deſcendat in illam. Ad agonem quippe ſunt ordinatae, ut in eo coronetur viriliter certans: & quamvis perſentiat poenam, haec certè ad victoriam cedit, ſi Chriſtianus miles deprimat inſultus: quum nemo aliter poſſit coronari, niſi ſtrenuè pugnet. Quapropter idem S. Jacobus ibidem ſubdit: *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitae, quam repromiſit Deus diligentibus ſe*. Saeviunt igitur nimis in animam Chriſti ſanguine redemtam, qui eam peccato obnoxiam dicunt, quia tentationibus impetitur; & praeripiunt palmam, vel ipſis Heroibus, qui ſtimulis hiſce puncti fortes in bello ſuperant nequitiam tentatoris. Palmam, inquam, iis eripiunt, quam dumtaxat parvulis ſine illecebris cedentibus fato indulgent. *Non mediocre*, inquit S. Ambroſius, (c) *eſt mitigare iracundiam, non inferius, quàm omninò non commoveri. Hoc noſtrum eſt, naturae illud. Illae denique commotiones in pueris innoxiae ſunt, quae plus habent gratiae, quàm amaritudinis*. Et Clarae-Vallenſis Abbas ad rem optimè ſubdit. (d) *Peccatum in foribus eſt: niſi ipſe aperias, non intrabit. Appetitus in corde prurit: ſed niſi ſponte ceſſeris, nihil nocebit. Conſenſum cohibere, praevaleat hoc, & immaculatus eris*.

Nec ſolùm adverſus animam intenderunt arcum, ſcutum, gladium, & bellum damnati erroris Patroni, dum eam obnoxiam dixerunt peccato ex ſola rebellione ſenſus, aut alia quavis primigeniae culpae reliquia; verùm & Servatori omnium fucum fecerunt, copioſae redemtioni detraxerunt, & Sacro-ſancti Baptiſmatis valorem labefactarunt, traduxerunt. De fide quippe eſt, quòd per Sacramentum Baptiſmi originale crimen omninò deleatur; quandoquidem per lavacrum regenerationis in Chriſto renati Adami filii Chriſto incorporantur, & ſicut in Adamo pridem mortui fuerunt, ſic per Chriſtum vivificati expoliantes veterem hominem, & induentes novum hominem, ab omni labe purgantur. *Nihil ergò damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu*, inquit Apoſtolus ad Romanos VIII. Sed ſi concupiſcentia, & ceterae paſſiones, ſeu miſeriae ex Adami culpa profluentes, & adhuc poſt Baptiſmum in renatis perſeverantes, imputarentur eis ad culpam, aliquid damnationis procul dubio

(a) *V. Beda* Commentar. in Epiſtol. Jacobi *Cap. I.*
(b) *Tridentin.* Seſſ. V. de peccato originali.
(c) *S. Ambroſius* lib. VII. de Officiis *Cap. XXI.*
(d) *S. Bernardus* Serm. de Septem tribulationibus.

Digitized by Google

bio remaneret in eis, nimirùm peccatum. Quum ergò nefas sit, vel per jocum id adseverare, & apertè reluctetur Divino Verbo, dicendum omninò est, quòd praefatae miseriae non sint peccatum, sed poena peccati, in nobis ad agonem relictae. Quapropter idem Gentium Doctor ad rem totam ediserendam, postquam Cap. VII. dixerat: *Non enim, quod volo, bonum hoc ago, sed quod odi malum.... Si autem, quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud; Sed quod habitat in me peccatum*: ut ostenderet τὸ *peccatum* non culpam, sed poenam designare, subjunxit: *Nihil ergò damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*; quia nimirùm praefatae passiones ex Adami peccato profluentes rectè peccatum dicuntur, sed re vera peccatum, idest culpa moralis non sunt: & quidem ex laudato momento, quod certè elumbe nimis foret; quinimò prorsus falsum, si adversariorum commentum admitteretur. *Quomodo*, inquit Hieronymus, (a) *justificati sumus, & sanctificati, si peccatum aliquod in nobis relinquitur?* Et M. P. Augustinus idem pertractans argumentum ait. (b) *Nulla ergò damnatio est iis, qui sunt in Christo Jesu. Non enim damnatur, nisi qui concupiscentiae carnis consentit ad malum*. Et infrà: (c) *Dicimus Baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi ramorum in capite capillorum, unde crescant iterùm resecanda peccata.... Sed de ista concupiscentia carnis falli eos credo, vel fallere; cum qua necesse est, ut etiam baptizatus, & hoc si diligentissime proficit, & spiritu Dei agitur, pia mente confligat. Sed haec etiam si vocatur peccatum, non utique quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur: sicut scriptura manus cujusque dicitur, quòd manus eam fecerit*. Quod repetit alibi, (d) dicens idcircò concupiscentiam etiam dici posse *peccatum*, quia haec per suggestionem, & allectionem causat peccatum, non secus ac *frigus dicitur pigrum, quia facit homines pigros*. Quod pariter pluries docet (e); hinc omne confugium praecluditur adversariis aliter adserere studentibus. Idem quoque docuit S. Gregorius M. dicens: (f) *Si qui sunt, qui dicunt peccata in Baptismate superficie tenus dimitti, quid est hac praedicatione infidelius, in qua ipsum fidei Sacramentum festinat solvere? in quo principaliter ad coelestis munditiae mysterium anima ligatur, ut absoluta radicitùs à peccatis omnibus, soli illi inhaereat, de quo Psalmista ait, Mihi autem adhaerere Deo bonum est*. Et infrà: *Totus mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit: Sed nemo resistit voci Veritatis, quae ait: qui lotus est mundus est totus. Nihil ergò ei de peccati sui contagione remanet, quem totum fatetur mundum esse, qui redemit*. Et ut ab innumeris aliis Patrum monumentis abstineam, sufficiat in medium proferre Angelicum Magistrum, qui ex Verbo scripto, & Patrum

(a) *S. Hieron.* Epistola ad Oceanum.
(b) *S. August.* lib. I. contrà duas Epistolas Pelagianorum *Cap X.*
(c) *Idem ibidem Cap. XIII.*
(d) *Idem* lib. VI. contrà Julianum *Cap. V.*
(e) *Idem* lib. I. de Nuptiis, & concupiscentia *Cap.* 23.
(f) *S. Gregor. M.* Lib. IX. Epistol. XXXIX. ad Theosistam Patritiam.

Digitized by Google

trum doctrina Janſenianum commentum praefocavit. Quaerens enim S.Doctor: (a) *Utrùm per Baptiſmum debeant auferri poenalitates praeſentis vitae?* Ità rem totam, & veritatem catholicam edifferit, illuſtrat, confirmat, dicens. „ Reſpondeo dicendum, quòd Baptiſmus habet virtutem auferendi poenalitates praeſentis vitae, non tamen „ eas aufert in praeſenti vita; ſed ejus „ virtute auferentur à juſtis in Reſurrectione, quando *mortale hoc induet immortalitatem*, ut dicitur I Corinthiorum XV. Et hoc rationabiliter. Primò quidem, quia per Baptiſmum homo „ incorporatur Chriſto, & efficitur „ membrum ejus, ut ſuprà dictum eſt. „ (qu. 63. art. V. ad I.) Et ideò conveniens eſt, ut id agatur in membro incorporato, quod eſt actum in Capite. „ Chriſtus autem à principio ſuae conceptionis fuit plenus gratia & veritate, habuit tamen corpus paſſibile, „ quod poſt paſſionem, & mortem eſt „ ad vitam glorioſam reſuſcitatum: „ Undè & Chriſtianus in Baptiſmo „ gratiam conſequitur quantùm ad animam: habet tamen corpus paſſibile, „ in quo prò Chriſto poſſit pati; ſed „ tandem reſuſcitabitur ad impaſſibilem vitam: Undè Apoſtolus dicit Roman. VIII. *Qui ſuſcitavit Jesum Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortalia „ corpora veſtra propter inhabitantem ſpiritum ejus in vobis*; Et infrà eodem: „ *Haeredes quidem Dei, cohaeredes autem „ Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & ſimul glorificemur*. Secundò. Hoc eſt „ conveniens propter ſpirituale exercitium, ut videlicet contrà concupiſcientiam, & alias paſſibilitates pugnans homo, victoriae coronam acciperet: Undè ſuper illud Rom. VI. „ *Ut deſtruatur corpus peccati*, dicit Gloſſa (b) *ſi poſt Baptiſmum vixerit homo in „ carne, habet concupiſcentiam, cum qua „ pugnet, eamque adjuvante Deo ſuperet*; „ in cujus figuram dicitur Judicum III. „ *Hae ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Iſraëlem, & poſtea diſcerent filii eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem praeliandi*. Tertiò hoc fuit conveniens ne „ homines ad Baptiſmum accederent „ propter impaſſibilitatem praeſentis „ vitae, & non propter gloriam vitae „ aeternae: Undè Apoſtolus dicit I.Corinth.XV. *Si in hac vita tantùm ſperantes ſumus in Chriſto miſerabiliores ſumus „ omnibus hominibus*.

Quapropter Tridentina Synodus ex Verbo Scripto, & Tradito decretum de peccato Originali formans, ità diffinivit. (c) „ Si quis per Jesu Chriſti Domini noſtri Gratiam, quae in Baptiſmate confertur, reatum originalis „ peccati remitti negat; aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram, „ & propriam peccati rationem habet: „ ſed illud (d) dicit tantùm radi, aut „ non

(a) *S.Thomas III. P. Qu. LXIX. Art.* 3. in corpore.

(b) *Gloſſa à S.Thoma laudata deſumpta eſt ex S.P.Auguſtino* lib. I. de peccatorum meritis, & remiſſione, *ſeu* de Baptiſmo parvulorum *cap.* 39. *ut obſervavit N. Johannes Nicolai* ad marginem textus S.Thomae, *apud quem integrum Auguſtini monumentum*.

(c) *Tridentinum* Seſſ. V. Decreto de peccato Originali.

(d) *Sic aliqui, quos impugnat Auguſtin.* lib. I. contrà duas epiſtolas Pelagianorum *c.* 13.

Digitized by Google

„ non imputari : Anathema sit. In re-
„ natis enim *nihil odit Deus* (a) : quia
„ (b) *nihil est damnationis his, qui verè*
„ (c)*consepulti sunt cum Christo per Baptis-*
„ *ma in mortem* : qui (d) *non secundùm*
„ *carnem ambulant*, sed (e) *veterem ho-*
„ *minem exuentes*, (f) *novum, qui secun-*
„ *dùm Deum creatus est, induentes* ; inno-
„ centes, immaculati, puri, innoxii,
„ ac Deo dilecti effecti sunt, (g) *haere-*
„ *des quidem Dei, cohaeredes autem Christi*;
„ itàut nihil prorsùs eos ab ingressu
„ Coeli remoretur. Manere autem in
„ baptizatis concupiscentiam, vel fo-
„ mitem, haec S. Synodus fatetur, &
„ sentit : quae cùm ad agonem relicta
„ sit, nocere non consentientibus, sed
„ viriliter per Christi Jesu gratiam re-
„ pugnantibus non valet : quinimò,
„ (h) *qui legitimè certaverit coronabitur*.
„ Hanc concupiscentiam, quam aliquan-
„ do (i) Apostolus *peccatum* appellat,
„ S. Synodus declarat, Ecclesiam Ca-
„ tholicam nunquam intellexisse pecca-
„ tum appellari, quòd verè & propriè
„ in renatis peccatum sit (k), sed quia
„ ex peccato est, & ad peccatum in-
„ clinat. Si quis autem contrarium
„ senserit, anathema sit. „

Supersunt etiam alia argumenta, quae possent adversùs Patronos damnati furfuris laudari; Verùm quia ex iis, quae diximus, plenè exsufflatum est sphalma confixum, ab eis consultò abstineo; qui autem ea legere exoptat, adeat laudatos Polemicos, eosque pariter, qui adversùs theses damnatas ab Alexandro VIII. scripserunt. Ex iis autem illud certè non laudo, quod inter cetera non aspernenda efformavit P. Antonius Maria Bonucci, nimirùm, quòd poena peccati originalis sit sola carentia visionis Dei per modum meræ negationis, non autem positivae privationis, & ex opposito poena peccati personalis sit positiva privatio visionis Dei, nec non poena sensus : ex qua diversitate poenae firmans discrimen inter peccatum personale, & originale, probare nititur miserias ex Adami culpa profluentes non posse imputari ad culpam adultis ex Adamo progenitis. Hoc, inquam, argumentum vel ex eo non adprobo, quia petitum ex sententia, quae etsi hodie sit probabilis, imò & communior, dogma fidei certè non est, ideòque ex ea adversùs Jansenianos firmum validumque argumentum efformari nequit. Quinimò ex iis, quae nunc subdam, ut clumbe potest ab eisdem Jansenii discipulis repudiari, & à Novatoribus derideri; exploratumque est Eruditis omnibus contrà Heterodoxos nonnisi valida argumenta ex invictis, & ineluctabilibus principiis petita esse formanda. Quòd autem non sit fidei articulus poenam peccato originali respondentem esse solam negationem visionis per modum meræ negationis, & absque ulla tristitia parvulorum, qui sine regeneratione decesserunt

F

(a) Ad Romanos *Cap. VIII.*
(b) Ad Romanos *ibidem*.
(c) Ad Romanos *Cap. VI. & habetur de hac re definitio* de Consecratione *Dist. IV.*
(d) Ad Romanos *VIII.*
(e) Ad Colossenses *Cap.* 3.
(f) Ad Ephesios *IV. Vide Capit.* Quomodo renovari de Poenitentia *Dist. I.*
(g) Ad Rom. *VIII.* & ad Galatas 3.
(h) II. Ad Timotheum 2.
(i) Ad Romanos *VI. VII.* & *VIII.* Ad Colossenses 3.
(k) *Ex S. Augustino* lib. I. contrà duas epistolas Pelagianorum, *& alibi ut suprà*.

Digitized by Google

ferunt notum est Eruditis. Insuper puniri parvulos hosce poena sensus, eosque igni gehennali addictos esse, ex quo tamen levissimam patiuntur poenam, ex doctrina Patrum doceri ab illustribus Theologis solus ignorat, qui nec à limine salutavit Theologiam. Priorem quidem sententiam tuentur ex non levibus momentis N. B. Albertus M. Johannes Driedo, & Polmannus, quinimò Cl. Theologus, & insignis Thomista Guillelmus Estius eam utpote verissimam tuetur ex Patribus Augustino, Chrysostomo, & Gregorio M. id apertè docentibus (a). Posteriorem verò ex nobilibus luculentisque Patrum monumentis (b) tuentur cùm Veteres, tum recentiores Theologi de Republica literaria, & S. R. E. optimè meriti (c), iique praesertim, qui viriliter eliminarunt fictitiam beatitudinem post resurrectionem corporum à parvulis cum originaria labe defunctis, quam eisdem adjudicarunt olim Ambrosius Catherinus, Alphonsus Salmeron, Ludovicus Molina, & novissimè Pseudo-Sfondratus in opere posthumo *Nodus praedestinationis* Innocentio XI. denunciato ab insignibus Galliarum Episcopis. Quum igitur ità senserint viri insignes, clarissimique Theologi, quomodo ex oppositio velut ex fidei probato dogmate potest adversùs Vitilitigatores validum efformari argumentum? Ficulneum est ergò P. Bonucci momentum, quod ea de caussa omitto, & refello. Satisque sint, quae huc

(a) *Estius* in II. Sententiar. Distin. XXXIII. §. *VIII. hanc opinionem tuetur ex Augustino in* Enchiridio *c.* 26. *lib. XXI.* de Civitate Dei, *cap.* 12. & 35. Sermon. XIV. de Verbis Apostoli *seu* CCXCIV. *in editione Benedictinorum*, & lib. I. de peccatorum meritis, *cap.* 28. & *alibi. Chrysostomo* Hom. XXIV. in Matth. Hom. XLVII. & LVII. Ad Popul. Antiochen. & Hom. XIII. in Epist. ad Philippenses. *S. Gregorio M.* Lib. IX. Moralium *cap.* 16. *Imò non omittendi sunt ceteri insignes viri, qui adstruunt parvulos nullimodè vel levi gehennali flamma comburi, sed dumtaxat in inferno inclusos ibi detineri absque ulla adflictiva poena, ità expressè docent S Greg. Nanzianzen.* Oratione in S. Lavacrum. *Author* Commentar. in Epistol. Pauli *sub nomine S. Ambrosii, qui certè est Hilarius Sardus in* Cap. V. ad Romanos *Nicetas* Commen. in Orat. XL. S. Greg. Nanzianz. *annot.* 12. *Innocentius III. relatus in* III. Decretalium, *Cap.* Majores de Baptismo & & ejus effectu. *S. Thomas* Qu. V. de Malo, *in II. Distinct. XXXIII. qu.* 2. *ar.* 1. & *alibi. Eugenius IV.* in litteris unionis, & *universim alii Theologi. Vide* C. *Bellarminum* de Amissione gratiae, & statu peccati *Lib. VI. c.* 3. *NN. Card. Gotti T. VI. Theolog. Qu. X.* de effectibus peccati originalis. & *Gonet disput. VII.* de peccat. origin. *art.* 7. §. 3. & *alios.*

(b) *Patres, qui prò laudata Sententia steterunt, sunt S. P. Augustinus* in Enchiridio 26. & 93. lib. V. contrà Julianum *cap. II.* Serm. XIV. de verbis Apost. *sup. laud.* lib. XXI. de Civitate Dei *c.* 12. & 36. & *alibi pluries, ut praesertim apud Card. Norisium est videre. S. Prosper* in Psalm. CXXVIII. *S. Fulgentius lib.* de Fide ad Petrum *cap.* 27. *Patres Concilii Bizaceni in Sardinia ex editione Jacobi Sirmundi. S. Gelasius in* epistola ad Episcopos per Picenum. *S. Avitus Viennensis* in Carmine ad Fuscinam Sororem. *S. Gregorius M.* Lib. IX. Moralium *Cap.* 12. *S. Isidorus* lib. II. differ. spirit. *num.* 26. *S. Anselmus* lib. de Concept. Virgin. & peccat. origin. *cap.* 22. *S. Haëlredus S. Bernardi contemporaneus* lib. I. Specul. Charitatis.

(c) *Theologi ejusdem sententiae Patroni sunt Gregorius Ariminensis Doctor Parisinus* in II. Sent. Dist. XXX. *Qu.* 3. *Augustinus Musaeus in* Apologetico ad Paulum III. *Abypius Reylof* libro VIII. de Anima *C.* 2. §. 13. *Michaël Paludanus Doctor Lovanienfis* in Epistola ad Conrium Archiepiscopum Thuamensem. *Poncius disput.* 3. *Macedo* de Clavibus *lib.* 4. *c.* 18. *Alphonsus de Castro* Adversùs haereses *V.* Baptismus. *Florentius Conrius Archiep. Thuamens. in in peculiari* dissertatione prò sententia S. Augustini *circà hanc rem, Card. Brancatus de Laurea in Oper.* de novissimis *disp.* 37. *Art.* 7. *n.* 159. & *novissimè Cl. Cardinalis Norisius* in Vindiciis Augustinianis §. *V. quam sententiam probabilem etiam adpellat N. Graveson* de Myster. & Ann. Christi *Dissert. XXI. neque reprobant eam laudati Cardinales Bellarminus, & Gotti, ejò impugnent, sed probabilem adstruunt.*

Digitized by Google

huc usque ex Verbo Scripto, & Tradito, nec non ex definitionibus Conciliorum (solis Theologicis opportunis locis) ad catholicum dogma firmandum laudavimus.

Verùm Patroni confixi sphalmatis variis objectionibus veritatem impetere conantur. Arguunt I. Qui voluntariè se inebriat, si in ebrietate homicidium patret, revera dicitur homicidii reus, quia cùm ebrietas causa sit homicidii, qui voluit ebrietatem, homicidium quoque voluisse dicendus est. Ergò quum mala haec, quae ab Apostolo peccata dicuntur, profluant ex peccato Adami, quod est formaliter voluntarium posteris ejus, voluntaria iis erunt, & revera, peccata. II. Doemones, & damnati revera peccant in inferno: Angeli, & Sancti cum Christo in Coelo regnantes virtuosos eliciunt actus; & tamen non sunt liberi libertate à necessitate, sed à coactione: quum priores sint obstinati in malo, posteriores confirmati in gratia, & utrique necessariò agant. III. Christus Dominus ratione hypostaticae unionis, quae eum reddidit intrinsecè impeccabilem, nullatenùs poterat peccare, & tamen verè & propriè meriti fuit capax; quinimò meritorios exercuit actus, ut ex Verbo Dei scripto, & Patrum concordi ratione universim Theologi docent. Ergò etiam homines in statu naturae lapsae demereri, & peccare possunt, estò non sint liberi libertate à necessitate, sed tantùm libertate à coactione; adeòque eo ex momento voluntaria eis erunt omnia *peccata*, seu rebelliones sensus, &c. quia sunt ex peccato Adae, quod fuit voluntarium eis, utpote Adami posteris, illius labe pollutis.

Ad I. respondeo, quòd Novatores procedunt in falso supposito. Ostensum est nuper, & quidem luculenter, ex Verbo Dei scripto, Conciliorum decretis, & monumentis Patrum, quòd vitia illa naturae corruptae, estò mala sint, quia contraria rationi, hinc sensus rebelliones adpellantur, revera tamen peccata non sunt, sed dumtaxat ex peccato profluentia, incentivum sunt ad peccandum; nec quidem absolutè, & infallibiliter, quum sint etiam motivum exercendae virtutis. At cùm ità res se habeat: quaenam erit conformitas, & proportio eorum ad ebrietatem directè volitam, & homicidium ex eadem velut ex causa procedens? nulla igitur est paritas, proportio nulla. Insuper tunc ebrius in homicidium formaliter influere dicitur, quando vel de facto advertit, & praevidit ex ebrietate homicidium secuturum, vel saltem advertere, & praevidere tenebatur: tunc enim effectus per se non intentus foret volitus in causa per se volita, & intenta, ut Theologi omnes una voce fatentur. At praefata vitia, seu mala (estò sint peccata, quod falsissimum esse iterùm, iterùmque dico) sicut & cetera, quae ab adversariis finguntur peccata ex primigenia labe profluentia, nec fuerunt praevisa, nec poterant praevideri, aut animadverti à posteris Adae, etsi cum Adamo praevaricantibus: quandoquidem advertentia, praevisio, & id genus actiones sunt actus personae operantis ex plena personali libertate. Quum autem in illa primaeva capitali ruina Adamo cadente nullus posterorum personali propria libertate se ad commutabile bonum converterit incommu-

mutabili derelicto, sed dumtaxat peccaverint posteri, qui tunc non aderant, quia eorum voluntates in Adami Capitis voluntarem fuerunt translatae ex Divino imperio, & pacto quoad actum peculiarem, nimirùm observantiae, vel inobservantiae praecepti de non comedendo vetito pomo (alia si commisissent crimina Proto-Parens Adamus, procul dubio nil obfuissent posteris, nec isti peccassent eo peccante): Certè nonnisi ex hoc violato praecepto, ex hac translatione voluntatum posterorum in Adamum, isti primaeva illa labe polluti peccatum incurrunt: quod eo ex momento, quia non est ex personali libertate patratum, estò sit formaliter voluntarium eis, non tamen physicè voluntarium est, sed dumtaxat moraliter, ut universim docent Theologi de Schola; adeòque eadem ex caussa, cetera, quae sequuntur ex Adami peccato, estò peccata sint, (quod certùm, & semper inficior) voluntaria non sunt, & per consequens nec morales defectus privantes hominem gratia, & amicitia Dei. Adamus autem, quia caput omnium hominum erat, & praevidit omnia praefata mala, gravissimum personale crimen commisit; quod postea, quia poenitentia, eaque rigida, delevit, ut constat ex Verbo Dei scripto & concordi Patrum traditione (a), & quidem statim ac *aperti sunt oculi ejus*, idest cognito crimine, nullimodè in culpam ei cesserunt vitia naturae primùm in eo corruptae, sed dumtaxat in poenam.

Ad II. dico cum Angelico Magistro (b), quòd *bona voluntas in Beatis non est meritum, sed praemium, & mala voluntas non est in damnatis demeritum, sed poena tantùm*. Ex quo ne dum enervatur confictum adversariorum argumentum; sed contrà eos retorquetur. Quandoquidem idcircò mala, quae daemones faciunt, peccata censentur, seu potius prosecu-

(a) *II. Ecclesiae Seculo Tatianus quidam natione Syrus discipulus S. Justini Martyris, à quo fidem hausit, strenuè prò fide certavit, donec in vivis fuit Magister. At eo defuncto in varios errores lapsus* Encratitarum *sectae nomen dedit, hos inter hunc admisit, nimirùm*. Adamum non esse salvatum, *quem errorem ex parte propugnavit Rupertus Abbas vir aliunde pius, & doctus, qui ex ignorantia deceptus, dum non admisit ut Canonicum librum* Sapientiae, *de Adamo loquens ait*: Salvatio ejus & à multis liberè negatur, & à nullo satis firmiter defenditur; *quamquam in eo errore pertinaciter non esse perstiendum admonuerit*. Ne quis tamen temerè definiat, constat & hoc (ut Ecclesiastica refert Historia) ab Encratitis haereticis inventum esse, quibus Tatianus auctor extitit. *P. Vega in* Psalm. Poenitentiales *adjeruit tunc primùm Adamum poenitentiam egisse cùm Abelem filium mortuum deflevit, mortisque recordatione rediisse ad cor. Verùm ex eo Tatianum & Encratitas delirasse constat, quia in Libro Sapientiae (quem Canonicum esse de fide est) Cap. X. ubi de Abserna Sapientia est sermo; dicitur*. Haec illum, qui primus formatus est à Deo Pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia. *Ex quo, ut constat, refellitur etiam error P. Vega. Adversùs Tatianum scripserunt S. Irenaeus* lib. V. adversùs Haereses *Cap. XXIV. & sequ. Tertullianus* lib. II. contrà Marcionem *Cap XXV. & in fine*, lib. de Poenitentia. *Origenes* Tract. XXXV. in Evangel. S. Matthaei. *S. Epiphanius* Haeresi XLVI. *S. Ambrosius* Lib. X. in Lucam *Cap.* 33. *S. Hieronymus* Epistola XXVII. ad Marcellam. *S. Augustinus* Ep. ad Evodium CLXIV. *aliàs XCIX. Videsis Interpretes Sac. Scripturae, & N. Natalem* in Historia Veteris Testamenti *Dissert. III. &* Sec. II. Historiae Ecclesiasticae *Dissert. XVII. praecipuè legendus est liber* de salute primi hominis *editus à Philippo Abbate Bonae Spei coaevo S. Bernardo.*

(b) *S. Thom.* in supplem. ad *III. P. Q. XCVIII. Art. 6.* in corpore.

Digitized by Google

cutio peccati, quia ex plenaria cognitione,& absoluta libertate absque ulla passione, & firma adhaesione in malo commiserunt peccatum, ex quo idcircò resilire non possunt, quia sunt in termino: hinc culpa semel admissa cedit in prosecutionem criminum, & in poenam primi sceleris in via patrati cum praevisione malorum, quae in termino patiuntur. At filii Adae viatores sunt, non ex plenaria personali libertate omnis passionis experte, nec cum praevisione malorum inde sequentium peccaverunt: ideò nec crimen eis erit, nec criminis prosecutio quaelibet rebellio sensus ex originaria labe promanans; sed tantummodo poena afflictiva naturae, non infectiva voluntatis, ut ex Apostolo suprà laudato clarissimè constat. Similiter ex eodem Angelico (a) doemones,& damnati *propter hoc non excusantur à demerito, quia necessitatem peccandi habeant, sed quia ad summum malorum pervenerunt.* Ergò etiamsi posteri Adae ex primigenia labe subeant necessitatem patiendi mala praefata, quia tamen sunt in via, adeòque ex sola voluntate personali possunt se convertere ad bonum declinando à malo, & resistere concupiscentiae, ad demeritum non imputabitur illis quaevis rebellio sensus; quinimò ad meritum perducet ipsa iniquitas,dum resistetur ei, & in praelio legitime certantes coronabuntur à Deo. Solùm igitur ea, quae ex libera electione propria & personali, seu ex plenario dominio patrantur, aut bona, aut mala, formaliter sunt talia, & quaelibet alia adserta libertas, nec prodest, nec obest. *Liberi arbitrii*, inquit S.Hieronymus (b) nos *condidit Deus: nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur: alioquin ubi necessitas, nec damnatio, nec corona.* Quod axioma semper commendavit M. P. Augustinus veluti certum naturale principium, & axioma, nobisque Deo authore insitum, & implantatum: quapropter ait, (c) quòd *ista cantant, & in montibus pastores, & in theatris Poëtae, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & Magistri in scholis, & Antistites in Sacris locis, & in Orbe terrarum genus humanum.*

Ad III. respondeo, quòd Christus Dominus, estò ratione hypostaticae unionis fuerit ab intrinseco impeccabilis, fuit tamen perfectè liber, non quidem libertate contrarietatis, quae importat indifferentiam ad bonum & malum; sed libertate contradictionis, quae importat facultatem ponendi & non ponendi actus praeceptos: ex qua libertate elicere potuerit meritorios actus, ut constat ex concordi Patrum & Theologorum doctrina. Quinimò ex eadem facultate contradictionis Deus ipse constituitur liber, hinc liberè, & non necessariò condidit mundum, Sanctos praedestinavit ad gloriam, & cetera id genus opera ad extrà produxit, ut sapienter M. P Augustinus adnotavit, & Juliano Episcopo Eclanensi Pelagiano-

(a) *Idem ibidem ad III.*
(b) *S.Hieronymus* lib. II. contrà Jovinianum.
(c) *S.Augustinus* lib.de duabus animabus,

norum signifero objecit (a). Et Angelicus Doctor rem hanc exactiùs librans, & adcuratiùs examinans, inquit (b) *Velle malum nec est libertas, nec pars libertatis, quamvis sit aliquod signum libertatis.* Et iterùm fusiùs. (c) *Liberum arbitrium sic se habet ad eligendum ea, quae sunt ad finem, sicut se habet intellectus ad conclusiones. Manifestum est autem, quòd ad virtutem intellectus pertinet, ut in diversas Conclusiones procedere possit secundùm principia data, sed quòd in aliquam conclusionem procedat praetermittendo ordinem principiorum, hoc est ex defectu ipsius. Unde quòd liberum arbitrium diversa eligere possit, servato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis ejus. Sed quòd eligat aliquid, divertendo ab ordine finis, quod est peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis. Unde major libertas arbitrii est in Angelis, qui peccare non possunt, quàm in nobis qui peccare possumus.* Qua ex causa paritas ab adversariis adducta nihil obest nostrae adsertioni, praesertim quia ex eorum commento, quae adstruitur libertas, ea vera libertas personalis non est, quia sine ulla indifferentia, absque ullo dominio propriorum actuum, sed dumtaxat est spontaneitas quaedam, seu libertas à coactione, quae competit etiam brutis, imò & rebus omnibus inanimatis, quae nullo cogente faciunt verbum ejus, ut patet in herba sponte germinante, in aqua sponte fluente, &c. ideòque ex vi illius indifferentiae, & libertatis, quae olim fuit in Adamo, nullum vitium corruptae naturae nobis imputatur ad culpam. Quae veritas ità dilucida est, ut etiam doctiores Moderni Protestantes eidem velificentur, liberumque homini inesse arbitrium etiam post Adami peccatum adserant, ex quo solùm peccat, qui voluntariè cum plena indifferentia judicii, & arbitrii vertibilitate, quod malum est, eligit, quod est bonum, omittit. Horum certè principes censeri possunt Jacobus Arminius (d), & Hugo Grotius (e).

EXER-

(a) *Idem lib. I.* operis imperfecti *edito adversùs Julianum S. Augustino coaevum, & adversantem, cujus librum* de Nuptiis, & concupiscentia *quatuor libris impugnavit. Sed cujus Sedis Episcopus fuerit? non leve est dubium*, & sicut olim septem urbes de natali solo Homeri Poëtarum Graecorum Principis contenderunt, ità Juliano septem seu patrias seu sedes Ecclesiasticas assignari video, *inquit Cl. Card. Norisius* in Histor. Pelagiana *lib. I. c. XVIII. Gennadius* lib. de Scriptorib. illustr., *cui adhaeserunt Baronius, Ughellius, Cabassutius, aliique passim*, Capuanum *Episcopum dicit. Gelasius* in decreto de libris apocryphis, & *Beda* Praefat. in Cantica *eundem* Celanensem *faciunt. Petrus Diaconus in fine* lib. de Incarnat. & Gratia *illum* Edanensem *vocat. Vignierius* in praefat. ad opus imperfectum S. Augustini *eundem natum* Celiae *in Apulia dicit. Holstennius* in notis ad Italiam Cluverii, & *Rosweydus* in notis ad carmen 14. Paulini, *Julianum* Celennensem *in Campania dicunt. Nonnulli ex Prosperi depravato* Chronico Atellensem *eam dicunt: est autem* Atella *Neapolim inter & Capuam* Aversa *Italis vulgò nuncupata, ait idem C. Norisius, sed antiqua* Atella *fuit à Romanis destructa. At idem Card. Norisius ex Scaligero, & Pontaco, necnon ex Vossio, aliisque Scriptoribus, & monumentis eundem adserit Episcopum* Eclanensem: *est autem* Eclanum, *seu* Eculanum *antiqua Hirpinorum Urbs Plinio, Ptolomaeo, Ciceroni, aliisque memorata. Sed iterùm contentio, quaenam sit hodie haec Urbs? Alii dicunt eam esse* Frequentum *hodie* Frigento, *alii* Quintumdecimum, *&c. Videsis laudat. Card Norisium, apud quem multa ad eruditionem pertutilia, cujus quoque sententiam hic sequuti sumus.*

(b) *S. Thomas* Qu. XXII. de Veritate *Art. VI.*

(c) *Idem I. P. Qu. LXII. Art. 8. ad 3.*

(d) *Jacobus Arminius* in epistola ad Hippolytum à Collibus inter Epistolas Praest. Viror. CXIV. *fol. mihi* 204.

(e) *Hugo Grotius* in epistola ad Gerardum Vossium *ibid.* Epist. CCLVI. *fol. mihi* 419.

Digitized by Google

EXERCITATIO II.

II. PROPOSITIO.

Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.

EX venenato fonte corruptus profluit alveus, & ex errore nuper explosо velut ex infecta radice lethifer germinat ramus. Ut enim humanae libertatis hostes impossibilia posteris Adae adstruerent Dei praecepta, cunctosque homines necessariò ad culpam adactos ex primigenia labe ostenderent, hanc promulgarunt thesim, veluti priori consixae consectaneam. Quapropter haec eosdem habet patronos ac illa. Lutherus enim ità deliravit. (a) *Scholastici dicunt ignorantiam invincibilem reddere excusabiles, tanta est coecitas in Papae scholis, & Ecclesiis.* Hieronymus Zanghius Luthero-Calvinista, (b) *Falluntur*, ait, *Scholastici, cùm ignorantiam, quam invincibilem vocant, ideò à peccato excusant, quia invincibilis est, ut loquuntur: quamquam evincere possumus eam non esse simpliciter invincibilem, cùm voluntarium Adae sit consecutum*, idque alii pariter docuerunt. Tandem Cornelius Janssenius Yprensis Episcopus (c) secutus Michaëlem Bajum, duplicem ignorantiam admisit, nimirùm eam, quae est juris naturalis, & alteram juris positivi: posteriorem hanc à peccato excusare docuit, secùs verò priorem, & ex eo dumtaxat momento, quia; videlicet, ignorantia juris naturalis ex Adami culpa, & primigenia labe profluxit: cùm ergò ex Adami voluntate voluntaria quoque sit nobis praefata ignorantia, proculdubio ex ejus sensu ignorantia juris naturalis non excusat à culpa, secùs verò ignorantia juris positivi.

Verùm quia res haec magni momenti est, & ad dogmata nedum, verùm ad mores spectat, veluti ad basim totius Christianae Ethicae, super quam solidae probabilitatis structura subsistit, & qua stabilita faciliter novelli probabilismi commentum evertitur; idcircò ne dum confixam thesim profligare oportet, verùm & rem totam plenariè expendere, ab ovo exordiendo, necesse est, debitis opportunisque praenotatis regulis cùm ad intelligentiam terminorum, tum etiam ad doctrinae soliditatem: ex quibus deinde, velut ex solidis principiis, confixus error plenius faciliùsque refelletur. Quapropter primùm differentiam ignorantiarum, quibus homo potest obfundi, expendam: deinde quaenam ignorantia sit superabilis, quaenam verò insuperabilis sit, manifestabo: tandem ad impugnationem confixae thesis deveniam. Et quamvis hìc à consueta mihi praefixa tractandi methodo recedam, tamen non inconsultò, nec ex lubito, sed adpositè, & ex necessitate, ut rectius, nempe, procedam, & firmius impugnem errorem: quare quod olim Hieronymus in vindiciam methodi à S. Matthaeo retentae in Genealogia Christi texenda, primò, nimirùm, enunciato

(a) *Lutherus* in Caput XIII. Genesis.
(b) *Zanghius* lib. I. Tract. Theol. *C. XII. Thes. I.*
(c) *Janssenius* lib. II. de Statu naturae lapsae C. 2.

Digitized by Google

ciato Davide, postea verò Abrahamo, dixit (a) *Ordo praeposterus, sed necessariò commutatus*, in praesentiarum repetam ad variationis methodi mihi consuetae sive defensionem, sive declarationem.

Ignorantia igitur primò dividitur in eam, quae est per modum meræ negationis, & in eam, quae est per modum privationis: hinc est *privativè talis*. Prima dicitur talis, vel quia subjectum incapax omninò est scientiae, vel quia prò aliquo determinato statu notitiae compos fieri non potest; vel tandem quia res aliena est à scientis cognitione, qua proinde absque ullo dedecore potest carere summa scientia pollens. Lapides enim, & cetera id genus, sicut & bruta cognitionis sunt incapacia, adeòque *negativè* absolutè ignorantia dicuntur ex conditione, seu incapacitate subjecti. Pueri itidem prò statu infantiae, & antequam ad rationis usum deveniant, ignorantes dicuntur, etsi anima rationali insigniti, & informati. Demùm ne dum homines, sed etiam Angeli nonnulla ignorant, quae ad eorum statum non pertinent, neque inde subeunt dedecoris notam. Altera ignorantia, seu *privativè* talis, & quae verè, & propriè universim *ignorantia* dicitur, & communi hominum sensu usurpatur, est carentia scientiae in subjecto capaci, & ad sciendum apto; & ut ad mores pertinet, quum aliquis ea nescit, quae scire tenetur, quae propterea ex eo deteriorem in subjecto denotat conditionem, quia hoc ex momento pravae dispositionis, nimirùm, aut errorem subit, aut deceptionem patitur.

Dividitur II. ignorantia in eam, quae est *juris*, & quae est *facti*. Prima est ignorantia legis latae, ut cùm quis e. g. ignorat aut excommunicationem latam adversùs eos, qui aliquam actionem ritè prohibendam exercent, aut legem quamcumque positivam vetantem id, quod jure naturae non est prohibitum. Posterior verò est ignorantia facti, seu circumstantiae, ex quo, vel qua solùm, aut tota pravitas, vel saltem gravior conditio pendet. Qua propter non semel, estò res prohibita sit jure naturae, adeòque omnibus nota, tamen ex eo fuisset vitata, quia copulata graviori circumstantia; verùm ideò vitata non fuit, quia prorsus erat ignota circumstantia legis positivae prohibentis. Qua de causa passim ex nescientia conditionis crimen non est, quod tamen tali conditione stante, & cognita, culpabile foret. Sic Jacob accessit ad Liam credens esse Rachelem, & Judas impudicè cognovit Thamarem, quam non cognovit esse nurum suam. Ideòque ex praefato momento ignorantiae facti, seu circumstantiae, ut universim Theologi docent, vel actio omninò est expers criminis, aut gravitate illa caret, quam secum adfert circumstantia crimini adjecta; seu, ut Theologi de Schola loquuntur, vel in totum, vel in partem excusat ignorantia facti; quòd ex nuper adlatis exemplis luculenter manifestatur. Jacob enim quia legitimo nexu adcessit ad Liam credens eam esse Rachelem, cum qua matrimonium contraxerat, omninò fuit exemtus à culpa. Judas autem, estò à fornicationis crimine haud fuerit immunis, tamen

ab

(a) *S. Hieronym.* Commentar. in Cap. I. Matthaei.

Digitized by Google

ab inceſtus ſcelere fuit excuſatus, quia neſciebat ſcortum illud, cum quo concubuit, eſſe Thamarem demortui ſui filii uxorem. Sic pariformiter excuſatur à culpa intemperantiae, qui neſciens eſſe diem eſurialem comedit carnes, modò tamen aut inadvertentia ſit inculpabilis, aut ignorantia latae legis ſit invincibilis. Quando namque ignorantia facti eſt vincibilis, eadem ratio habenda eſt de ea ac de vincibili ignorantia Juris; & quia jus triplex eſt, nimirùm naturale Divinum, Divinum poſitivum, & humanum, triplex quoque adſignatur ignorantia juris, quam primùm expendere oportet, ut res tota clareſcat: nimirùm perpendendum eſt quando nam, & quaenam ſit culpabilis ignorantia Juris?

Dividitur idcircò III. ignorantia in *vincibilem*, & *invincibilem*. Prima eſt illa, quae viribus naturae, & communibus Dei auxiliis vinci, & ſuperari poteſt. Secunda ex adverſo ea eſt, quae viribus naturae, & communibus Dei auxiliis ſuperari non poteſt. Ut autem utriuſque conditio plenè percipiatur, ſimulque dignoſcatur quaenam ſit illa, quae vinci poteſt, ſecùs verò quae ſuperari non poteſt, adnotandum eſt, quòd univerſim à Theologis ignorantia dividitur in antecedentem, concomitantem, & ſubſequentem. Ignorantia *antecedens* ea eſt, quae omnem voluntatis actum antecedit, quum neque in ſe, neque in ſua cauſſa ſit voluntaria; ideòque, nemine penitùs refragante haec ignorantia dicitur inſuperabilis, inculpabilis, juſta, & probabilis. Nunquam enim obvia fuit menti dubitatio de re aliqua; aut, ſi fortaſsè dubium occurrit, morali adhibita diligentia nequivit ſuperari ignorantia: quapropter rectum mens cognovit, & rationi conſonum, necnon voluntas nonniſi moraliter bonum appetivit. Dum enim rectum tenendum in opere (eſtò ex ignorantia cognoſcentis) voluntati proponitur, procul dubio voluntas id appetit, & homo ità operans nec à lege aeterna Dei declinat, nec peccat, ut cum S. P. Auguſtino (a), & Angelico Doctore (b) Theologi una voce fatentur, & infrà clarius eluceſcet ex impugnatione praeſentis confixae Theſis.

Ignorantia *concomitans* eſt illa, quae merè per accidens, & concomitanter ſe habet ad actum, & nullo modo aut ad faciendum malum, aut ad ceſſandum à bono animum inclinat, aut movet: qua de cauſſa dicitur cauſare voluntarium non poſitivè, ſed ſolùm indifferenter. Sit exemplum: Paratus eſt Titius occidere inimicum, ſi ei occurrat: invincibiliter ignorans eſſe hominem, qui tranſit, ſed certò credens eſſe feram, in tranſeuntem ſagittam excutit, & configit hoſtem, quem invincibiliter ignorabat. Procul dubio actus iſte non dicitur poſitivè formaliter voluntarius, quia non influxit per ſe in homicidium: non poteſt autem dici abſolutè involuntarius, quandoquidem Titius animo, & adfectu homicida fuit, juxtà illud Johannis in ſua Canonica: *Qui odit fratrem ſuum homicida eſt*; quinimò corde homicidio concepto illud exequi

(a) *S. Auguſtin.* Tract. LXXXIX. in Johannem.

(b) *S. Thomas* 1. 2. *Qu. LXI. art.* 2.

Digitized by Google

optabat, qua de caussa si obvium habuisset hostem, sagitta transfixisset eum. Sequitur ergò evidenter, quòd homicidium dicatur Titio voluntarium concomitanter, seu indifferenter, sive habitualiter, ut Angelicus docet (a). Verùm, ut advertunt NN. Martinus Vvigandt, & Marius Diana, idcircò ab Angelico actus iste dicitur *indifferenter*, seu *concomitanter* voluntarius, ut excludatur, nimirùm, actualis influxus, & directus motus voluntatis; secùs verò ad excludendum omnem pravitatis influxum. Quapropter dici debet actualiter conditionatè volitus: quandoquidem ex praeconcepto odio actu fuisset occisus ut homo, si cognitus fuisset ut hostis.

Tandem ignorantia *consequens*, (quae ex communi Catholicorum sententia semper voluntaria est, & peccaminosa) ea est, quae non praeoccupat mentem, sed praesupponit lumen, vel actu quidem, vel in debito, sed ex iniquitate repulsum: quare duplex distinguitur ignorantia subsequens, sicut bifariàm ea potest esse voluntaria, nimirùm directè, & indirectè. *Directè* enim dicitur aliquis velle aliquod ignorare, quando exoptat nescire legem, ut liberius peccet, juxtà illud Psalmi: *noluit intelligere, ut benè ageret*. *Indirectè* verò, quando homo potest & tenetur scire (si enim non teneatur scire, estò vincibilis sit ignorantia, culpabilis tamen non erit) & tamen praetermittit, seu non curat scire. Quae ignorantia propterea ob diversitatem adhibitae negligentiae dicitur vel crassa, vel supina, vel adfectata, vel malae electionis, de qua diversitate hìc verbum non facio, quum ad rem praesentem non spectet. Sicut pariformitèr eodem ex momento de ignorantia juris positivi, ac de ignorantia facti hìc ex professo non loquor. Sicut etiam verbum non facio de ignorantia merè speculativa, quae solùm denotat errorem in intellectu rem aliter ac est in se apprehendente, & sine ullo respectu ad opus; sed dumtaxat de ignorantia *practicè* tali, ut nimirùm habet respectum ad opus ex debito praefati juris adponendum, vel non adponendum, quum simus in materia morum, quam dumtaxat hìc librare fas est.

Similiter ad plenariam cognitionem perfecti usus rationis in homine advertendum est ex Angelico (b), quòd homo potest considerari in triplici statu. In primo enim neque per se intelligit, nec ab alio percipere, seu instrui potest ob defectum rationis, & hic est ante primum septennium, quando ea ex caussa nulli contractui est aptus. II. Status est quum homo quidem ex se ipso ad intelligendum impos est, sed ab alio discere, seu edoceri potest, & ad hunc statum pervenire incipit in fine primi septennii: quapropter tunc pueri ad scholas mittuntur: sicque edoctus aliquem contractum inire potest, ad quem est magis naturaliter inclinatus. III. Status est quando & ab alio doceri, & per se ipsum rem benè potest considerare: Ad hunc autem statum pervenire incipit in fine secundi septennii, quantùm ad ea, quae ad personam ipsius pertinent: qua in re ratio naturalis citius con-

(a) *S. Thomas* 1.2. *Qu. LXI. art. IV.*

(b) *S. Thomas in* IV. *Sent. Dist. XXVII. Qu. II. art. 2.*

Digitized by Google

convaleſcit; licèt multoties ad tantam perfectionem haud perveniat, quia non adhuc in eo eſt perfectè quietata fluxibilitas humorum: quapropter non benè poteſt connectere principia, quae in tali diluculo clareſcunt, ſed veluti in aurora manens primum, obviumque naturale bonum benè cognoſcens ſolùm in primis naturae principiis deficere nequit: in aliis verò inſtructore eget. Quum autem debile hoc lumen confirmatur, undè & perfectè poteſt ratiocinari, tunc etiam ad remotiora ſe extendit, & liberiùs operari poteſt; hinc vota perpetua, & firma emittere poteſt, quod certè in fine ſecundi ſeptennii dumtaxat habetur. Hac igitur notitia praelibata.

Dico I. De primis naturae praeceptis, iiſque communiſſimis, qualia ſunt: *Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris. Deum cole, & ama. Malum eſt fugiendum, bonum proſequendum, &c.* nulla omninò ignorantia invincibilis dari poteſt, ſed ſi quae fortaſsè reperiatur in homine ſanae mentis, & qui ad uſum rationis pervenit, omninò vincibilis eſt, & peccaminoſa.

Haec adſertio defenditur ab omnibus, qui fideles audiunt, eſtque expreſsè tradita in Verbo ſcripto, & univerſim à Patribus docetur: aliqua tamen cùm Divini Verbi, tum Eccleſiae Doctorum monumenta proferam, ut eandem veritatem oſtendam. Apoſtolus quidem ad Rom. I. ait. *Revelatur ira Dei de Coelo ſuper omnem impietatem, & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent: quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtavit. Inviſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quae facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: Sempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas, itaut ſint inexcuſabiles: quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.* Et Capite II. *Cùm enim gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis ſunt, faciunt, ejuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut defendentibus.* In quibus verbis Apoſtolus procul dubio ità dilucidam hanc naturalis legis cognitionem adſtruit, ut nullus de adfectata ignorantia excuſationem obtrudere poſſit. Dicuntur autem Gentiles naturaliter ea, quae legis ſunt, facere, non quòd ſine gratia poſſint naturalem legem implere, ut olim contendebant Pelagiani; ſed quòd ità ſint eis clara naturalia praecepta, ut non egeant ſcripto Verbo ad illorum notitiam obtinendam, & per hoc diſtinguuntur ab Hebraeis, quia iſti inſuper naturalem legem in omnium cordibus inſculptam digito Dei ſcriptam in tabulis lapideis per manus Moyſi receperunt. *Natura enim*, inquit S. Cyrillus Alexandrinus. (a) *per ſeipſam diſcendo, Factore annuente, recepit omnis boni ſcientiam, & per inſitas leges Deus benè commonſtratur, quas omnium cordibus inſculpſit Opifex*: quod pariter antea docuerat Tertullianus (b) dicens. *Omne, quod*

(a) *S. Cyrillus* lib. III. contrà Julianum.

(b) *Tertullianus* lib. de Corona militis *Cap. VI.*

Digitized by Google

contrà naturam eſt monſtri meretur nomen apud omnes : penès nos verò etiam elogium ſacrilegii in Deum naturae Dominum, & authorem. Quaeris igitur Dei legem? habes communem iſtam in publico mundi, in naturalibus tabulis, ad quas, & Apoſtolus ſolet provocare.... Ut cùm ad Romanos natura facere dicens nationes ea, quae ſunt legis; & legem naturalem ſuggerit, & naturam legalem, quod etiam alibi repetit (a). S. Ambroſius pariformiter id adſtruit (b) dicens. *Eſſe autem legem naturalem in cordibus noſtris etiam Apoſtolus docet, qui ſcribit. Quia plerumque & gentes naturaliter ea, quae legis ſunt, faciunt, & cùm legem non legerint, opus tamen legis ſcriptum habent in cordibus ſuis. Ea igitur lex non ſcribitur, ſed innaſcitur; nec aliqua percipitur lectione, ſed profluo quodam naturae fonte in ſingulis exprimitur, & humanis ingeniis hauritur, quam debuimus vel futuri judicii metu ſervare, cujus teſtis conſcientia noſtra tacitis cogitationibus apud Deum ipſa ſe prodit: quibus vel redarguitur improbitas, vel defenditur innocentia.* Adſtipulatur quoque M. P. Auguſtinus docens. (c) *Quomodo illi valeant intelligere nullam eſſe animam, quamvis perverſam, quae tamen nullo modo ratiocinari poteſt, in cujus conſcientia non loquatur Deus? Quis enim ſcripſit in cordibus hominum naturalem legem, niſi Deus? de qua lege Apoſtolus ait: Cùm enim gentes, quae legem non habent, naturaliter, quae legis ſunt, faciunt, hi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis conteſtante conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationum accuſantium, aut etiam excuſantium in die, qua judicabit Dominus occulta hominum.* Idem quoque pluries repetit Aquilinus Doctor (d), idemque una voce fatentur Patres omnes utriuſque Eccleſiae, Orientalis, nimirùm, & Occidentalis, quorum omnium monumentis, ad taedium eliminandum, omiſſis, omittere non lubet S. Gregorii M. teſtimonium ad profligandam molliorum quorundam Caſuiſtarum laxitatem, praeſertim eorum, qui adſerere non erubeſcunt dari poſſe ignorantiam invincibilem circà mollitiem. Ità enim loquitur S. Pontifex (e). „ Creator omnipotens à cunctis inſenſibilibus, irrationalibuſque diſtinctam rationabilem creaturam hominem condidit, quatenùs, quod egerit, ignorare non poterit. Natura enim lege ſcire compellitur ſive pravum, ſive rectum ſit, quod operatur. Nam ad judicium prò actione cur venit, ſi potuit neſcire, quod egit? Et ipſi ergò, qui praeceptis Dominicis erudiri contemnunt utrum bona, vel mala ſint? quae faciunt, ſciunt. Nam ſi bona ſe facere neſciunt, cur de aliquibus factis in oſtentatione gloriantur? Rursùm ſi mala ſe agere ignorant, cur in eiſdem factis alienos oculos declinant? Ipſi enim ſibi teſtes ſunt, quia ſciunt malum eſſe, quod agunt, quod videri ab aliis verentur. Si enim veraciter malum eſſe non crederent, nequaquam hoc ab aliis videri formidarent:

(a) *Tertul* lib. V. contrà Marcionem *C. XIII.*
(b) *S. Ambroſius* Epiſtol. XLI. Ad Irenaeum.
(c) *S. P. Auguſtinus lib. II.* de Sermone Domini in Monte *Cap. IX.*
(d) *S. P. Auguſtinus* lib. de Spiritu, & littera *Cap. XXVIII. & lib. II.* Confeſſionum *Cap. IV.*
(e) *S. Gregor. M.* lib. XXVIII. Moralium *Capit. XVI.*

Digitized by Google

„ darent ? undè & benè per quemdam „ ſapientem dicitur : „ *Cùm ſit timida nequitia dat teſtimonium condemnationi. Sapientiae XVII.* „ Quia dum facto ſuo „ conſcientiam pulſans timor redar- „ guit, ipſa ſibi teſtimonium perhibet „ damnabile eſſe, quod agit. Quo „ contrà per Johannem dicitur. „ *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Deum.* „ Fugiant ergò ini- „ qui humanos oculos, ſemetipſos cer- „ tè fugere non poſſunt. Quia enim „ malum, quod faciunt, noverunt, ha- „ bent teſtem conſcientiam, habent ju- „ dicem rationem ſuam. „ Quibus ver- bis, ut conſtat, omnis laxitas eliminatur. S.Thomae autem monumenta illuſtria ad rem penitius edifferendam hìc laudare omitto, relaturus ea poſt pauca in II. Adſertione, quibus utraque veritas confirmabitur, omniſque laxonum adſertio profligabitur.

Sed objicitur : Si verum utique foret, quòd de primis laudatis naturalibus praeceptis invincibilis ignorantia dari non poſſet, procul dubio de furto haec prae ceteris nequiret admitti, quum furans alteri damnum inferat, quod ſibi non vult inferri. Atqui poteſt ex invincibili ignorantia excuſari aliena rapiens ex hoc, quòd exiſtimet non eſſe malum. Ergò falſum eſt, quòd de primis laudatis praeceptis naturalibus, inter quae illud adnumeratur : *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris*, nulla detur ignorantia invincibilis. Minor probatur. S.Thomas 1. 2. *Qu.XCIV. Art. IV.* ut refert P. Dominicus Viva hìc §. *Et ſanè*, docet dari poſſe ignorantiam invincibilem de praecepto *non furaberis*, quandoquidem ità loquitur : *Lex naturae quantùm ad prima principia communia eſt eadem apud omnes, ſed quantùm ad quaedam propria, quae ſunt quaſi concluſiones principiorum communium, eſt eadem apud omnes, etiam ut in pluribus, ſed ut in paucioribus poteſt deficere quantùm ad notitiam ; ſicut apud Germanos latrocinium olim non reputabatur iniquum, cùm tamen ſit expreſsè contrà legem naturae.*

Reſpondeo quòd re vera ità refert S. Thomae textum P. Viva fortaſsè ex ſuo Platelio exaratum, non verò in fonte luſtratum, ſed re vera S.Thomas ità laxè non ſentit, ſicut in interpolato corruptoque ejus textu à P.Viva relato legitur ; quinimò directè oppoſitum evincitur, ut ex genuino intacto textu manifeſtè colligitur ; hinc vel eo dumtaxat in medium producto, fideliterque tranſcripto, grandioribuſque idcircò characteribus exarato, quod P.Viva detruncavit, & commentum detegitur, & veritas confirmatur. Sic enim ibi loquitur Angelicus in corpore articuli laudati. „ Lex naturae quantùm ad pri- „ ma principia communia eſt eadem „ apud omnes, & ſecundùm rectitu- „ dinem, & ſecundùm notitiam. Sed „ quantùm ad quaedam propria, quae „ ſunt quaſi concluſiones principiorum „ communium, eſt eadem apud om- „ nes etiam, ut in pluribus, & ſecundùm „ rectitudinem, & ſecundùm notitiam. „ Sed ut in paucioribus poteſt deficere, „ & quantùm ad rectitudinem propter „ aliqua particularia impedimenta (ſi- „ cut naturae generabiles, & corrupti- „ biles deficiunt ut in paucioribus pro- „ pter impedimenta) & etiam quantùm „ ad notitiam, & hoc propter hoc, „ quòd ALIQUI HABENT DEPRA-

„ VA-

Digitized by Google

„ VAM RATIONEM EX PAS-
„ SIONE, SEU EX MALA HABI-
„ TUDINE NATURAE, ſicut apud
„ Germanos olim latrocinium non re-
„ putabatur iniquum (cùm tamen ſit
„ expreſsè contrà legem naturae) ut
„ refert Julius Caeſar *in libro de bello*
„ *Gallico* „. Quum ergò ex prava paſ-
ſione, vel ex mala habitudine natu-
rae ratio ſit depravata, nonne lex natu-
rae obliterata eſt ex culpa, adeòque
vel ex hoc omnis invincibilis ignorantia
eliminatur, & formalis culpa firmatur?
Procul dubio, & ex terminis id conſtat,
& apertè clareſcit ex iis, quae adversùs
commentum peccati philoſophici ſuprà
diximus. Obſtinati enim in malis, ha-
bituales, & conſuetudinarii nullum certè
perſentiunt ſtimulum conſcientiae, &
quia in profundum venerunt, contem-
nunt; Sed non idcircò excuſantur, qui-
nimò gravius peccant, ut ex jam dictis
conſtat.

Dico II. In homine rationis com-
pote, dolique capace nequit admitti
ignorantia invincibilis praeceptorum
juris naturae, quae immediatè ex pri-
mis notioribuſque naturae praeceptis
deducuntur; ſed ſi quae fortaſsè igno-
rantia in aliquo reperitur, ea procul
dubio vincibilis cenſeri debet, & cer-
tiſſimè peccaminoſa eſt adſtruenda.

Haec adſertio eſt communis inter
omnes ſolidae Theologiae Doctores,
& probatur evidenter ex eiſdem mo-
mentis, quibus prior adſertio fuit valla-
ta. Quandoquidem eo ipſo, quòd lex
naturae indita, inſita, implantata &
innata eſt in cordibus noſtris, non ſo-
lùm eſt nobis impreſſa, & congenita,
quoad prima, & univerſalia, verùm
etiam quoad particularia principia, quae
ex primis notioribuſque promanant, &
evidenti ratiocinio inferuntur. Quum
ergò ex jam dictis cauſſa naturalis legis
impreſſae in cordibus noſtris nequeat
admitti ignorantia inſuperabilis praefa-
tae legis quoad prima & univerſalia
principia illius, pariformiter eadem ex
cauſſa nequit dari inſuperabilis ignoran-
tia ejuſdem legis quoad ea praecepta,
quae immediatè ex primis notioribuſque
ſequuntur. Hoc totum ità luculenter
oſtenditur ab Angelico Doctore, ut vel
ex hoc uno Theologorum Principe la-
xitas omnis eliminetur. Poſtquam enim
Angelicus (a) divifit praecepta juris na-
turae in ea, quae ſunt communiſſima,
& ea, quae ſunt ſecundaria, ſed ex prio-
ribus illis notiſſimiſque immediatè exor-
ta; docuitque inſuper de primis illis
dari non poſſe invincibilem ignoran-
tiam, ità ſubjunxit. (b) *Quantùm verò*
ad alia praecepta ſecundaria poteſt lex natu-
ralis deleri de cordibus hominum; vel pro-
pter malas perſuaſiones, eo modo, quo
etiam in ſpeculativis errores continguns
circà concluſiones neceſſarias: vel propter
pravas conſuetudines, & habitus corruptos:
ſicut apud quoſdam non reputabantur latro-
cinia peccata, vel etiam vitia contrà na-
turam, ut etiam Apoſtolus dicit ad Roma-
nos I. Sed violatio legis ex mala perſua-
ſione, aut ex pravo habitu ignorantiam
non excuſat à culpa, cùm utrumque ſit
ex perſonali peccaminoſo defectu. Igi-
tur ex doctrina S. Thomae nequit dari
ignorantia invincibilis praeceptorum,
quae

(a) *S. Thomas* 1, 2. *Qu. XCIV. Art. VI.*

(b) *Ibidem* in corpore *articuli*.

Digitized by Google

quae immediatè ex notioribus primisque naturae principiis sequuntur, & profluunt. Quapropter idem Angelicus ibidem (a) ex eo probat non posse de id genus praeceptis dari invincibilem ignorantiam, quia ex Augustino (b) etiam prava conversatio non delet legem Dei è cordibus nostris; ideòque etsi ex pravo habitu, malo exemplo, aliisque id genus momentis non dignoscatur iniquitas pravi operis contrà Dei legem patrati, certè ex eisdem caussis in culpam scelestis cedit ipsum opus contrà Dei legem patratum.

Ut autem omnis cavillatio molliorum quorumdam Casuistarum penitùs profligetur, iterùm ex eodem Angelico Magistro clarius exemplum ex fornicatione desumtum adpono, quod procul dubio & est ex eorum genere, quae ex primis notissimisque praeceptis, veluti consectanea naturalia praecepta, dimanant; & utpote res magis obvia veritatem manifestat in ceteris quibuscumque naturalibus, sed secundi ordinis, praeceptis. Qui enim fornicatur, & juxtà adversae sententiae Patronos ignorat fornicationis crimen, procul dubio nonnisi quatrupliciter potest esse dispositus. I. sic, ut credat fornicationem esse peccatum veniale, sed non mortale. II. ut existimet absolutè non esse peccatum, seu simpliciter ignoret Divina naturali lege prohibitam esse. III. ut sic nesciat fornicationem contrariam esse Divino amori, quòd lubentissimè ab illa abstineret, si tamen sciret per fornicationem se laedere charitatem Dei. IV. tandem itàut revera credat nedum licitam sibi forè fornicationem, sed etiam ad fornicandum esse obstrictum. Atqui in omnibus praefatis casibus ex S. Thoma fornicans peccat, nec ullimodè ex ignorantia excusatur à culpa lethali. Igitur quodcumque excogitetur effùgium, vanum omninò est, & semper lethalis criminis reus est ille, qui etiam ex ignorantia violat praefata consectanea praecepta naturae. Subsumtum ostenditur ex invictis, luculentisque S. Thomae monumentis. Et I. quoad primam partem „ Quandoque „ ait Sanctus Doctor (c) „ error conscientiae non „ habet vim absolvendi, vel excusandi, quando scilicet ipse error peccatum est, ut cùm procedit ex ignorantia ejus, quod quis scire tenetur, & „ potest, sicut SI CREDERET FORNICATIONEM SIMPLICEM ESSE PECCATUM VENIALE: ET TUNC QUAMVIS CREDERET SE PECCARE VENIALITER, NON TAMEN PECCARET VENIALITER, SED MORTALITER. „ Secundam partem idem Angelicus expresè tradit his verbis. „ (d) Dicendum, quòd hoc, quòd non „ habet aliquis conscientiam sui peccati, potest contingere dupliciter. Uno „ modo per culpam suam: vel quia „ per

(a) *Ibidem* in argumento sed contrà.

(b) *S. P. Augustinus lib II.* Confessionum *C. IV. Ubi loquens de furto, quod ex persuasione, & prava conversatione Amicorum ipse commiserat noctu excutiendo piri Arborem, & asportando fructus, haec habet*: Furtum certè punit lex tua Domine, & lex scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas. *Idipsum expressiùs luculentiùsque docet M. P. in* libro de Spiritu & littera *Cap. XXVIII.*

(c) *S. Thomas* Quodlibeto VI. *Qu. VI. Ar. XV.* in corpore.

(d) *Idem III. P. Qu. LXXX. Art. IV. ad V.*

Digitized by Google

„ per ignorantiam juris, quae non excuſat, reputat non eſſe peccatum, quod eſt peccatum (PUTA SI ALIQUIS FORNICATOR REPUTARET SIMPLICEM FORNICATIONEM NON ESSE PECCATUM MORTALE) vel quia negligens eſt in examinatione ſui ipſius contrà id, quod dicit Apoſtolus I. Corinth. XI. *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de de pane illo edat, & de calice bibat*, ET SIC NIHILOMINUS PECCAT peccator ſumens Corpus Chriſti, licèt non habeat conſcientiam peccati; quia ipſa ignorantia eſt ei peccatum. III. Partem idem Angelicus ità luculenter docet, ut nullus poſſit dubitationi ſubeſſe locus. Quaerens enim (a) *Utrum peccatum mortale poſſit fieri veniale?* Sic efformat argumentum prò parte affirmativa. *Peccatum veniale, & mortale ponuntur differre ſecundùm hoc, quòd peccans mortaliter diligit creaturam pluſquam Deum, peccans autem venialiter diligit creaturam infrà Deum. Contingit autem quòd neſciens fornicationem ſimplicem eſſe peccatum mortale, & contrariam Divino amori, fornicatur: ità tamen, quòd propter Divinum amorem paratus eſſet fornicationem dimittere, ſi ſciret fornicando, ſe contrà Divinum amorem agere. Ergò peccabit venialiter; & ſic peccatum mortale poteſt veniale fieri.* Sed tamen ità reſpondet, & oppoſitum ſibi argumentum diſſolvit. „ Dicendum, quòd ſi ſit talis „ ignorantiae, quae peccatum omninò „ excuſet, ſicut eſt furioſi, vel amentis; tunc ex tali ignorantia fornicationem committens, nec venialiter, „ nec mortaliter peccat. Si verò ſit „ ignorantia non invincibilis, tunc „ ignorantia ipſa eſt peccatum, & „ continet in ſe defectum Divini „ amoris, in quantùm negligit homo „ addiſcere ea, per quae poteſt ſe in „ Divino amore conſervare „. Ubi ut conſtat ex oppoſitione ad furioſi, vel amentis ignorantiam, quaelibet alia, quae poteſt ſigi in homine rationis compote, ſemper vincibilis eſt, quodque ulteriùs conſtat ex nuper dictis, & actutùm addendis. IV. P. tandem idem S. Doctor apertiſſimè tradit, dicens: „ (b) Si ratio, vel conſcientia erret „ errore voluntario, vel directè propter negligentiam, quia eſt error circà id, quod quis ſcire tenetur, tunc „ talis error rationis, vel conſcientiae „ non excuſat: quia voluntas concordans rationi, vel conſcientiae ſic erranti ſit mala .... Puta ſi ratio errans „ dicat, quòd homo TENEATUR ad „ uxorem alterius accedere: Voluntas „ concordans huic rationi, vel conſcientiae ſic erranti eſt mala; eo quòd „ error provenit ex ignorantia legis „ Dei, quam ſcire tenetur. „ Idem etiam probat alibi S. Doctor, oſtendens ignorantiam aliquorum, ſi quae adducitur, culpabilem ſemper fuiſſe. Hinc quamvis ex illo Actorum XV. apertè colligatur apud Ethnicos conſuetam fuiſſe fornicationem, velut opus naturae, & innoxiam, qua de cauſſa nulla plectebatur poena, omnibuſque erat permiſſa, tamen & opus hoc illicitum ſua-

(a) *S. Thomas 1. 2. Quaeſt. LXXXVIII. Artic. VI.*

(b) *Idem ibidem Qu. XIX. Art. VI.* in corpore.

Digitized by Google

ſuapte natura declarat, & ignorantiam omninò culpabilem fuiſſe oſtendit, ((a) quod etiam alibi repetit (b)) „ Fornicatio apud Gentiles non reputabatur illicita PROPTER CORRUPTIONEM NATURALIS RATIONIS „. Quo ex momento depravatae naturae in alia peccatorum monſtra deveniſſe Gentiles, quos *Deus tradidit in reprobum ſenſum*, nemo eſt, qui inficias eat, & nemo inſuper eos audeat excuſare eſtò ignorantia devictos. Igitur quivis adinveniatur cavillus, quaecumque in medium proferatur excuſatio, ſemper culpabilis eſt, & vincibilis ignorantia praeceptorum naturalium, eſtò ſecundi ordinis, ſed immediatè ex notiſſimis profluentium.

Dices P. Dominicus Viva haec habet: (c) *Auguſtinus lib. I. de Sermone Domini cap. 29. non audet peccati damnare eum, qui ad declinandam uxoris mortem, uſum illius alteri permiſerat ex judicio erroneo, quòd in tali caſu liceret*. Sed praeceptum de non adulterando eſt ex numero eorum, quae immediatè à primis notiſſimiſque praeceptis promanant. Ergò ſi ex S. Auguſtino de hoc ex peculiari momento poteſt dari ignorantia invincibilis, nimirùm, propter judicium erroneum, pariter, imò potiùs, de aliis Secundae Claſſis naturalibus praeceptis poteſt dari ignorantia invincibilis.

Reſpondeo in primis P. Dominicum Viva erraſſe ne dum in hiſtoria, quam ex S.P. memoriae traditam refert, verùm & in loco, quem laudat: undè integrum M. P. textum exarare non taedet, ut dignoſcatur ne dum P. Viva ex ſuo Platelio fuiſſe hallucinatum; ſed insuper alios fuiſſe pariformiter decepros, dum non benè expenſo S. Patris textu, & ſenſu, exiſtimarunt hac in re aliquando caeſpitaſſe Aquilinum Doctorem. Quaerit enim M. P. ibidem. (d) „ Sed „ tamen utrùm, quod ait Apoſtolus: *mulier non habet poteſtatem ſui corporis, ſed „ vir: ſimiliter & vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier*: poſſit in „ tantum valere, ut permittente uxore, „ quae maritalis corporis poteſtatem „ habet, poſſit vir cum altera, quae „ nec aliena uxor ſit, nec à viro disjuncta, concubere? „ Permitti quidem poſſe abſolutè cenſet, licèt non in Nova Lege, idque probatum oſtendit ex Veteri Lege, quam paulò ante laudaverat. Verùm dum ait non eſſe contrà naturale jus concubitum viri cum aliena ex momento, quod ibidem adprobat, confeſtim ſubdit. „ Sed non ità eſſe exiſtimandum ne hoc etiam foemina viro „ permittente facere poſſe videatur, „ quod omnium ſenſus excludit. „ Deinde ſequenti §. hiſtoriam narrat, & quid ex facto, quod refert, evenerit? manifeſtat. „ Quamquam nonnullae cauſſae „ poſſint exiſtere, ubi & uxor, mariti „ conſenſu, prò ipſo marito hoc facere debere videatur: ſicut Antiochiae „ factum eſſe perhibetur ante (e) quinquaginta fermè annos, Conſtantii „ temporibus. Nam Acyndinus tunc

(a) *S. Thomas* in Diſputatis *Qu. XVII.* de Veritate *Art. IV.*
(b) *Idem 2. 2. Qu. CLIV. Art. II.* in corpore.
(c) *Viva hic T. III. §. II. in calce fol. mihi 38. primae editionis.*
(d) *S. Auguſtinus ibid Cap. XVI. nu. 49. pag. mihi 133.*
(e) *Id accidiſſe ante annum Chriſti 343. optimè adnotarunt PP. Benedictini, quandoquidem hoc Auguſtinus ſcribebat circà An. 393.*

Digitized by Google

„ Praefectus, qui etiam Conſul fuit, „ cùm quendam librae auri debitorem „ fiſci exigeret, neſcio unde commo„ tus, quod plerumque in iſtis poteſta„ tibus periculoſum eſt, quibus, quod „ libet, licet, aut potiùs putatur li„ cere, comminatus eſt jurans, & ve„ hementer affirmans, quòd ſi certo „ die, quem conſtituerat, memora„ tum aurum non exſolveret, occi„ deretur. Itàque cùm ille teneretur „ immani cuſtodia, nec ſe poſſet debi„ to illo expedire, dies metuendus im„ minere, & propinquare coepit. Et „ fortè habebat uxorem pulcherrimam, „ ſed nullius pecuniae, qua ſubveniret „ viro: cujus mulieris pulchritudine „ cùm quidam dives eſſet accenſus, & „ cognoviſſet maritum ejus in illo di„ ſcrimine conſtitutum, miſit ad eam „ pollicens prò una nocte, ſi ei mi„ ſcere vellet, ſe auri libram daturum. „ Tum illa, quae ſe ſciret non habere „ ſui corporis poteſtatem, ſed virum „ ſuum, pertulit ad eum dicens, pa„ ratam ſe eſſe prò marito id facere, „ ſi tamen ipſe conjugalis corporis „ Dominus, cui tota illa caſtitas debe„ retur, tanquam de re ſua prò vita „ ſua vellet id fieri. Egit ille gratias, „ &, ut id fieret imperavit, nullo mo„ do judicans adulterinum eſſe concu„ bitum, quod & libido nulla, & „ magna mariti caritas ſe jubente, & „ volente flagitaret. Venit mulier ad „ villam illius divitis, fecit, quod vo„ luit impudicus: Sed illa corpus non„ niſi marito dedit non concumbere, „ ut ſolet, ſed vivere cupienti. Acce„ pit aurum: ſed ille qui dedit, frau„ de ſubtraxit, quod dederat, & ſup„ poſuit ſimile ligamentum cum terra. „ Quod ubi mulier jam domi ſuae po„ ſita invenit, proſiluit in publicum, „ eadem mariti caritate clamatura, „ quod fecerat, qua facere coacta eſt: „ interpellat Praefectum, fatetur om„ nia, quam fraudem paſſa eſſet, oſten„ dit. Tum verò Praefectus primò ſe „ reum, quòd ſuis minis ad id ventum „ eſſet, pronuntiat, tanquam in alium „ ſententiam dicens de Acyndini bonis „ auri libram fiſco inferendam; illam „ verò mulierem dominam in eam ter„ ram, unde prò auro terram accepiſſet, „ induci. Nihil hinc in aliquam partem „ diſputo, liceat cuique extimare, quod „ velit: non enim de Divinis authoritati„ bus depromta hiſtoria eſt, ſed tamen „ narrato facto, non ità reſpuit hoc ſen„ ſus humanus, quod in illa muliere viro „ jubente commiſſum eſt, quemadmo„ dum antea, cùm ſine ullo exemplo res „ ipſa poneretur, horruimus.„ Hoc, in„ quam, S. P. textu de verbo ad verbum fideliter exarato, & in medium pro„ ducto.

Reſpondeo II. quòd M. P. nullimodè caeſpitavit in jure, nullamque dubitationem incurrit, an fortaſsè ex cauſſa liceat uxori conſentiente viro alteri ſui corporis copiam facere? Sed dumtaxat de veritate hiſtoriae, quam proinde nec reſpuendam, nec admittendam dixit, ſed *cuilibet licere extiſtimare quod vellet*; & ſapienter quidem: *non enim de Divinis authoritatibus depromta hiſtoria eſt*. Cùm enim non ſemel ex fallibilitate, quin ex falſitate hominum non pauca à veritate aliena narrentur, prò certo adſtrui non poſſunt, quae primò narrantur; quod ſecus certè de hi-

Digitized by Google

historia Divino Verbo narrata dicendum omninò est ex veracitate, & infallibilitate Dei revelantis. At quomodo ex his etiam obtorto collo potest Aquilinus Doctor trahi ad sententiam Platelii, Viva, aliorumque, vel existimantium M. Augustinum in hac re caespitasse, vel adseverantium S. Patrem in ea fuisse opinione, ut possit adstrui ignorantia invincibilis in casu praefato? Procul dubio fucus fit tam insigni solidae Theologiae Principi, dum vel primum adstruitur, vel secundum adseveratur. Nonne paullò ante idem Aquilinus Doctor expendens num viro consentiente liceret uxori cum altero concubere, clarissimè, & absque ullo involucro nefas hoc esse dixit: *quod omnium sensus excludit*? Quum ergò omnium sensu refragante id non liceat, quia naturali lege impressa cordibus omnium absolutè prohibetur, quomodo ex Augustini mente poterat ex causa licitum id fieri contrà Apostoli sententiam exprobrantis ineptos laxones quosdam, & impostores (*quorum damnatio justa est*) blasphemantes & oggannientes veluti ab Apostolis, Apostolicisque viris effatum: *faciamus mala, ut veniant bona*, quod diris devovet idem Gentium Doctor ad *Rom. III.*? Qua fronte potest adseverari ab Augustino innoxium declaratum adulterium ex momento vitandae alienae mortis, qui nec mendacium licitum adseruit ex causa servandae castitatis, aut propriae servandae vitae, aut etiam aeternae salutis alteri procurandae? (a) Injuria certè irrogatur tanto viro etiam dum de ejusdem sententia dubitatur.

Ut autem ab omni injuria vindicetur tantus Doctor, cujus Regulam ex instituto profiteor, cujus sententiam ex debito sequor, cujus Sanctitatem summopere veneror, & filiali devotione confidenter patrocinium ejus imploro, ad veritatem sectandam, & disciplinam tenendam, lubet hìc transcribere integram ejusdem Augustini regulam veluti certam solidamque verae Theologiae basim, ex qua omnis adversariorum cavillus, caespitatio omnis repellatur. Inquit enim M. P. (b) „ Interest quidem „ plurimùm, qua causa, quo fine, „ qua intentione quid fiat: sed ea, quae „ constat esse peccata, nullo bonae „ causae obtentu, nullo quasi bono fi„ ne, nulla velut bona intentione fa„ cienda sunt. Ea quippe opera homi„ num, sicut causas habuerint bonas, „ seu malas, nunc sunt bona, nunc „ mala, quae non sunt per se ipsa pec„ cata: Sicut victum praebere pauperi„ bus bonum opus est, si fit causa mi„ sericordiae cum recta fide; sicut con„ cubitus conjugalis, quando fit causa „ generandi, si ea fide fiat, ut gignan„ tur regenerandi. Haec, atque hujus„ modi secundùm suas causas opera „ sunt bona, vel mala; quia eadem „ ipsa, si habebant malas causas, in„ peccata vertuntur: Velut si jactan„ tiae causa pauper pascitur; aut la„ sciviae causa cum uxore concubitur; „ aut filii generantur, non ut Deo, sed „ ut diabolo nutriantur. Quum verò „ jam opera ipsa peccata sunt, sicut

(a) *S. Augustinus in* libris de mendacio, & contrà mendacium *pluries*.

(b) *Idem lib.* contrà mendacium.

Digitized by Google

„ furta, ſtupra, blaſphemiae, vel ce-
„ tera talia; quis eſt qui dicat cauſſis
„ bonis eſſe facienda, ut vel peccata
„ non ſint, vel, quod eſt abſurdius,
„ juſta peccata ſint? Quis eſt, qui dicat,
„ ut habeamus, quod demus pauperi-
„ bus, faciamus furta divitibus; aut
„ teſtimonia falſa vendamus, maximè
„ ſi non inde innocentes laeduntur, ſed
„ nocentes potiùs damnaturis judicibus
„ eruuntur? Duo enim bona fiunt hu-
„ jus venditione mendacii, ut & pecu-
„ nia ſumatur, unde inops alatur, &
„ Judex fallatur, ne homo puniatur.
„ Teſtamenta etiam, ſi poſſumus, cur
„ non vera ſupprimimus, & falſa ſup-
„ ponimus, ut haereditates, vel lega-
„ ta non habeant indigni, qui nihil ex
„ eis operantur boni; ſed hi potiùs
„ à quibus eſurientes paſcuntur, nudi
„ veſtiuntur, peregrini ſuſcipiuntur,
„ captivi redimuntur, Eccleſiae con-
„ ſtruuntur? Cur enim non fiant illa
„ mala propter haec bona, ſi propter
„ haec bona nec illa ſunt mala? Jam
„ verò ſi aliquae immundae, & divites
„ foeminae videantur amatores, & ſtu-
„ pratores ſuos inſuper ditaturae, cur
„ non & has partes, atque artes ſuſci-
„ piat vir miſericors, quibus prò tam
„ bona cauſſa utatur, ut habeat unde
„ indigentibus largiatur, nec audiat
„ Apoſtolum dicentem Ad Epheſ. IV.
„ *Qui furabatur jam non furetur, magis*
„ *autem laboret operans manibus ſuis bo-*
„ *num, ut habeat unde tribuere* (a) *cui opus*
„ *eſt*? Si quidem non ſolùm ipſum fur-
„ tum, verùm etiam falſum teſtimo-
„ nium, & adulterium, & omne opus
„ malum non erit malum, ſed bonum,
„ ſi ea cauſſa perpetretur, ut ſit unde
„ fiat bonum. Quis iſta dicat, niſi qui
„ res humanas, omneſque conatur mo-
„ res, legeſque ſubvertere? Quod enim
„ ſceleratiſſimum facinus, quod tur-
„ piſſimum flagitium, quod impiiſſi-
„ mum ſacrilegium non dicatur poſſe
„ fieri rectè, atque juſtè, nec impunè
„ tantùm, verùm etiam gloriosè, ut
„ in eo perpetrando, non ſolùm ſup-
„ plicia nulla timeantur, ſed ſperentur
„ & praemia; ſi ſemel conceſſerimus in
„ omnibus malis operibus hominum
„ ideò non quid fiat, ſed quare fiat eſ-
„ ſe quaerendum, ut quaecumque pro-
„ pter bonas cauſſas facta inveniuntur,
„ nec ipſa mala eſſe judicentur? At ſi
„ juſtitia meritò punit furem, etiam
„ qui dixerit, & oſtenderit ideò ſe
„ ſubtraxiſſe ſuperflua diviti, ut prae-
„ beret neceſſaria pauperi; ſi meritò
„ punit falſarium etiam, qui ſe ideò te-
„ ſtamentum alienum corrupiſſe do-
„ cuerit; ut ille haeres eſſet, qui fa-
„ cturus inde fuerat eleemoſynas lar-
„ gas, non ille, qui nullas; ſi meritò
„ punit adulterum, etiam qui demon-
„ ſtraverit miſericordia ſe feciſſe adul-
„ terium, ut per illam, cum qua fecit,
„ de morte hominem liberaret? Poſtre-
„ mò ut ad rem, de qua quaeſtio eſt,
„ propiùs accedamus, ſi meritò punit
„ eum, qui foeminae alicui Priſcillia-
„ niſtarum turpitudinis conſciae pro-
„ pterea ſe adulterino concubitu mi-
„ ſcuit, ut ad eorum latebras perveni-
„ ret: obſecro te, cùm dicat Apoſto-
„ ſtolus Ad Roman. VI. *Ne exhibeatis*
„ *mem-*

(a) Sic MSS. editi, verò unde tribuat, *ex nota PP. S. Mauri.*

Digitized by Google

„ *membra arma iniquitatis peccato* ; & „ ideò nec manus, nec corporis genitalia, nec alia membra flagitiis exhibere debeamus, ut Priſcillianiſtas invenire poſſimus, quid nos lingua, „ quid totum os noſtrum, quid organum vocis offendit, ut haec exhibeamus arma peccato, tantoque peccato, ubi Deum noſtrum, ut Priſcillianiſtas apprehenſos ab ignorantiae blaſphemiis eruamus, ſine excuſatione ignorantiae blaſphememus? „ Quum ergò ità loquatur Auguſtinus, quiſnam poterit de illius mente dubitare, niſi Pyrrhonicam ganeam ructet? Haec S. Pater ſcripſit diù poſtquam librum *de Sermone Domini in Monte* publici juris fecerat(a). Luculenter igitur ſuam mentem aperuit. Quòd ſi forte fortuna volens & ſtudens moroſus Criticus aliter divinare contenderit nodum in ſcirpo quaerendo ut ſcrupulos deponat, & decipulas projiciat ex tam ſolida dilucidaque M. P. norma, & regula Ethicae Chriſtianae plenè convincitur, & ex Chronotaxi editionis (in Patrum ſcriptis jure ſummo adrendenda). Tandem ut veritati collum ſubmittat, nobiſcum, imò cum Eruditis omnibus (b) ſentiendo, obſtringitur praecipuè, quia M. P. nec in *Retractationibus* ſenſum ſuum hac de re traditum in libro *de Sermone Domini in Monte* expendit, ut de aliis inibi contentis fecit, adeòque nec eminùs volitantem adverſariorum cavillum digito monſtravit.

Subjunxit utique ibi M. P. *Sed tamen narrato facto non ità reſpuit hoc ſenſus humanus, quod illa muliere viro conſentiente commiſſum eſt, quemadmodum antea cùm ſine nullo exemplo res ipſa poneretur, horruimus.* Sed quid prò adverſariis? Numquid ne quia exemplo faciliùs ruitur, erit innoxia culpa? Certè non ità horreſcit animus facto audito, dum priùs nullo extante facto vel nomen ipſum iniquitatis deteſtabatur: quinimò ex prava converſatione ità depravari naturam, ut aſſueſcat ſceleribus illis, quae omnium ſenſus excludit, manifeſtum eſt ex eo, quod Angelicus tradit: conſtat inſuper ex Apoſtolo, quem idcircò S. Thomas laudat, & nil clarius, nil magis obvium occurrit, aut in hiſtoria Veteris Teſtamenti, aut in reliquis quibuſque prophanis, ut reticeam, quae in Eccleſiaſtica hiſtoria percenſentur. Verùm nemo, qui fidelis, nemo, qui ſapiens audit, vel per jocum adſerere audet excuſari à crimine delinquentem ex alterius facto, alteriuſve exemplo ruentem: quinimò vel ex eo gravius peccare idem Auguſtinus

(a) *Librum contrà mendacium Auguſtinus ſcripſit anno* 420 *ut ex PP. San-Mauraeis ibidem.*

(b) *Praecipuè N Natalis Alexander* Theol. Dogm. Moral. *T. II* De VI. Decalogi praecepto *Art.* 2. *Author Opuſculi Gallice* Confutation des Critiques de Monſieur Bayle. *Conſtantinus Roncaglia in* Diſſertat. XXIX. Sec. I. Hiſt. Natal. Alexandri. *Videſis etiam* Bibliotheque Raiſonnée des ouvrages des Savans *T. III. p.* 71. 79. *& ſuiv.* 83. *& 85. adversùs binos moroſos Criticos de Novatorum Grege Bayle, & Barbeyrac.*

Digitized by Google

ſtinus teſtatur : *Audiunt*, inquit, (a) *malè* (b) *audientes, & quaerunt ſibi patrocinia peccandi ; attendunt unde defendant, quod committere paraverunt, non unde caveant, quod non commiſerunt, & dicunt ſibi, ſi David cur non & ego ? Inde anima iniquior, quae cùm propterea fecerit, quia David fecit, ideò pejùs, quàm David fecit.*

Id confirmatur ex eodem Auguſtino, qui in libro *de Fide & operibus* (longè poſt laudatum ſermonem edito (c)) cap. VII. Nefas eſſe adſtruit in Eccleſia vel ſomniare tam deteſtabile commentum. *Abſit ergò, ut ſenſu planè non humano, ſed planè vano ſic doleamus, cùm flagitia corriguntur, tanquam connubia dirimantur : maximè in Civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus, hoc eſt in Eccleſia, ubi nuptiarum non ſolùm vinculum, verùm etiam Sacramentum ità commendatur, ut non liceat viro uxorem ſuam alteri tradere : quod in Republica tunc Romana, non ſolùm minimè culpabiliter, verùm etiam laudabiliter Cato feciſſe perhibetur.* Res igitur nova haud erat, de qua potuiſſet Auguſtinus dubitare, quum jam ab antiquis retrò temporibus id in Catone execrata fuit Eccleſia tota, & inter cetera Ethnicorum flagitia deteſtati ſunt omnes Chriſtifideles. Quid ſi inſuper addas, quae Auguſtinus contrà Academicos ſcripſit ad eorum deliria deridenda ? Nonne ex eorum probabilitatis commento uti licita ab eis adſerenda adulteria contrà eorum famam, & conſcientiam ad anguſtias eos deduxit, ut vel ex eo probabilitatis Pyrrhonicae ſphalma deteſtarentur : ne videlicet aliquo in caſu licitum fore adulterium adſtruere cogerentur, quod omnium plane ſenſus excludit ? Citrà omnem dubietatis aleam ex hiſce Auguſtini locis, & monumentis evidentiſſimè conſtat numquam S. Doctorem ea de re dubitaſſe, ſicut caeſpitantem eum adſerunt, qui ejuſdem doctrinae fucum fecerunt. Et haec ſatis ad vindiciam doctrinae M. P. & veritatis manifeſtationem. Ad ulteriora ut procedamus oportet.

An autem de praeceptis naturalibus remotiſſimis, ſeu de concluſionibus remotè deductis ex primis, primòque notis principiis naturalibus, & de quibus univerſim Theologi contendunt, dari poſſit ignorantia invincibilis, eaque *practicè* talis ? (de ignorantia *ſpeculativè* tali nulla eſt quaeſtio, dubium nullum, praeſertim quum ea non ſint, de quibus hìc, & nunc conſilium praeſtandum occurrit, hinc ad praxim opinio reduci non debet) magna eſt inter Theologos, eoſque primi nominis controverſia, & duplex è diametro oppoſita ſententia.

Prima enim adſtruit poſſe dari, & reapſe admittendam eſſe invincibilem ignorantiam *practicè* talem de concluſionibus per diſcurſum, & remotè ex primis naturae principiis deductis, ſeu de praeceptis naturalibus tertii ordinis ; habetque prò ſe, ultrà Caſuiſtas univerſim con-

(a) *S. Auguſtinus* Enarratione in Pſalmum L.

(b) *Codices* editi *univerſim habent* malè viventes. At MSS. magno conſenſu ferunt, *malè audientes*, intellige, vel qui verbis caſtigantur, vel qui id exempli non ſalubriter audire ſolent *ex nota PP. BB.*

(c) *Librum* de Fide, & Operibus *S. Auguſtinus ſcripſit circà An. CCCCXIII. ut PP. BB. adnotarunt, adeòque viginti annis poſt laudatum Opuſc.* de Sermone Domini in Monte.

Digitized by Google

consentientes, Patronos illustres clarissimosque Theologos (a) cùm exteros, tum nostrates, quibus hodie universim auxiliares porrigunt manus ceteri de Schola Theologi, qui solidae doctrinae operam navant, & probant. Quia cùm Deus impossibilia non jubeat, ut ex M.P. docet Tridentina Synodus, & contrà Novatores diffinivit (b), procul dubio si nulla admitteretur invincibilis ignorantia de praefatis praeceptis remotè distantibus à primis communissimisque naturae principiis, impossibilia nobis praeciperet Deus, cùm facillimè possit homo rationis compos, & communibus gratiae auxiliis adjutus in eis errare: quinimò erraſſe non semel doctissimos piissimosque viros, etiam Primores Ecclesiae Patres prò comperto est apud Eruditos. Ne igitur in Jansenianum, Calvinianumque errorem descendamus, oportet, ut adversae sententiae, quae rigida nimis est, nuncius mittatur. Similiter ex Angelico Doctore circà praefatas conclusiones homo indiget instructione ne erret. Igitur non ex interno dictamine, signatoque super nos claro lumine defertur in eas, & per consequens facillimè potest errare. Errat autem quia eo caret lumine, quod requiritur ad exactius criterium; adeòque invincibilis erit ignorantia ejus, & nullimodè ad culpam imputabilis, utpote quia medio ad cognoscendum apto caret, ut ex suprà adnotatis clarissimè constat. En S. Thomae doctrinam luce meridiana clariorem ad nubilum omne fugandum. Ait enim Angelicus: (c) *Quaedam sunt, quae statim per se ratio naturalis cujuslibet hominis dijudicat esse facienda, vel non facienda (sicut honora Patrem tuum & Matrem, non occides, non furtum facies) hujusmodi sunt absolutè de lege naturae. Quaedam verò sunt, quae subtiliori ratione à sapientibus judicantur esse observanda, & ista sunt de lege naturae, ut tamen indigeant disciplina, qua minores à Sapientibus instruantur: sicut illud coram cano capite consurge, & honora personam senis, & alia hujusmodi. Quaedam verò sunt ad quae judicanda ratio humana indiget instructione Divina; per quam erudimur de Divinis, sicut est illud non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem.* Quum enim in remotioribus indigeat homo instructione, certo certius ex hujusce defectu

(a) *Patroni hujus sententiae sunt Curiel T.II. Qu.LXXVI.* de Ignorantia *Art.* 2. *Collegium Salmanticense* Tract. XIII. de vitiis, & peccatis *Disp. XIII dub. I. § 3. nu.15. Gabriel à S.Vincentio Disputat. XV. dub. I. Qu. VI. Christianus Lupus Ord. Eremit. S.P. August.* in dissertatione de opinione probabili, *Suarez* lib. II. de Legibus c. 8. *num 7. Vazquez* 1.2. *Disp.* 122. & *Thyrsus Gonzalez Generalis Societatis* de recto usu opinion. probabil. *Dissert. XI. Franciscus Henno Ordin. Min.* Tract. de Actibus humanis *Disp* 2. *Qu.VIII. Franciscus Sylvius Doctor Duacensis, & insignis Thomista* in Commentario S. Thom. 1. 2. *Qu.LXXV. Art.* 4. *Ex Nostris autem Dominicus Soto* lib. I. de justitia, & jure *Qu.* 4. *Art.* 4. *Jo: Conradus* de Contractibus *Q.C. Bartholomaeus Medina* 1. 2. *Qu.LXXVI. Art.*2. *Concl.* 3. *Marcus Serra ibidem*, *Julius Mercurus Inquisitor Mantuanus* lib. de praxi opinion. probabil. *Vincentius Baronius in poster. parte* manuductionis ad Theologiam Moralem *disp.* 4. *sect.I. §.ultim. Johannes Baptista Gomez* de Legibus *Tract. VI. Natalis Alexander* Theol. Dogmatic. Moral. *lib.* 3. de Peccatis *Reg* 67. *Franciscus Vansaft in expunctione hujus Thesis, & novissimè bis non immeritò adcenjendus est insignis Canonicus Insulatus Neapolitanae Ecclesiae D. Julius Nicolaus Tornus, qui ex peculiari sua devotione Ordini nostro adsiliatus, & Thomisticae doctrinae ὑπέρμαχος*, in notis ad Estium lib.II. Sentent. *Dist. XXIII. §. XV.*

(b) *Concilium Tridentin.* Sessione *VI. C. XI.*

(c) *S. Thomas* 1. 2. *Qu.C. Art.*1.

Digitized by Google

ctu poteſt homo errare, & conſequenter ejus ignorantia inculpabilis erit. Cetera autem, quae à Patronis hujuſce ſententiae laudantur, monumenta Patrum, apud eoſdem Theologos conſuli poſſunt, cùm nobis jam dicta ſufficiant.

Altera autem ex adverſo oppoſita ſententia omninò inficiatur inſuperabilem hanc ignorantiam in praefatis remotiſſimis naturae praeceptis per inlationem ex primis notiſſimiſque deductis, & habet prò ſe non ignobiles Patronos, cùm exteros, tùm noſtrates, Veteres & recentiores: quamvis non omnes, qui ex antiquis laudantur, verè prò hac ſententia militent, qui nimò ex adverſo prò mitiori ſententia (ut conſuevit in hiſce diſſertationibus) referuntur à Theologis recentioribus (a), nec ſiculnea momenta jactat ad confirmationem adſerti. Ex iis autem praecipuum eſt illud, quod efformatur ab eis, & in medium producere lubet. Jus naturae, quantum quantum eſt, jus naturae eſt. Sed ex Sancto Thoma, quantum quantum eſt jus naturae indirum eſt cordibus hominum, in eorumque mentibus promulgatum, vel ex eo, quòd Deus naturae Author horumce animis jus naturae inſeruit. Ergò ſtante tali implantatione, & promulgatione, ſi quae fortaſsè circà eadem remota praecepta ignorantia occurrit, procul dubio ea eſt ex culpa perſonali hominum, qui in poenam peccati ea Divina gratia privantur, qua poſſent ex primis notiſque principiis concluſiones illas inferendo cognoſcere. Idque ad firmandum varia laudant S. Thomae monumenta, quae cùm facillimè ex dictis, & ex contextu poſſint diſſolvi, hìc ex conſilio reticeo.

Quid ergò haſce inter adverſas theſes poſitus dicerem: diù ſuſpenſus manſi. Priori terga vertere rigidum nimis exiſtimabam, Poſteriorem omninò repellere, & ex propoſito impugnare alienum ex parte à veritate. Sed tandem re benè librata, & utriuſque momentis penitiùs rimatis, diligenterque appenſis, mediam viam eligere decrevi, ut probabilius, quod tenendum mihi ſtatui, traderem, & rigorem, à quo declinandum decrevi, repellerem ad conſcientiarum levamen; remque totam cum Sapientibus conlatam, probatamque à viris Doctis, hoc modo peragere ſtudui, ut nimirùm ſoſpite utraque ſententia manente, alio ex momento invincibilem ignorantiam in praefatis praeceptis ſartam tectam ſervarem, & poſte-

rorem

(a) *Prò hac ſententia referuntur ex Veteribus Hugo Victorinus, Alexander de Hales, S Bonaventura, Guillelmus Pariſienſis, Joban. Gerſon, qui re vera, id tradit, &* Lectione IV. de Vita ſpirituali corollario 3. *banc ſententiam dicit eſſe communiſſimam. Hadrianus in IV. & alii exteri, ex eiſque recentiores omnes, qui ſtrictiorem tenent viam. Ex NN. autem B. Albertus M. in* II. Sentent. *Diſt. XXII. Art. 7. &* 10. *S. Raymundus II. P.* Summae *Tit. de* Praeſcriptione, & uſucapione §. 33. *Caprevolus in* II. Sentent. *Diſt. XXXIX. Qu. I. Petrus de Paludе in* III. Sentent. *Diſtinct. XXXVIII. Qu. I. concluſ.* 3. *S. Antoninus* II. P. Summae *Tit. V. Cap.* 9. §. 1. *&* 2. *Card Cajetanus* 1 2. *Q LXXVI. qui tamen ſicut ſubtiliter, ſic implexè nimis loquitur, ut advertit laudatus Canonicus Tornus, ubi ſup. Ex recentioribus NN. Vinc. Conteſon* in Theol. mentis, & cordis *lib. VI. Diſſ. III. C.* 1. *Norbertus Delbecque* Tract. de advertentia requiſita ad peccandum *Art.* 3. §. 1. 2 3. *&* 4. *qui etiam ſibi alios ex relatis prò ſententia oppoſita adſciſcit. Marius Diana* De ignorantia juris, & facti *P. II. Cap. VI.* §. 1. *& ſeqq. quibus facillimè adhaeret Hyacinthus Amat de Graveſon in* Hiſtor. Veter. Teſtamenti *Colloqu.* 2.

Digitized by Google

riorem sententiam priori sociatam, emollitamque, juxtà ingenioli mei vires, prò meo tamen virili, explicarem, & publici juris facerem.

Dico igitur, quòd in remotioribus hisce conclusionibus ex notissimis illis principiis deductis, & illatis facillimè possunt ne dum rustici stivae addicti, & mulieres colo deditae; verùm etiam sapientes, iique pii, errare, quorum tamen ignorantia omninò sit inculpabilis, ex hoc nimirùm momento, quia in adplicatione, & inlatione praefata errant in facto, etsi non errent in jure. Posse autem dari ignorantiam in facto, etiam circà jus naturae, nemo est qui ambigat, & facillimè ex Patrum doctrina probari potest, nec ullus Theologorum inficiatur. Sed dum praefatus error in conclusionibus illis remotis invenitur, procul dubio est in adplicatione principii, & ex varia circumstantia, quae occurrere potest; adeòque in facto: cùm in facto ex novitate circumstantiae jus naturae primum & notissimum, quod omnes callent, non omnes sciant adplicare, sed ii dumtaxat, qui peculiari lumine, & acie mentis, uberiorique gratia sunt insigniti. Igitur ex eo, quòd errant in facto eorum ignorantia omninò invincibilis, & consequenter inculpabilis erit. Sit propatulum exemplum, cujus instar ceteri id genus casus explicari optimè possunt. Milites dum in bello vulneratos, semivivos, & animam agentes socios in terram dejectos reperiunt, etsi praeproperè festinent, omni tamen adhibito studio, vel gladio confodiunt eos, vel alio modo eos tollunt è vivis, & procul dubio sic agentes non peccant, quum ex charitatis momento id agant; existimantque insuper se rem gratam Deo, & miseris illis facturos, à quibus etiam ad id peragendum efflagitati fuerunt antequam bellum iniretur, invicem sibi de hac re sponsione praestita, & juramento firmata. Atqui tunc non eis occultum est jus naturae prohibens occisionem insontis: benè illud callent: & si interrogarentur, sine ulla caespitatione proferrent. Igitur dum ità operantur certè errant in facto existimantes in praefata circumstantia non occidi, seu non injustè vita privari fratres, sed charitativè sublevari, quos aliter eripi non permittitur: nimirùm ne infelices, qui ceciderunt in bello, pedibus equorum supervenientium conculcati, miserèque discerpti in desperationem acti infoeliciùs claudant lumina morti. Quinimò superstites, qui vulneratos, & in agone mortis positos socios sic enecant, id certè agunt, ut infelicium sociorum provideant aeternae saluti, quae procul dubio vitae est praeponenda; & tunc potiori quidem jure, cùm temporalis salutis spes non effulget, ut in casu. Adeòque in facto non labefactant, non violant jus naturale, sed custodiunt. Idque confirmari potest ex eo, quod Patres suprà laudati (a) adseruerunt circà licitum usum mendacii levis, & officiosi in casu, & causa magni momenti.

Similiter ex eo ostenditur nostra sententia. Homines, ut homines, & quia homines, fallibiles sunt, & errori obnoxii. Ergò etiam in adplicatione primorum naturalis juris principiorum:

(a) *Vide* Exercitationem XIII. *T. II. fol.* 138. *ad not.* 1. *col.*

quum in praefata illatione facillimè possint hallucinari in facto, quando ex peculiari momento res aliter adparet, & dum seorsim, ac absolutè principium adtenditur. Quapropter etsi sint docti, quia homines sunt, possunt errare, etiamsi sint justi: quia Deus non tenetur eis peculiare hoc lumen praestare, quod nec unquam se eis daturum promisit; imò non semel, ut magis humilientur, subtrahit etiam iis, qui sibi placere student, & ut M.P. Augustinus loquitur, (a) *ut cognoscant non à se ipsis, sed ab illo esse lucem, qua illuminantur eorum tenebrae*. Errabunt ergò, fallentur, hallucinabuntur, non verò peccabunt. *Nemo* inquit Cl. N Melchior Canus, (b) *quantumvis eruditus, & sanctus non interdum hallucinatur, non alicubi coecutit, non quandoque labitur.* Adde, quòd cùm ex Angelico suprà laudato tunc ignorantia verè culpabilis dicitur, quum ex passione, vel ex malis persuasionibus, pravaque consuetudine Divina Lex removetur è cordibus hominum, quomodo vincibilis dicetur in praefato casu ignorantia, quando ea laborare offenduntur viri justi Deumque timentes, & docti, qui & veritati studeant, & ne errent à Deo lumen exposcunt? Sicut ergò istis ex doctrina Angelici ignorantia in casu non imputatur ad culpam, sic neque ceteris, cujuscumque sint conditionis, damnabilis erit, quum sit defectus naturae, & miseria ex Adami culpa promanans.

Et quamvis jus naturale, quantum quantum est, sit jus naturae insitum, & promulgatum in nostris mentibus: quis tamen ignorat non totum, quantum est, esse nobis promulgatum? Quoad principaliora quidem praecepta per se, & absolutè clarescit; sed quoad remotiores conclusiones non ità: verùm, ut perfectè innotescat, necessaria est magna diligentia, & gratia peculiaris. Docet quidem, & optimè S. Thomas (c), quòd ista remotiora principia, seu conclusiones ex primis principiis deductae in moralibus se habent sicut remotiores conclusiones in speculabilibus, quae adhuc continentur in suis principiis menti nostrae inditis. Quapropter licèt ex primis illis, notioribusque praeceptis inferri possint, tamen quia ex varietate circumstantiarum, aliove quocumque impedimento facillimè homo potest errare, facillimè deficiet in illatione, & adplicatione principii generalis, ac notioris. Ex momento igitur debilitatis hujusce, quae non ex culpa personali, sed ex natura corrupta, utpotè illius miseria, profluit, inculpabilis erit ignorantia praefata. *Ad quam miseriam*, inquit M.P. Augustinus, (d) *justae damnationis pertinet ignorantia, & difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis suae, nec ab isto malo, nisi Dei gratia, quisquam liberatur.* Ne in eam descendamus thesim, quam in Cornelio Jansenio, & Michaële Bajo S. Sedes confixit, & post pauca nos ventilabimus, ex qua, ut constat, impervia sit etiam Deo dilectis semita Paradisi.

Ut autem rigidiores quique ex adverso

(a) *S. Augustin.* lib. II. de peccatorum meritis *Cap.* 19.
(b) *Melchior Canus* de Locis Theol. *lib. VII. Cap.* 8.
(c) *S. Thomas* 1. 2. *Qu. C. Artic. I.*
(d) *S. P. August. lib.* de libero Arbitrio *C.* 9. *& lib. I.* Retractationum.

Digitized by Google

verso ſtantes Theologi nobiſcum ſentiant, aliqua in medium producere lubet exempla, ex quibus firmentur, quae hucuſque diximus, ipſiſmet prò Tribunali ſedentibus, modò tamen Janſenianam non adſumant togam, & modò eam feralem non proferant ſententiam, qua ad Tartara detruduntur vel ipſimet heroes, quos Eccleſia colit, & quos ipſimet venerantur ut Sanctos, aut ſaltem nullam in eis caſtigandam culpam adfirmant; praecipuè cùm laudati viri, quos Judices facti advoco, ſint docti piique Romanae communionis homines, quique Janſeniano commento viriliter anathema dicunt. Et nonne XI. Eccleſiae Seculo invaluit opinio, quòd uxor virum, à quo crudeliter tractabatur, poſſet deſerere, & ipſo etiam invito vitam monaſticam profiteri: qua profeſſione, uti valida, ſtante, fas eſſet crudeli viro ad ſecundas nuptias tranſire? Id peraperte tradit S. Fulbertus Carnotenſis (a), qui eandem praxim in Epiſcopali Sede ſecutus fuit, ſuaſit, ſervandamque curavit, utpotè Sacrorum Canonum monumentis vallatam. Et tamen eſtò Evangelicae legi adverſa ſit haec opinio; ſummis tamen illius aetatis viris non imputatur ad culpam, ſed ex errore, & ignorantia in facto excuſantur ab omnibus, qui Sapientes, & Catholici audiunt. Nonne S. Norbertus Praemonſtratenſis Ordinis Fundator, & Archiepiſcopus Magdeburgenſis ab omni culpa declaratur innoxius dum, ne injuriam irrogaret vivifico Chriſti Servatoris Sanguini, in quem delapſa erat venenoſa aranea, ſimul cum Deifico poculo araneam deglutivit, quod certè adverſum eſt naturali Divinae Legi, nec non inſtitutioni Chriſti Servatoris, ex qua poculum vitae cedere non debet in venenum, & mortem fumentis? Error quippe in facto, & bona voluntas, ſeu charitas Sancti viri innoxium eum declarant: quinimò Deus ipſe ad indigitandam ſervi ſui ſanctitatem miraculum patravit, ut eum liberaret à morte. Quum enim poſt Sacra peracta Deo gratias ageret, & jam jam ſubiturus mortem ex aranea, quam trajecerat in ſtomachum, ſe praepararet ad exitum, repente, & praeter omnem ſpem, omnemque expectationem ſternendo, per nares exploſit, quam deglutiverat, araneam (b). Nonne Ammon, ſeu Ammonius, quem Cl. Annalium Parens *ſanctiſſimum Monachum* dicit (c), quem itidem prophetiae dono, & miraculorum gloria illuſtrem fuiſſe commemorant Socrates, Evagrius, Ruffinus, & Palladius (d), ne inauguraretur Epiſcopus à Timotheo Alexandrino conclamantibus, & urgentibus fidelibus ejuſdem ſanctitate permotis, forbice ſibi auriculam dexteram praeſcidit, comminatus inſuper amputaturum ſibi linguam

(a) *S. Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus A.* 1005. *clarus in* epiſtola ad Robertum Archiepiſcopum Rothomagenſem.

(b) *In Vita S. Norberti, qui An.* 1134. *evolavit ad Superos.*

(c) *Cardinalis Baronius* Ad Annum Chriſti CCCCXXXV.

(d) *Socrates Evagrius Ruſinus, & Palladius nec non etiam Sozomenus relati ab Kriberto Reſveido in* Vitis Patrum *pag.* 981. *nec non ab Aloyſio Bultau* in Hiſtoria Monaſtica Orientis *lib. I. Capit XV. fol. mihi* 89. *& univerſim à ceteris emunctae naris Scriptoribus, apud quos hiſtoria integra à nobis laudata extat. Hic autem Ammonius ſub Valente ob fidei confeſſionem fuit in exilium relegatus.*

Digitized by Google

si fortasse urgeretur ad supremum Sacerdotium, à quo ex humilitate declinabat? Id certè ab eo factum tradunt viri summi, nec ex ullo Spiritus Sancti impulsu, (ad confutationem cujuscumque cavillationis) nec ullus tamen eum criminari audet, estò contrà naturale praeceptum actio fuerit ex sui natura. Solùm ergò ex eo, quòd aliter sibi agendum suaserit in peculiari hoc casu ad humilitatem servandam, & ad fugiendum periculum aeternae salutis sibi imminens ex onere Angelicis humeris formidando, error in facto eum ità excusavit à culpa, ut nullimodè, vel per jocum, possit traduci vir sanctus, & nimiùm doctus in Divinis Scripturis, & Patrum lectione eruditus. Id genus innumera occurrunt in Ecclesiastica historia, praecipuè illud Marci Eremitae, qui ne ad infulas raperetur, pollicem dexterae sibi amputavit. Ex quibus omnibus apertissimè colligitur, quod hucusque diximus, errare posse etiam viros doctos, & sanctos circà remota praecepta naturae errando in facto.

Neque ullum facessunt negotium, quae ex adverso opponunt rigidioris sententiae Patroni, & praecipuè Norbertus Delbecque, vir alioquin eruditus, qui ut à Philosophismo confixo recederet, strictius, quàm par est, sensit, & scripsit. I. namque laudatus author prò se retulit Patres Ordinis nostri Sanctorum Albo adscriptos, & inter illustriores Theologos recensitos, nimirùm B. Albertum M. S. Raymundum, & S. Antoninum, quorum verba cubitalibus ferè litteris expressit, ut praeriperet palmam. Verùm ad rem non facere illorum monumenta manifestum est, & acu tetigi eosdem in fonte lustrando. Quandoquidem nil aliud viri illi summi docent, nil aliud inculcant, quàm nobis universim inditum esse lumen naturae, obliterari non posse praecepta insculpta in cordibus nostris; adeòque nec ignorantiam invincibilem circà ea posse admitti: quia, ut saepius repetunt, signatum est super nos lumen vultus tui Domine, seu, ut explicat S. Antoninus *I. P. Summ. Tit. V. §. 1. & 2.* relatus à Norberto Delbecque, *vultus tuus luminosus*. Quid autem haec, & similia ad fulcimentum rigidioris sententiae? Jam ex Angelico, ceterisque Patribus, & Theologis ostendimus non posse dari ignorantiam invincibilem in jure naturae: Sed num circà remotiora praecepta, quae sunt veluti conclusiones deductae per discursum, & inlationem ex primis illis, notioribusque praeceptis, eadem nobis lux effulgeat, ac circà illa priora? hìc punctus hìc labor est. Nec verbum quidem laudati Theologi ea de re habent, & si quid fortasse ex eis ad rem erui potest, procul dubio, & dumtaxat sequitur ignorantiam insuperabilem nullum habere locum in secundi ordinis praeceptis, quae immediatè ex primoribus illis inferuntur. Idque pariter sensisse Capreolum, Durandum, aliosque Veteres Theologos, quos prò se laudant strictioris systematis defensores, luculenter ostendit Thyrsus Gonzalez.

II. Monumentum, quod ex S. Petro Damiani refert laudatus Delbecque, & nos etiam alibi produximus (a), de Eremita

(a) *Vide Exercitationem nostram XXVII. T. II. p. 296. c. 2.*

Digitized by Google

mita mollitiei addicto ex ignorantia, & jure summo à Deo ad tartara detruso, extraneum omninò esse nemo, qui sapiens audit, ignorat. Quandoquidem mollitiem esse crimen jure naturae vetitum, & naturali ratione ab omnibus cognitum, repugnante, & horrente natura, nec non ad summum praefatum hoc negativum praeceptum esse de numero eorum, quae immediatè ex primis notioribusque praeceptis inferuntur, prò comperto est apud omnes, etsi aliqui minùs rectè, & nimis laxè sentientes adseruerint de hac re posse dari ignorantiam invincibilem, non segregantes Divinum naturale vetitum à ceteris secundi ordinis praeceptis, ut suprà adnotavimus exsibilando laxonum sphalma. Et haec satis ad nostram sententiam propugnandam. Ad impugnationem igitur confixi Janseniani commenti opus est ut gressum faciamus. Sed ante impugnationem praenotare fas est, quòd proscripta thesis hypothetica sit; adeòque nullum prò laxiori sententia momentum ad adstruendam universim ignorantiam invincibilem in jure naturae. Sicut enim si confixa foret haec propositio (quae adhuc falsa est). Etiamsi homo haberet alas volare non posset, non inde inferretur, quòd verum sit hominem esse alis praeditum, ut notum est iis etiam, qui vel per transennam Summulisticas regulas conspexerunt: ità ex eo, quòd proscripta sit à S. Sede adposita damnata thesis. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat à peccato formali*, nullimodè potest inde inferri, quòd detur ignorantia invincibilis juris naturae.

Impugnatur ergò Jansenianum commentum breviter ex M. P. Augustino. (a) *Non tibi deputatur ad culpam, quòd invitus ignoras, sed quòd negligis quaerere, quod ignoras.* Sed ignorantia invincibilis ea est, quae involuntaria nobis est, & poena peccati originalis: quum sit de iis, quae viribus naturae, & communibus gratiae auxiliis scire non possumus; hinc inviti nescimus, quaecumque ignoramus. Ergò eo ipso, quòd foret invincibilis adserta ignorantia, nullimodè nobis imputaretur ad culpam: alioquin impossibilia Deus nobis praecepisset, & ex necessitate homo lapsus foret obstrictus peccatis: quod omninò nefas est dicere, ut ex Tridentino, & Patribus suprà laudatis dilucidè constat.

Eandem Jansenianam haeresim ità viriliter debellavit Angelicus Doctor, ut vel ex eo dumtaxat, velut ex omnium Patrum compendio, & probatissimo Theologorum Principe satis sit monumenta depromere ad confixum sphalma enervandum. Ait enim: (b) *Ignorantia, quae est caussa actus, quia causat involuntarium, de se habet, quòd excuset à peccato, eo quòd voluntarium est de ratione peccati*; & in fine sic concludit: *Si verò sit talis ignorantia, quae omninò sit involuntaria, sive* QUIA EST INVINCIBILIS, SIVE QUIA EIUS, QUOD QUIS SCIRE NON TENETUR: TALIS IGNORANTIA OMNINO EXCUSAT

(a) S. P. Augustinus Lib. de Natura, & Gratia, Cap. LXVII. & de libero Arbitrio Cap. III.

(b) S. Thomas 1. 2. Qu. LXXVI. Art. 3.

Digitized by Google

SAT A' PECCATO. Et iterùm. (a) *Non autem imputatur homini ad negligentiam, si nesciat ea, quae scire non potest: unde horum ignorantia* INVINCIBILIS *dicitur, quia studio superari non potest. Et propter hoc* TALIS IGNORANTIA, *cùm non sit* VOLUNTARIA, *eo quòd non est in potestate nostra repellere eam,* NON EST PECCATUM. *Ex quo patet,* QUOD NULLA IGNORANTIA INVINCIBILIS EST PECCATUM. Turpiter ergò errarunt Jansenius, & Bajus delirantes praefatam invincibilem ignorantiam in jure naturae obnoxiam esse peccato: nec alium certè sunt sequuti, quàm Martinum Lutherum Novatorum Proto-Parentem, qui de ignorantia invincibili sermonem habens, ità effutivit. (b) *Scholastici dicunt invincibilem ignorantiam reddere excusabiles. Tanta coecitas est in Papae Scholis, & Ecclesiis.* A' quo tamen longè abeunt Clariores Protestantes recentiores, praesertim Jacobus Arminius (c), & Hugo Grotius (d).

EXERCITATIO III.

III. PROPOSITIO.

Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.

UBertim Tom. II. Exercitatione II. de recto usu opinionum probabilium egi, quapropter ex ibidem adsertis facillimè posset ventilari praesens confixa thesis, quam Jansenianus rigoris tutioriſmum dumtaxat exaltans venditavit. Tamen quia ad veritatis manifestationem aliqua hic adnotanda occurrunt, quae ad confutationem proscripti sphalmatis non modicùm faciunt, ea omittere non debeo: eodem verò tempore dum adnotando, tueor ab injusta censura systema illustrium virorum, obscuri nominis hostes adgredior: defensivo, ut dici solet, & offensivo dimicans bello; quamvis non cum uno, eodemque hoste conferens arma, sed cum duobus directè oppositis.

Adverto igitur I. quòd P. Dominicus Viva, fortasse nimio fervore adversus rigidioris Theologiae authores percitus, religiosae modestiae transgressus est fines; & ut Jansenianos traduceret, ac pungeret, illustres viros, quos Orbis litterarius suspicit, laudat, exaltat, immeritò traduxit: & fortè fortuna, ut fic dejectis, despectisque probabilioris sententiae Patronis, nobilioriſque studii antesignanis, modernos aliquos Casuistas probabiliſmi larvae addictos magnificaret. Ait enim (e) praesentem confixam thesim *doceri ab his, qui contendunt studio Scripturarum, Conciliorum, Bullarum, ac SS. PP. unicè vacandum, eorumque auctoritati unicè fidendum, neglecto studio recentiorum Scholasticorum, & Moralistarum.* Quapropter dirè falcem immittens etiam in sapientissimos viros de S. R. E. & de litteraria Republica optimè meritos, eos in unum alligat fascinaculum

(a) *Ibidem Art. 2. in calce corporis: idem repetit S. D.* Qu. III. de Malo *art.* 8. & Qu. XI. de Veritate *Art. IV. ad* 5.

(b) *Lutherus* in Caput XII. Geneſis.

(c) *Jacobus Arminius* N. N. *inter* epistolas praestantium virorum LXXXV. *fol. mihi* 157.

(d) *Hugo Grotius* de Jure Belli & Pacis *lib. II. Cap. XX.* § 43.

(e) *P. Viva hic T. III.* Trutinae §. *XVI.* in calce *fol. mihi* 58. *I. editionis.*

Digitized by Google

calum cum Janſenianis ad comburendum; ſuoſque dumtaxat affectas benigniori ſententiae addictos, & ratiunculis affabrè efformandis intentos ſuavi, ſedulaque manu colligens ſervat in horrea. Procul dubio exceſſit P. Viva ſic ſcribens, & ut ejus exceſſus ab omnibus acutangatur, rogo eum. Quum univerſim, & ſine ullo criterio haec adſerat, fortaſsè Janſeniana labe polluti erunt viri ſummi Johannes Morinus, Johannes Mabillonius, Cardinalis Bellarminus, & Melchior Canus, ut ceteros omittam, qui in ſtudio Ethicae Chriſtianae adſtruunt docent inculcant incumbendum eſſe Verbo Dei ſcripto, tradito, & definito, nec non Veteribus illuſtribuſque Theologis? Devovebuntur ne diris S. Thomas, B. Albertus Magnus, S. Raymundus, S. Antoninus, S. Bonaventura, aliique inſignes Theologi, & Canoniſtae, qui praefatis ſtudiis ſedulam navarunt operam, ex eiſque doctrinam ſolidam ad mores componendos tradiderunt? Aut numquid, quia fortaſsè aliqui eorum, qui Sacrae Scripturae, Patribus, Conciliis, & Pontificum Bullis animum adplicuerunt, in praeſentem confixam theſim deſcenderunt, idcircò aut eliminandum eſt ab Eccleſiae tam ſalubre ſtudium, aut recudenda eſt faba in illuſtres Theologiae Heroes, quos immunes ab omni erroris labe excipimus, & veneramur? Apage delirium. Ad caſtra Sectariorum adſtruentium ad tuendam fidem Divini Verbi monumenta facere, & ſolidiora Eccleſia teſtimonia, amandare deberemus inſigniores Cardinales Turrecremata, Hoſium, Polum, Perronium, Gropperum, Bellarminum, Bona, Gotti, alioſque inſignes Purpuratos, nec non Stapletonium, Echium, Albaſpinaeum, Canum, Gravina, Vvallemburcicos Fratres, Petavium, Tapperum, Maldonatum, Boſſuetum, Natalem, ceteroſque illuſtres fidei pugiles, qui ex laudatis monumentis ſacroſancta fidei dogmata adversùs Acatholicos vindicarunt. Quinimò ex delirio Novatorum forent Vitilitigatoribus adcenſendi Primores Eccleſiae Patres Cyprianus, Irenaeus, Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, & alii, qui improbo ſtudio Sacris Scripturis operam navarunt: quod, cùm nefas ſit vel ſomniare, contrà fas & jus eſt, quod P. Viva ſcribit in contumeliam ſolidioris doctrinae Theologorum. Vel ex eo quippe cenſoria virga extendenda eſt in authores hujuſce proſcriptae theſis, quoniam ſi Divini ſcripti Verbi, Patrum, Canonumque monumenta re vera adtento, & non caligante oculo luſtraſſent, in tàm deteſtabile commentum haud declinaſſent: quod propterea venditarunt, quia proprio ingeniolo confiſi, & privato ſpiritu ducti, obtorto collo ad propria caſtra pertraxerunt Patres, quos fortaſsè laudant, vel Canonicos Scriptores, aut inſigniores Pontifices: non ſecus ac Cornelius Janſenius ſibi ea adſciviț monumenta Verbi ſcripti, quae ad rem ſuam non faciebant, & M. P. Auguſtinum ſibi in Patronum elegit, quem tamen habebat oppoſitorem, ut ex jam dictis conſtat, & ex nuper addendis ad Janſenianum commentum plenè exſibilandum conſtabit.

Quae autem ibidem laudatus Viva percenſet ad confutandos probabilioris ſententiae defenſores, quos ſub ve-

ſte

ſte *Tutioriſtarum* flagellat, eundem revolvens lapidem, quem alibi movit prò recentiorum *Probabiliſtarum* ſententia pugnando, & elumbia ſunt, & à vero aliena, quae cùm alibi quoque fuerint impugnata, ab eis iterùm exſufflandis abſtineo. Duo tamen, quae ibi adſertivè pronunciat, velut è cathedra ſedens, & oracula fundens, omittere non taedet, ut unuſquiſque vel ex ungue leonem dignoſcere poſſit, rectumque formare judicium valeat, quaenam ſit tenenda ſententia, & cujuſnam ſint ſoliditatis ex adverſo pugnantes, *Probabiliſtae*, qui dicuntur, & qui *Probabilioriſtae*: quamvis ex decretis Supremi Senatus Venerabilis Societatis, ejuſque illuſtrioribus Theologis affatim alibi hanc veritatem manifeſtaverim contrà ſententiam P. Viva, & ſociorum ejus. Haec enim primò adſtruit. (a) *At quando dubium eſt merè practicum, & non practicè practicum, V. G. Num liceat cum ſola attritione ad Sacramentum Poenitentiae accedere? cùm ſententia favens libertati ſit probabiliſſima, imò etiam moraliter certa, adeòne Doctores communiter cenſeant oppoſitam poſt Tridentinum cavere probabilitate (quamvis prò ea plures DD. adducantur à Suario diſp. 20. de Poen. 5. nempe Magiſtrum ſentent. Hugonem, Richard., Alenſ., Bonav., Gabr., Major, Medin., Adria., Soto) poſſumus, &c.* In quibus verbis, ut conſtat, I. apertiſſimè improbabilem adverſam ſententiam dicit contrà expreſſam Bullam Alexandri VII. datam Romae Anno Dom. 1667. & à me laudatam T. II. fol. 20. II. *Doctores communiter* id adſerere pronunciat, quum ex laudata Bulla id falſum omninò eſſe convincatur, & ex illuſtribus Theologis ex adverſo ſtantibus, quorum opera publici juris facta omnibus ſunt nota, idipſum apertè probetur. Tandem eos ſolùm laudat Doctores, qui ante Tridentinum ſcripſerunt, aequè ac ſi nullus poſt Tridentinum prò neceſſitate contritionis ſteterit, vel laudatos Theologos, qui ante Tridentinam Synodum ſcripſerunt, eadem Oecumenica Synodus nigro theta ſignaſſet, quod omninò commentitium eſſe, vel qui Theologicas Scholas à limine ſalutavit, benè novit.

II. Haec ibidem ſcribit. (b) *Dum quaeritur V. G. An aliquis contractus ſit uſurarius? An aliqua operatio ſit ſervilis, atque adeò die feſtivo prohibita? vel his ſimilia; qui contendunt unicè ſtudendum, ac fidendum Scripturae. CC. & SS. PP. à quibus ſolùm docetur, uſuram jure naturali eſſe prohibitam, & operationes ſerviles jure poſitivo prohiberi die feſto; Vel volunt, quòd quamvis, ſpectato Recentiorum judicio, aliquis, contractus (puta contractus Societatis) probabiliſſimè tantùm dicatur non eſſe uſurarius, adhuc tamen ab eo abſtinendum ſit, eo quod in Scripturis, CC. & Sanctis Patribus non reperiatur hujuſmodi contractum non eſſe uſurarium, & apertè docetur Tutioriſmus, ſeu quòd non liceat ſequi opinionem probabiliſſimam. Vel volunt, quod quilibet marte proprio dijudicare debeat, an ex Scripturis CC. & SS. PP. inferatur*

(a) *P. Viva ibidem §. VII. fol. mihi 50. ubi extant verba omnia à me exarata, & curſivo charactere expreſſa, nec commate quidem variato, etſi grammaticalis error, qui in eis deprehenditur, fortaſſè vitio Typographi ſit vertendus.*

(b) *Viva ibidem §. XVI. fol. mihi 59.*

Digitized by Google

feratur probabiliſſimè hujuſmodi contractum non eſſe uſurarium, etiamſi Doctores doceant oppoſitum; & manifeſtè docent unicuique ſidendum proprio judicio; quod certè, & adverſatur ſcripturae dicenti Proverbiorum 3. „ *Ne innitaris prudentiae tuae.* „ *& Eccl. 3.* „ *In multitudine Presbyterorum* „ *prudentium ſta, & ſapientiae eorum ex* „ *corde conjungere.* „ At haec ab eo ſcripta cùm primùm fidelis quiſque legit, nonne tactus dolore cordis intrinſecùs repetit, quod ironicè Eruditi ingeminant? Heu infoelicia Septemdecim Eccleſiae Secula, quae ſine ullo recentiorum ſcripto miſerè tabuerunt! Sine ducibus iſtis quò aberraſtis Theoſophiae Magiſtri? Sine argonautis hiſce illuſtribus, quàm dirè fuiſtis terra jactati, & alto, non pervenientes ad velleris aurei locum, & praedam? Abſque Ariadnae filo nonne in labyrintho Cretae detentis impervia ſemita fuit? Tunc nulla certitudo moralis in contractibus peragendis, ſecuritas nulla in peculiaribus caſibus poſitivi juris: quum nonniſi ex Scripturae, PP. & CC. monumentis generalis regula tunc affulgeret, quam adplicare in hypotheſi nefas erat, quia proprio ingeniolo erat fidere ſine magiſterio Recentiorum. Haec, inquam, effantur Eruditi, qui ſuaviter deridendo faſtum ignoranter loquentium, per ironiam laudant commentum; at confeſtim Dei zelo adcenſi idipſum uſurpant, & repetunt quod ex adverſo quotquot Sapientes, & de S. R. E. benemeriti audiunt, ac benè audientes linguam ſolvunt, & calamum acuunt contrà liberiores audacioreſque quoſdam Novelli probabiliſmi propugnatores. Vah inſolentem audaciam! Ea ne traducuntur Secula illuſtria, quibus doctrina purior fuit, & diſciplina ſanctior ex Magiſterio Patrum, ex decretis Summorum Pontificum, & ex diffinitionibus Conciliorum? Acatholicorum haec cantilena eſt, non Theologorum. Uſque ad S. Raymundi Epocham, ut etiam Cardinalis Bellarminus adnotavit, (a) Summiſta nullus fuit, nec ulla caſuum concientiae Summa extitit, & tamen ſanctiſſimè Eccleſia fuit recta à Paſtoribus froetis Divino Verbo, Patrum dictis, Pontificum reſponſis, Conciliorumque decretis. Contractus omnes ad trutinam Sanctuarii fuere adpenſi, iique retenti, qui juſti, illi verò rejecti, qui uſurarii, aut noxii erant, ut ex utroque Jure conſtat. Quid foret agendum, quid fugiendum ad Eccleſiae praecepta ſarta tecta ſervanda, ſumma diligentia fuit ſtatutum, omnique laxitate confixa, ut ex innumeris Conciliis conſtat, quorum monumenta, ſicut & Patrum ſententiae extant apud innumeros doctiores Theologos, etiam recentiores, qui ſolidam Chriſtianam Ethicam docuerunt, S. Thomam, nimirùm, S. Raymundum, S. Bonaventuram, S. Antoninum, Gerſonem, Sylveſtrum, Navarrum, utrumque Sotum, Victoria, Natalem Alexandrum, Sanbovium, Ginettum, Merbeſium, Pontaſium, alioſque innumeros. A' S. Raymundo ad finem XVI. Seculi Theologi quamplures differuerunt de pertinentibus ad mores, Summaeque plures fuerunt procuſae: ſed quis ignorat haſce fuiſſe compilatas ex Patrum dictis, & Summorum Pontificum Bul-

(a) *Card. Bellarminus* de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

Digitized by Google

lis, eorumque responsis in Canonico jure laudatis, illosque solidiori prae Recentioribus momento rem totam pertractasse? Id vel ex eo conjici potest, quòd è Recentioribus istis, quibus solemne fuit novellae probabilitatis systema, quàmplures in eas descenderint laxas corruptasque opiniones, quas Apostolico fulmine confodit Romana Sedes veritatis Magistra, Antiquitatis venerandae cultrix, Sacrorum Canonum Custos, Divini Verbi legitima interpres, ut constat ex jam explosis thesibus à me hucusque impugnatis. Repetunt idcircò, & ad rem, universim omnes, qui Probabilioriſmum tuentur. *Ne innitaris prudentiae tuae*. Proverb. III. *In multitudine Presbyterorum prudentium sta, & sapientiae eorum ex corde conjungere*. Eccl. III. Venerantur Dei verbum; & ex corde Divino mandato parent (quod num exsequantur P. Viva affectae? judicent Eruditi). Citrà omnem controversiae aleam solidioris Ethices Magistri revera in multitudine Presbyterorum prudentium stant, & eorum sapientiae ex corde conjunguntur, quia SS. PP. Conciliorum, & RR. Pontificum dictis collum submittunt & fasces: ab insignioribus Veteribus Theologis, nec per volam, nec per hilum declinantes, à recentioribus, modò probatis, non dissident, ut ex syllabo adjecto II. Tom. Exerc. II. (in quo non pauci è Ven. Societate illustres Theologi sunt descripti) clarissimè constat. Propriae non innituntur prudentiae, quia non ex proprio ingeniolo, velut ex recondita penu, eruunt ratiunculas quasdam ad laxandas conscientiis habenas efformatas; sed nonnisi, quod traditum à Patribus, à RR. Pontificibus, excipiunt. Hi revera juxtà Divinum eloquium per semitam rectam incedunt, quia Veterum, non Recentiorum (juxtà ideam P. Viva) vestigia terunt. *Sapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens; & in Prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conservabit, &c. Ipse palam faciet disciplinam doctrinae suae, & in lege Testamenti Domini gloriabitur, &c.* inquit Spiritus S. Ecclesiastici XXXIX.

Quae autem hucusque in P. Viva notavi (non ex animo eum laesurus, sed duntaxat ad vindiciam Thomisticae Scholae, aliorumque Illustrium virorum) quaeque in favorem Probabilioriſmi, arma retorquendo in adversarios, scripsi, non ex proprio marte depromsi, sed è recentioribus viris, eis, nimirùm, quos Orbis universus suspicit. Videlicèt Johanne Obstraetto (a), Johanne Mabillonio (b), Johanne Morino (c), Cardinale Casino (d), aliisque suprà laudatis, Card. Aguirre, Cardin. Gotti (e), Julio Mercoro, Martino Steyaertio, Michaële Elizalde, ceterisque universim Theologis primi subsellii. Verùm quia prolixum nimis foret omnium monumenta laudare, sufficiat mihi in medium proferre, quae ad rem nostram firmandam scripsit Eminentissimus juxtà,

(a) *Obstraetus* in Theologo Christiano *P.II. C. 3. §. 3.*

(b) *Mabillonius* de studiis Monasticis *C.VII.*

(c) *Morinus* de Administratione Poenitentiae *lib.V. C.26. n.14.*

(d) *C. Casin.* Concion. Palat. Apostolic. *I.P. Conc. III. num.6.*

(e) *C. Gotti* Ver. Ecclesia Christi *T.I. & in Theologia T.I. & passim.*

Digitized by Google

xtâ, ac Doctiſſimus Cardinalis Brancati de Laurea, quem citrà omnem dubietatis aleam ſuſpicere debet P. Viva cum aſſeclis ſuis, nec ullo modo poteſt in ſuſpicionem vocare. Ait enim Sapientiſſimus Purpuratus. (a) „ Cogitanti mihi, ſeriòque indaganti unde nam „ haud multis ab hinc annis tanta circà „ morales doctrinas, nec non, & judicia in Chriſtianum Orbem irrepſerit laxitas, effraeniſque in privato „ quolibet opinandi, & ad utrumque „ ſaltitandi libido: foeliciter occurrit, „ id inde ſumſiſſe exordium, quòd Spiritus Sancti contemto magiſterio, „ narrationes Patrum noſtrorum praetereuntes, propriae innixi prudentiae, „ noſtris nimirùm indulgeamus affectibus: nec ampliùs adamuſſim lapidem, juxtà Philoſophi praeceptum, „ ſed ad lapidem amuſſim aptare contendamus: non, inquam, legi voluntatem ſubjicimus, ſed legem ipſam „ ad voluntatem trahere non formidamus. Eòque proinde res devenit, ut „ in permultis (ne omnia, ut par eſſer, complectar) quid ſequendum, „ quidve fugiendum ob garrulitatem „ opinantium penitùs ignoretur: taliſque inſuper probabilitatis involucro „ cohoneſtentur ſingula, ut nullum „ jam ſuperſit agibile, in cujus gratiam „ bivium non ſit paratum certiſſimum: „ & quae perpetuò hucuſque pugnantia praedicata fuere contradictoria, „ concordi connubio veri, honeſtique „ paritate, opinatorum beneficio gaudeant coiviſſe. „ Scripſit autem laudatus Cardinalis adhuc poſt editam Bullam Alexandri VIII. adverſùs theſes, ut plurimum Janſenianas, aut Janſeniano rigore conſpurcatas. Adeòque falſiſſimum eſt, quod laudatus Viva objicere contendit. Imò vel ex eo arguendi jure meritò dignoſcuntur Patroni hujuſce damnati praeſentis ſphalmatis, quia *non adamuſſim lapidem, ſed ad lapidem amuſſim aptare contenderunt*, quod pariformiter reliqui ejuſdem aetatis viri ſummi adnotarunt, quos conſultò ad brevitatem ſervandam omitto.

Sed numquid omittere poſſum, quod Alexander VII. e Cathedra veritatis edixit adverſùs laxones? Procul dubio veritati detraherem, ſi Supremi Oraculi ab omnibus Chriſtianis dimiſſo capite, flexo poplite, humilique animo excipiendi monumentum maximum praetermitterem. Cauſſam enim adſignans laudatus Pontifex, quare erraverint in morum doctrina recentiores quidam Theologi: eam certè, & ſolam edicit, nimirùm, proprii ingenii prurigìnem, & opinandi libidinem omiſſo ſtudio Verbi Dei ſcripti, SS Eccleſiae Patrum, & Conciliorum. *Audivit* (b) (SS. Pontifex Alexander VII.) *non ſine magno animi ſui moerore, quamplures opiniones Chriſtianae diſciplinae relaxativas, & Animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterùm ſuſcitari, partim noviter prodire: & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit, alienus omninò ab Evangelica ſimplicitate*

(a) *Cardinalis de Laurea Ord. Minor. S. Franciſci ad purpuram adſumtus ab Innocentio XI. An.* 1681. in Epitome Canonum *in praeliminari.*

(b) *Alexander VII. in Bulla data Rom.* 24. *Septembris* 1665.

Digitized by Google

Sanctorumque Patrum doctrina, & quem si prò recta regula Fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianae vitae corruptela. Perperam igitur P. Viva lacessit, accusat, traducit Viros insignes, & praenobile studium Verbi scripti, SS. Patrum, Conciliorum, Bullarum, & Canonum.

II. Advertendum est, quòd in lectione Patrum criterium sit adhibendum, ut discernantur, quae nobis reliquerunt monumenta veneratione digna, ex eisque, quae ad rem faciunt, in medium producantur. Non semel aliqua ad disciplinam spectantia tradiderunt, quae utpote variabilis, non obligat consuetudine in contrarium introducta, & ab Ecclesia probata, aut etiam tolerata: ut prae ceteris adnotavi de Eucharistia infantibus olim data, de Xerophagia alicubi in esurialibus diebus servata, de pristina observantia jejunii circà quaedam peculiariter olim vetita, de celebratione Festivitatum, hisque similibus agendo. Haec, inquam, quae passim in Patribus obvia sunt, suspicienda sunt quidem; verùm ex variatione disciplinae servanda sunt ad eruditionem fovendam, & ad devotionem promovendam: secus verò ad firmandum praeceptum, quod ex variatione disciplinae non obligat in praesentiarum. Sicut etiam in Sacris Canonibus, & venerandis Ecclesiae Conciliis lustrandis idem est criterium servandum, cùm de re ad disciplinam spectante agitur: ut prae ceteris observavi de Poenitentialibus Canonibus verbum faciens, ceteriisque ad publicam poenitentiam spectantibus, ex quibus vetustis, venerandisque Ecclesiae decretis, sicut & SS. PP. dictis spiritus, & idea Ecclesiae, non autem ritus, & disciplina, teneri debet: ut nimirùm laxitas omnis ex corruptela procedens evitetur, & quod sanctum, quod justum est, ad Dei gloriam, animarum salutem, & Ecclesiae decorem teneatur in praxi. Similiter recta lance librandum est quid Patres consulendo, & ad charismata meliora excitando dixerint, quid verò docendo praescripserint, ut discernatur consilium à praecepto. Nec non quid declamando adversùs vitium fugiendum dixerint: quum multoties etiam remotè ad periculum pertinentia rectè eliminaverint, & sancta quidem Oeconomia, sed non tamen praeceptum inducente. Occasio itidem scribendi, & conditio Epochae adtendenda occurrit, ut res acu tangatur: videlicet num peculiari ex momento, quod fortassè hodie non urget, res insinuata fuerit sub praecepto, vel non? num temporaneum hoc fuerit, vel perpetuum? ut videre est etiam in Synodo Hierosolymitana circà abstinentiam à suffocato, & sanguine. Tandem librandum est num unus, aut alter ex Ecclesiae Patribus, an verò vel omnes, aut communibus id tenendum insinuarint? ut quae ex praecepto sunt servanda non lateant: sicut alibi dixi de Juliano Pomerio verbum faciens circà peculium Clericorum (a): quae pariter ibi dicta non modicum praebent lumen ad paulò ante adnotata dilucidanda circà temporis conditionem, & occasionem, ex quibus aut Patres praeceptum inculcarunt, aut Synodi decretum prae-

(a) *Exercitatione XXVI. Tom. II.*

Digitized by Google

praeceptivum ediderunt. Haec, inquam, perpendenda sunt in Patrum lectione, & Sacrorum Canonum lustratione, ne perperam eorum monumenta laudentur, statuendo praeceptum, quod re vera non extat. Haecque pariformiter iidem adnotanda praescripserunt, qui solidiorem Ethicam docuerunt, qui novelli Probabilismi commentum exsibilarunt, & Tutiorismi monstrum confoderunt (a).

His ergò praelibatis exsufflatur confixum sphalma ex monumentis, & momentis, quae laudant, & efformant Probabilioristae, qui revera operam navant studio solidae Theologiae, nimirùm, S. Scripturae, SS. PP. Conciliis, Canonico Juri, Romanorum Pontificum Bullis, solidoque ratiocinio ad veritatem confirmandam opportuno, omnibus propterea humanis ratiunculis, seu potiùs paralogismis ad laxitatem fovendam maximè facientibus, penitùs eliminatis. Ecclesiastae VII. dicitur: *Noli esse justus multùm, neque plus sapias, quàm necesse est, & obstupescas.* Sed multùm justus ille dicitur, qui non contentus tutiori *moraliter* opinione (seu quae *probabilior* est) sequitur quod tutum *physicè* est, cui quaelibet opinio etiam probabilior, juxtà Thomistas, opponitur. Ne ergò quis ad angustias reducatur, sat est, quòd teneat probabilius tutiore *physicè* omisso. Praecepta quidem Dei suavia sunt, & onus ejus leve, nec impossibilia praecepit Deus, benè verò, quae possibilia sunt. Sed si ad tutius *physicè*, seu Jansenianum, adstringeremur, praecepta Dei dura forent, Dei jugum onerosum, & mandata impossibilia: quum sit moraliter impossibile sequi, quod est tutius *physicè*, seu tale *comparativè* ad tutum, ut suprà ubertim ostendimus *T. II. Exercitatione I.* Ergò satis est ad salutem consequendam, & Dei legem servandam tenere tutius *moraliter* tale: adeòque falsum omninò est, quòd non liceat sequi opinionem etiam probabilissimam omissa tutiori. Et quamvis etiam opinio probabilissima, quia opinio est, secum habeat adnexam formidinem; quia tamen haec formido levis est, & subtilis, elumbis, & insufficiens ex momento oppositae solidae probabilitatis, contemnenda est, ne scrupulis angatur, neve obstupescat Christianus hisce sophisticis reflexionibus actus, ut optimè adnotarunt SS. Ambrosius, Augustinus, & Bernardus (b).

Et quidem sat esse Christiano hanc regulam tenere, & ità dirigere vitam suam, vel ex eo potest firmari, quia Romani Pontifices, qui nobis suo facto revera probando exemplum rectè operandi, necnon decretalibus epistolis dogma veritatis tradiderunt, hanc tenendam normam praescripserunt. Clemens V. enim Sacro adprobante Viennensi Concilio (c), declaravit eam à se teneri opinionem, quae probabilior foret

(a) *Vide Melchiorem Canum* de locis Theologicis, *& universim eruditos de hac re agentes.*
(b) *S. Ambrosius* in Psalm. CXVIII. *S. P. Augustin. loc. jup. laudat. S. Bernardus* lib. V. de Consideratione *Cap.* 3.
(c) *In* Capit. Fidei Catholicae, *& in Clement.* de Summa Trinit. & fide Catholica.

Digitized by Google

ret in Scholis, non quae tuta: & idcircò quia laudata sententia momentis solidae probabilitatis erat vallata, eam teneri posse decrevit. *Opinionem secundam*, inquit, *tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiae magis consonam, & concordem Sacro adprobante Concilio duximus eligendam*. Sicut eodem ex momento Innocentius III. (a) eandem duxerat tenendam. Idem quoque Clemens V. alibi (b) idipsum adseruit, & sententiam firmavit ex momento majoris probabilitatis, quae securitatem in opere praestat cuilibet Deum timenti. Innumera id genus exempla extant apud Christianum Lupum (c), quibus evidentissimè convincitur Ecclesiam quovis Seculo opinionum licitum usum admisisse, modò eae solidae fuerint, & Sanctorum dictis, ac Verbo scripto conformes, omisso quovis tutiorismo, quod jactant novelli corruptores Verbi Dei imponentes onera gravia, & importabilia, contrà Dei mandatum.

Quid insuper in Jure Canonico tenendum praescribitur ad rectam servandam regulam morum? Certè non tutius *comparativè*, aut *physicè*, sed tantùm id, quod est *moraliter* tale, nimirùm, *probabilius*, juxtà sensum Thomistarum ceterorumque nobiscum sentientium: quia hoc est conformius vero, ideoque rationabilius. *Inspicimus*, ibi dicitur (d) *in obscuris quod est vero similius, vel quod plerumque fieri consuevit*. Quandoquidem juxtà prudentum judicium, qui ità agit, rectè agit, prudenter agit, tutò agit. Idem quoque indicitur in Caesareo Jure ex sententia probata: hinc dicitur. (e) *In omnibus nostris actionibus spectare debemus rectum, & verum*. Quod enim rectum, quod verum, quid est, nisi probabilius? Non ergò tutius Jansenianum est tenendum ad salutem animae obtinendam.

Eadem veritas hucusque propugnata confirmatur ex doctrina S. Thomae. Docet enim Angelicus, (f) *quòd unusquisque debet niti ad hoc, quòd de rebus judicet secundùm quod sunt*, & rationem adsignat: *quia verum est objectum intellectus*. Igitur ex S. D. id tenendum est à Christiano in operationibus suis, ut honestè vivat, quod est conformius rationi, seu quod est verum, aut verosimilius, quando, nimirùm, veritas luculenter non adparet, ut ex supradictis constat. Atqui solùm probabile reapse tale elongat à periculo errandi: hoc dumtaxat veritatem adtendit, secus verò tutum, ut alibi fusiùs ostendi. Igitur ex doctrina Angelici probabile reapse tale, seu quod est probabilius Thomistarum, seu probabilissimum aliorum, debet solùm teneri in opere, ut honestas in eo servetur. Similiter idem S. Thomas ibidem docet. (g) *In humanis acti-*

(a) *Cap.* Majores de Baptismo.
(b) *Capit.* Capellanus.
(c) *Lupus* Dissert. de Opinione probabili.
(d) De Regulis Juris in VI.
(e) L. 1. ff. de Justitia, & Jure, *id pariformiter habetur* L. in obscuris, ff. de edilit. edict. L. ideò quia, ff. de Legibus. Leum qui probabilem, *Cod.* de Episcopis, & Clericis.
(f) *S. Thomas* 2. 2. *Qu. LX. Art. IV. ad II.*
(g) *Idem ibidem Artic. III. ad I.*

Digitized by Google

actibus inveniatur aliqua certitudo, non quidem sicut in demonstrativis, sed secundùm quod convenit tali materiae: agibili nimirùm conformiter ad regulas morum. *Materia autem moralis est, quòd non est conveniens certitudo*, ideſt metaphysica, *sicut est necessaria in scientiis*. Ergò ex S. Thoma ad rectè operandum sat est certitudo moralis, non autem requiritur evidentia de honestate operis, ut praetendunt adversarii, qui idcircò ad Tutiorismum confugiunt, ut undequaque homo sit certus. Idem ex Aristotele confirmat Aquinas Magister. (a) *Secundùm Philosophum I. Ethicorum certitudo non est similiter quaerenda in omni materia. In actibus enim humanis, super quibus constituuntur judicia, & exiguntur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quòd sunt circà contingentia, & variabilia; & ideò sufficit probabilis certitudo, quae ut in pluribus veritatem attingit, etsi in paucioribus à veritate deficiat*. Idipsum quoque expressissimè tradit S. Antoninus (b), docens satis fore ad rectè, & honestè operandum moralem certitudinem, quae solidam probabilitatem constituit, & tutiorismo adversatur.

Ex hucusque dictis, & pluries indigitatis (quod etiam observandum adnoravit Cl. Cardinalis Aguirre) probabilissima sententia, quae adseritur sufficiens ad honestè operandum, & tutiorismo opponitur, ea certè non est, quam jactant Recentiores, & prae ceteris P. Viva; sed illa, quam pluries vindicavi, ubi ex professo de hac re egi: ea, nimirùm, quae potest animum quietare, & formidinem ex adverso insultantem, uti levem, nulliusque momenti, deprimere: ea, inquam, quae ità tenenda, ut in articulo mortis sola, tanquam solida, custodiretur. *In quolibet negotio agendo*, inquit N. Ven. Bartholomaeus de Martyribus, (c) *si incertus sis, quid potius eligas? antequam statuas, quid agendum sit? prius ipse considera quid acturus esses si instaret tunc hora mortis. Item cogita quid malles egisse cùm steteris in die judicii coram Domino, & illud age*. Quod pariter docuit N. V. Ludovicus Granatensis (d).

* * * *
* * *
* *
*

EXER-

(a) *S. Thomas* 2. 2. *Qu. LXV. Art.* 2.
(b) *S. Antoninus* Summ. Theolog. *I. P. T. III. Cap. X.* §. 9 & 10.
(c) *N. Ven. Bartholomaeus de Martyribus* in Compendio Vitae Spiritualis, *fuit autem laudatus Vir Lusitaniae Regis praeceptor, Bracarensis Archiepiscopus, unus ex Clarissimis Concilii Tridentini Patribus, vitae sanctitate illustris, eruditione conspicuus, cujus doctrinam summopere commendavit S. Franciscus Salesius* Epist. XXXIV. Lib. I.
(c) *V. N. Ludovicus Granata pietate insignis doctrina celebris, ut prae ceteris idem S. Franciscus Salesius ibidem testatur. Vide NN. Natalem in* Histor. Ecclesiast. *Sec. XVI. Jacobum Echard. & Franciscum Quetif* Scriptores Ordinis.

Digitized by Google

EXERCITATIO IV.

IV. PROPOSITIO.

Dedit semetipsum prò nobis oblationem Deo, non prò solis electis, sed prò omnibus, & solis fidelibus.

V. PROPOSITIO.

Pagani, Judaei, Haeretici, aliique hujus generis, nullum omninò à Jesu Christo accipiunt influxum: adeòque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti.

CHristum Jesum omnium Servatorem cruci suffixum, & factum prò nobis maledictum, ut sanguine, & poenis suis redimeret mundum non recutiti dumtaxat Hebraei sannis exceperunt, & quem clavis confixerunt in ligno, linguis pupugerunt pendentem è patibulo, illudentes, & deridentes eum; verùm & sanguini ejus sacratissimo fucum fecerunt omnes ii, qui copiosam ejus redemtionem traduxerunt, non prò omnibus illum mortuum, aut non prò omnibus λύτρον solvisse mentientes, aut aliter eidem detrahentes. Quapropter sicut Judas Iscariotes triginta argenteis Sanguinem Christi vendidit Judaeis dirè effundendum ab eis; ità nebulones non pauci, quem prò nobis omnium Servator sanguinem fudit in pretium simul, & lavacrum, conculcarunt pessumè de Redemtoris satisfactione, aut de valore, seu adplicatione prò filiis Adae sentiento. Sed quot modis? horrescit certè animus, dum eorum commenta perpendit, quae hìc breviter perstringere non taedet ad pleniorem prodromam eruditionem, ex qua posteà validior ambarum praesentium confixarum thesium impugnatio formetur.

Semi-Pelagiani namque, ut ex SS. Prospero (a), & Fulgentio (b) constat, adseruerunt Christum aequaliter orasse, necnon aequaliter passum, & mortuum fuisse prò reprobis, ac prò praedestinatis: ex quo proinde inferebant aequaliter Deum velle omnium salutem: ità tamen, quòd omnes sic pariter vellent propriam salutem, ut videre est apud SS. Prosperum, & Fulgentium (c).

Quinto Ecclesiae Seculo pauci obscuri nominis viri, vulgò *Praedestinatiani* dicti, negarunt Christum prò omnibus mortuum (d), aliaque falsa dogmata contrà Praedestinationem (e), evomuerunt, sicut & contrà gratiam Redemtoris, (si tamen verè exiterunt *Praedestinatiani*, cùm varia sit Eruditorum

(a) *S. Prosper* Epistola ad M. P. Augustinum *data*.

(b) *S. Fulgentius lib.* de Incarnatione, & Gratia c. 29.

(c) *S. Fulgentius ibidem. S. Prosper ibidem*, & Carmine de ingratis.

(d) *Solemnis autem nostram faciens, qui circumfertur* Praedestinatianorum *error hic erat*, Quòd Dominus Noster Jesus Christus non prò omnium hominum salute, & redemtione sit passus.

(e) *Undecim alii errores* Praedestinatianorum *adversùs gratiam, & praedestinationis dogmata enumerantur. Vide prae ceteris Cl. Card. Norisium* Histor. Pelagian. *Lib. II. C. XV.*

Digitized by Google

rum hac de re opinio (a), quam hìc ex professo examinandam omittimus). Verùm quia in sectam haud coaluerunt, ut ex Arausicana II. Synodo, nec non ex SS. Prudentio (b), & Remigio (c) constat, ideò parùm obfuit Ecclesiae paucorum error: praesertim quia istorum signifer adsertus Lucidus quidam Presbyter lecta Fausti Rejensis epistola ad cor reversus & fidem, palinodiam cecinit, retractationis charta ad Episcopos Gallicanos transmissa, lectaque in Synodis Arelatensi, & Lugdunensi adversus Praedestinatianos coactis. Quapropter erravit Jacobus Sirmondus, vir alioquin eruditus, dum adseruit nimium concre-

L viſſe

(a) *De* Praedestinatiana *haeresi varia fuit Eruditorum sententia, variumque adhuc est in praesentiarum judicium. Existimarunt nonnulli, & censent adhuc modò quamplures* Praedestinatianam *haeresim commentitiam omninò fuisse, & fabulam à Semi-Pelagianis confictam. Quum enim ubi ab omnibus S. P. Augustini discipulis multifariàm vellicarentur, & modò* Ingrati, *modò* Pelagianorum reliquiae *ignominiae caussa, & zeli momento adpellarentur, ut Prospero, ejusque Sectatoribus vicem redderent,* Praedestinatianos *eos vocare consueverunt, varia eisdem affricantes crimina, quae à* Praedestinatianis *haereticis effutita comminiscebantur; hinc Augustini celebrem in Ecclesia doctrinam ex conficto errore ventilare studuerunt. Hujus commenti praecipui authores ii quidem percensentur, qui ab adversae partis Patronis laudantur ad firmandam veritatem de* Haeresi Praedestinatiana, *nimirùm Faustus Rejensis, seu Regiensis, & Gennadius, viri dubio procul Semi-Pelagiana pice infecti. Eaque ex caussa, nempe fabulae à Semi-Pelagianis confictae adgeras, & nugas amandant Synodos Arelatensem, & Lugdunensem ab eisdem laudatas, utpote damnantes haeresim* Praedestinatianam. *Lucidi Presbyteri primùm* Praedestinatiani, *deinde Catholici conversionem ex lectione librorum Fausti, & cetera, quae ex relatione Fausti, & Gennadii laudantur à sequioris Epochae Scriptoribus. Hincmaro, & Segeberto, ac in medium proferuntur ab iis, qui veritatem* Praedestinatianae *aliquando grassantis haeresis firmare contendunt. Hujusce prioris sententiae fabulis adcensentis* Praedestinatianam *haeresim, & monumenta, quibus probatur, ultrà Jansenium Iprensem, ejusque Apologistas, percensentur viri de litteraria Republica optimè meriti Johannes Cabassutius* in Notitia Conciliorum, Diatriba de Haeresi Praedestinatiana. *Gaspar Juenin* Theologic. Institution. *T. II. P. I. Disser. IV. Gilbertus Mauguinius* Praedestinatianae fabulae confutatio. *P. Macedo, aliique. Addesis Usserium, & Dupinum. Ex NN. Vincent. Contensonius* Theolog. Mentis, & Cordis. *Lib. VIII.* Appendice ad Dissertationem III. Historicam. *Hyacinthus Serry,* Augustinus Vindicatus *Cap. XII. At ex adverso alii docent V. Seculo crevisse in haeresim* Praedestinatianorum *errorem, quem propterea damnarunt Synodi Arelatensis, & Lugdunensis laudatae, & constat etiam ex Fausto Rejense, Gennadio, Hincmaro, & Segeberto. Ità* Jacobus Sirmondus Lib. de Haeresi Praedestinatiana *Cap. I. Ludovicus Bail T. II.* Additione ad Summam Conciliorum. Concilia Gallica. *Videsis Dionys. Petavium* Rational. Tempor. *Ad An. Christi* 450. *& seq. fol. mihi* 262. *edit. Lugdun. Batavor.* 1710. *&* T. III. Concil. Gall. *Alii verò media via incedunt, adseruntque proinde* Praedestinatianorum *errorem non fuisse confictum, sed revera V. Seculo traditum fuisse à paucis obscuri nominis, crassaeque minervae hominibus; verùm numquam eo ex momento coaluisse in haeresim, & sectam firmiter adstruunt. Ità quidem sentiunt Card. Baronius* T. X. Annalium, *ejusque Abbreviator Spondanus, Card. Norisius loc. nuper laudato, &c. Ex NN. Didacus Alvarez Archiepiscopus Tranensis de* Auxiliis divinae gratiae. *Natalis Alexander* Histor. Eccles. Sec. V. *Cap. III. Art. XI. &* Dissertatione *peculiari ibidem, Hyacinthus Amat de Graveson* de Mysteriis, & Annis Christi *Dissert. XVI. & alii. Ne autem traducatur vita Fausti, & Gennadii, quos aliquando fuisse Semi-Pelagianos constans est omnium Eruditorum sensus, Legantur praecipuè, qui eos vindicant, sicut & Cassianum, Vincentium Lirinensem, alioſque pariter Semi-Pelagianorum errore deceptos, antequam ab Ecclesia decretalis sententia damnaretur Semi-Pelagianismus. Praecipuè tamen consuli possunt Ludovicus Bail ubi suprà, Johannes Eusebius S. J.* Oper. Parthenic. *Cardin. Norisius in Lib. cui titulus* Scrupuli Anonymo Evulsi, & eradicati, *& Alardus Gazaeus M. B.* Vindiciae Tutelares prò Sanctitate Joannis Cassiani *praepositae Operi Cassiani, (cui notas illustres adpinxit idem Gazaeus) aliique.*

(b) *Prudentius natione Hispanus Episcopus Tricassinus IX. Seculo clarus* lib. contrà Johan. Scotum Erigenam *Cap. 4.*

(c) *Remigius Lugdunensis Episcopus eodem Seculo clarus lib. ejusdem argumenti* contrà Johann. Scot. Erigenam *Cap. 4.*

Digitized by Google

visse praefatam Sectam Praedestinatianorum, in eamque defeciſſe Adrumetinos Monachos: qua de cauſſa ad S. Auguſtinum ſcripſiſſe adſerit SS. Hilarium, & Proſperum, ut nimirùm Gratiae, & fidei Defenſor Maximus heterodoxos illos profligaret: nec non Auguſtino vita functo adfirmat eoſdem ad S. Coeleſtinum Rom. Pontificem convolaſſe, ut decretali ſententia nigro theta ſignaret Praedeſtinatiorum haereſim, quod & ille confeſtim egit ad Galliarum Epiſcopos ſcribens. Erravit, inquam, vir doctiſſimus fortaſsè ex ſua editione *Praedeſtinati* Anonymi V. Seculi Scriptoris, (ut ipſe dicit), ſed obſcuri nominis virì, & Pelagiana labe infecti, utpote qui I. adſtruit, concupiſcentiam fuiſſe in primis Parentibus etiam ante peccatum. II. docet concupiſcentiam à ſolis Praedeſtinatianis fuiſſe adſertam ex primorum Parentum praevaricatione. III. quaecumque Praedeſtinatianis adſcribit, ipſiſſima ſunt, quae Pelagiani primùm, deinde Semi-Pelagiani Auguſtino, & diſcipulis ejus objecerunt. Et vel ex eo Sirmondi error exſufflatur, quia Monachi Adrumetini à Semi-Pelagianis decepti, eorum ſphalma hauſerunt, quod tamen vix in eis natum in ipſiſmet cunis ſuffocavit, eliſit Auguſtinus, ut idem M. P. teſtatur (a). Laudati verò Proſper, & Hilarius dumtaxat contrà Semi-Pelagianos calamum acuerunt implorata M. Patris ope dum viveret; eoque ad ſuperos evecto, ad S. Coeleſtinum R. P. convolarunt, ut doctrina M. Patris ſarta tecta ſervata, proſcriberet, ac nigro theta ſignaret Semi-Pelagianorum errorem. Conſulatur prae ceteris Cl. Card. Noriſius, qui robuſtè, & eruditè nimis perſtringit Sirmondi errorem, & ad evidentiam uſque demonſtrat Praedeſtinatianos V. Seculo paucos numero fuiſſe, nominiſque nimiùm obſcuri, craſſaeque minervae, qui proinde in ſectam excreſcere nequiverunt. Conſulantur itidem ceteri Eruditi, quorum varia eſt hac de re ſententia contendentibus non paucis, iiſque Cll. viris fictitiam eſſe Praedeſtinatianorum haereſim, eo ex momento primùm decantata, à Nebulonibus, ut ſub illorum corio vapularet M. P. Auguſtinus, ejuſque doctrina ab univerſa Eccleſia probata per impoſturam ſaltem traduceretur, quam aliunde apertè carpere nullus Catholicorum audebat.

Eundem Praedeſtinatianorum errorem IX. Seculo recoxiſſe Gotteſcalchum (b) Monachum Ordinis Benedictini Monaſterii Orbiacenſis ſentiunt benè plures (c). Verùm alii haud ignobiles Scriptores, & numero plures

(a) *S. Auguſtinus* Lib. II. Retractationum *Capit. 66.*

(b) *Gotthescalchus germanica lingua* Dei ſervus, *ut ſcribit Natalis Alexander* Diſſert. V. in Secul. IX. *cognomento* Fulgentius, quòd ſuam de gemina praedeſtinatione ſententiam maximè tueretur auctoritate S. Fulgentii ex libris de duplici praedeſtinatione ad Monimum teſte Hincmaro in lib. de Praedeſtinat. cap. 3. *ut opinatur Mabillonius* Praefatione II. in Seculum IV. Benedictinum.

(c) *Auctores, qui praefatum errorem adpingunt Gotteſcalcho ſunt Johannes Launoy* Veritable Tradition de l'Egliſe ſur la Predeſtination, & la grace *pag.* 106. & 107. *Ludovicus Bail* Tom. II. Concil. ad Concil. IX. Seculi, & Tom. I. in Concil. Tridentinum. *Philippus Brietius* ad Annum 848. *Ludovicus Cellotius* in Hiſtoria Godeſcalchi *lib. IV.*

Digitized by Google

res (a) ex testimonio illustrium Catholicorum ejusdem IX. Seculi, nimirùm S.Remigii Lugdunensis Episcopi, S.Prudentii Tricassini, Flori Diaconi, Ratramni Corbejensis, Lupi Servati Ferrariensis Abbatis, & Synodi Valentinae ex tribus Provinciis Lugdunensi, Viennensi, & Arelatensi conflatae, nec non Synodi Lingonensis, & Tullensis ad Saponariam duodecim Provinciarum Episcopis constantis, & tandem Nicolai I.R.P. (b), vindicant Gotteschalchum ab affricto ei crimine (c); quamvis revera miser monachus in praesentia Ludovici Germanorum Regis in Concilio Moguntino damnatus ut haereticus *Praedestinatianus*, & à Rabano Archiepiscopo vinculis obstrictus ad suum Archiepiscopum Hincmarum Remensem missus, ab eodem iterùm in Carisiaca Synodo damnatus, & virgis addictus, tandem carcerali custodia detentus ibidem ultima communione ei denegata, & objecit, Ecclesiastica etiam sepultura post mortem privatus. Quod mihi hac in re certum videtur, relicta cuique ad sui lubitum sentiendi potestate, illud ipsissimum est, quod pariter sentiendum duxit Cl. Christianus Lupus (d): nimirùm, quod de vanitate, & praesumtione sit arguendus Gotteschalchus, & quamvis rectam causam egisset, verumque dogma defendisset, non tamen ex charismate id egit.

Circà dimidium Sextidecimi Seculi Johannes Calvinus ceteros inter, quos effudit, errores, pestiferum illum de merito Sanguinis Christi evomuit, adserens Christum mortuum esse prò solis Praedestinatis, itàut reprobi penitùs à beneficio Redemtionis excludantur (e). Eandem haeresim confirmavit Novatorum Synagoga magna, nimirùm nationalis Dordrechtana (f), refragantibus licèt *Remonstrantibus* (g), praesertim

(a) *Prò Gotteschalchi innocentia militant Gilbertus Mauguinus ubi suprà, Christianus Lupus loc. infrà laudando. N. Jacobus-Hyacinthus Serry* Augustinus vindicatus *Cap. XIV. In eam inclinat N. Graveson ubi sup. plures itidem alii prò Gotteschalco stant. Videsis Natalem Alexandrum, & Mabillonium ubi suprà: & Dupinium ad Sec IX.*

(b) *Nicolaus I. Rom. Pontifex teste S. Prudentio in* Annalibus *ab ipso* Hincmaro *laudatis* Epistola XXIV. ad Epilonem *decretum edidit, quo Valentini, ac Lingonensis Concilii Capitula confirmavit*: Nicolaus Papa Pontifex Romanus de gratia Dei, & libero arbitrio, de veritate geminae praedestinationis, & de Sanguine Christi, ut prò credentibus omnibus usus sit, fideliter confirmat, & catholicè decernit: *quod etiam* in Annalibus Bertinianis *ad an. 859. legere est.*

(c) *Errores, qui Gotteschalcho fuerunt adjudicati sunt*, I. Sicut Deus quosdam ad vitam aeternam praedestinavit, sic etiam alios ad mortem aeternam praedestinavit, cogitque homines interire. II. Non vult omnes homines salvos fieri, sed eos dumtaxat, qui salvantur. III. Christus tantùm prò electorum salute mortuus est, non autem prò redemtione omnium hominum.

(d) *Christianus Lupus* Tom. V. Conciliorum 1. *editionis* in Primum Concilium Romanum *pag.* 36. & 37.

(e) *Joh. Calvinus* Lib. III. Institution. *C.* 24. *num.* 16. *Et* lib. de aeterna Dei praedestinatione.

(f) *Synod. Dordrecht. habita An.* 1618. & 1619. De Divina Praedestinatione *Art. V II. fol.* 242. & Rejectio errorum, quibus, Ecclesiae Belgicae sunt aliquandiu perturbatae *Art.* 2. *fol.* 245. & *alibi saepiùs, praecipuè* Judicia Theologorum exterorum de quinque controversis Remonstrantium Articulis Synodo Dordrechtanae exhibita Anno 16 9. *f.* 87. & *sequ.*

(g) *Ibidem Sessione XXXIV.* Sententia Remonstrantium de secundo Articulo, qui est de universalitate mortis Christi haec est I. Pretium Redemtionis, quod Christus Deo Patri suo obtulit, non tantùm in se, & per se toti generi humano redimendo sufficiens est, sed etiam prò omnibus, & singulis hominibus ex decreto, voluntate, & gratia Dei Patris persolutum est: eoque à participatione fructuum mortis Christi, nemo absoluto, & antecedente Dei decreto praecisè excluSus est.

Digitized by Google

Conrado Vorſtio,& Jacobo Arminio(a).

Circà initium XVII.Seculi Cornelius Janſenius Yprenſis Epiſcopus cùm totam ferè ſuam vitam in lectione operum S.Auguſtini conſumſiſſet, ut refert Andreas Dreſellius (b); hinc ferè decies opera omnia ejuſdem M. P. luſtravit, ter decies verò, & amplius à capite ad calcem, quae *de Gratia, & libero Arbitrio* Aquilinus Doctor ſcripſit, per integrum voravit, in lumine caliginem paſſus in quamplures lapſus eſt errores, quos jure optimo S.Sedes diris devovit, praeſertim confixam praeſentem theſim (quam pridem Calvinus docuerat), ità clarè expreſſit (c), ut ipſimet Cornelii Iprenſis aſſeclae, qui improbo labore excuſare ſtuduerunt confixas in eo theſes, adſerendo, vel eas non extare in Janſenii operibus, vel alienam ſubire interpretationem, hanc tamen revera extare in operibus praefatis, & ipſiſſimam eſſe, quam Janſenius docuerat, inficiari non ſunt auſi, liberrimè ſunt conteſtati (d).

Haec autem propoſitio quamvis fuiſſet confixa ab Innocentio X. & debita cenſura notata, quinimò haereſeos etiam nota perſtricta, ut ex ejus decreto liquet (e): Tamen quia iterùm iterùmque venditabatur à Janſenii diſcipulis multifariàm turbas excitantibus, iterùm fuit praeſenti decreto ab Alexandro VIII. nigro theta ſignata. At quia, ut inquit S.Cyprianus: (f) *Inde ſchiſmata, & haereſes obortae ſunt, & oriuntur, dum Epiſcopus, qui unus eſt, & Eccleſiae praeeſt, ſuperba quorumdam praeſumtione contemnitur*: idcircò obſiſtentibus nonnullis durioris cervicis Theologis, proprioque ingeniolo confiſis, quàm graves ſint ſuſcitati tumultus in Belgio, & in Galliis poſt profligatas Janſenii theſes, nemo, qui peregrinus non ſit in hiſtoria praeſentis Aevi, hujuſce rei eſt ignarus. Eo autem ex momento inter unam ſuprà centum à Clemente XI. in Paſchaſio Queſnellio confixas theſes (g), iterùm iterùmque damnatas à Benedicto XIII. (h), peculiares aliquae praeſertim ad rem hanc facientes Apoſtolico fulmine contritae fuerunt

(a) *Ibidem* in judicio *Propoſit. III. Arminius* diſput. public.13. theſi V. *Vorſtius* diſput.de ſocidere theſ.26.

(b) *Dreſſellius in* Bibliotheca Belgica.

(c) *Janſenius Tom. III.* lib.3. de gratia Salvatoris *cap.* 20. Ex quibus omnibus jam ſatis arbitror patere argumentum iſtud, quo Chriſtus prò omnibus paſſus, & mortuus eſt, vel redemtionem ſe prò omnibus dediſſe dicitur, nihil omninò prò auxilio ſufficienti ſuppeditando facere. Nec enim juxtà doctrinam antiquorum prò omnibus omninò Chriſtus paſſus, aut mortuus eſt, aut prò omnibus omninò tam generaliter ſanguinem fudit: cùm hoc potiùs tanquam errorem à fide abhorrentem doceant eſſe reſpuendum.

(d) *Id univerſim Janſeniani praecipuè Anonymus author opuſculi* Spongia notarum, quibus V. propoſitiones famoſas denuò aſperſit Martinus Steyaert Theologus Lovanienſis ductа prò Palladium S. Auguſtini diſcipulum. *Coloniae* 1688. *Sicut & alii in praefata collectione, & noviſſimè Ægidius Albanus in opere cui titulus* Auguſtinus Iprenſis Vindicatus *P.I. c.25. edit. An.* 1721.

(e) *Innocentius X. An.*1653. *inter ceteras Janſenii ſententias damnavit hanc*: Semi-Pelagianum eſt dicere Chriſtum prò omnibus omninò hominibus mortuum fuiſſe, aut ſanguinem fudiſſe, *& ſubdidit, quòd praefata theſis intellecta in eo ſenſu, ut* Chriſtus prò ſalute dumtaxat praedeſtinatorum mortuus ſit, ſit impia, blaſphema, contumelioſa, divinae pietati derogans, & haeretica.

(f) *S.Cyprianus* Epiſt.LXVI.ad Florentium Papinianum.

(g) *Clemens XI. in Bulla* Unigenitus *dat. Rom. An.*1713.

(h) *In Concilio Rom. An.*1725. *in quo eadem Conſtit. fuit adopta.*

Digitized by Google

runt (a). Deo autem gratias, quia tandem post varios casus, tot post discrimina rerum omnibus benè nota, nedum Lovanienſis, Duacenſis, aliaeque Academiae, quae primùm Clementis XI. Conſtitutionem *Unigenitus*, ut par erat, devoto obſequio adceptarunt, etiam Sorbonica eam reverenter excepit. Quàm autem turpiter erraverint, & iniquè fuerint oblocuti, qui per eam Conſtitutionem damnatam adſeruerunt Thomiſticam doctrinam, vel ex eo conſtat, quòd laudatus Benedictus XIII. impoſtores eos adpellet, & calumniatores (b). Idque vel ex eo inſuper, quia propoſitiones haſce binas, quas innumeri de S. Rom. Eccleſia, & litteraria Republica benè meriti Theologi ventilarunt (c), ex profeſſo (citrà invidiam ſit dictum) validiori brachio nobiliorique triumpho profligarunt Ordinis noſtri Theologi (d), quos ſuſpiciunt Eruditi omnes. Qua de cauſſa ſat eſt eos, vel digito monſtrare, ut obſtruatur os loquentium iniqua, abſtinendo ab alia quavis vindicia, & ad rem praeſentem propiùs adcedendo.

Verùm, ut res ad umbilicum uſque du-

(a) *Theſes in Queſnellio damnatae ad rem praeſentem facientes ſunt XXIX.* Extrà Eccleſiam nulla conceditur gratia. *XXX.* Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter. *XXXII.* Jesus Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum prò ſemper ſuo ſanguine Primogenitos, ideſt Electos, de manu Angeli exterminatoris. *LXXII.* Nota Eccleſiae Chriſtianae eſt, quòd ſit Catholica, comprehendens, & omnes Angelos Coeli, & omnes Electos, & Juſtos terrae, & omnium Seculorum. *LXXIII.* Quid eſt Eccleſia, niſi coetus Filiorum Dei, manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus perſona, redemtorum ejus ſanguine, viventium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam, & exſpectantium gratiam futuri ſeculi? *Vide etiam Theſes LXXIV. LXXV. & LXXVI.*

(b) *Benedictus XIII. in Bulla* Pretioſus, *quod pariter in epiſtola in forma Brevis dat.* ad Fratres Ordinis noſtri. *Id etiam pluries confirmavit Clem. XII. feliciter regnans.*

(c) *Theologi, qui de hac re egunt cùm contrà Proteſtantes, tum contrà Janſenium, ejuſque gregales, aut quomodocumque ea de re tractantes plures citrà dubitationis aleam ſunt, iique cùm Veteres, tum recentiores: praecipuè tamen conſuli poſſunt Card Bellarminus* T. IV. Controv. lib. II. de Gratia, & libero arbitrio. *Fratres Valemburgici in Controverſ.* Fidei. *Tract IV. P. 3. c. 6. §. 1. Card. Noriſius in* Vindiciis Auguſtinianis, *& in Opuſculo, cui titulus* calumnia ſublata. *Ludvicus Thomaſſinus T. I. & III.* Theologiae Dogmaticae. *Gaſpar Juenin* in Inſtitutionibus Theologicis. *Franciſcus Henno* de Incarnatione *Diſp. XVI. Noviſſimè inſignis Antonius Boucat Ord. Minimorum T. III.* Theologiae Patrum Dogmatic. Scholaſtic. Poſitiv. & *Societate Jesu PP. Annatus, Deſchamps, Martinonus, Martinez de Ripalda, & Fontaine, aliique paſſim.*

(d) *E' Noſtris autem praeſertim Dominicus Soto* de Natura, & Gratia. *Didacus Alvarez Archiepiſcop. Tranenſis* de Divinis auxiliis. *Thomas Lemos* Panoplia Gratiae. *Seraphinus Piccinardi, Johannes Nicolai, Vincentius Contenſon, & Job. Baptiſta Gonet, qui pluries in Theologia de hac re non ignobiliter, nec ſegniter egunt. Antoninus Reginaldus* de mente Concilii Tridentini circà gratiam ſe ipſa efficacem. *Antoninus Maſſaulie* S. Thomas ſuimet interpres. *Natalis Alexander T. I.* Theolog. Dogmatic. *& qui ex profeſſo* contrà Janſenium *calamum moverunt, Alexander Sebille, Bernardus Guiart, & Franciſcus Vauraſt. Item Hyacinthus Serry in lib.* Auguſtinus Vindicatus contrà Launoy. *Hyacinthus Amat de Graveſon* Diſſert. XVI. de Myſteriis, & Annis Chriſti, *& in ſuis* Epiſtolis *praecipuè in* Apologetica adversùs Scripturiatores Trivultinos. *Noviſſimè Card. Gotti* in Theolog. Dogmatic. Scholaſtic. *Cajetanus Benitez de Lugo* Vera Chriſti Gratia, *&c. Joſeph-Auguſtinus Orſi Secretarius S. Congregationis Indicis in* Apologia prò Petro Soto, *Pius Vandendik* Clementina Unigenitus vindicata. *Noſtris etiam adcenſeri poteſt ſuprà laudatus Neapolitanus Canonicus Inſulatus D. Julius Nicolaus Tornus, qui* in Commentariis Eſtii *ad calcem operis adpoſuit ex adverſo pugnantes Janſenii ſententias, & S. Thomae doctrinam, ut vel coecior talpa dignoſcat ità longè à Janſeniano commento abire Thomiſticam veritatem, ſicut Ortus diſtat ab Occidente.*

Digitized by Google

ducatur aliqua praenotare oportet, & explicare ad impugnationem utriusque confixae thesis; omni tamen dissidio scholastico procul abacto, ne dum cum hostibus fidei conferimus arma, frustrà laboremus dimicando cum fratribus, sed, ut par est, nervum omnem intendamus ad confutationem erroris.

Certum igitur in primis est duplicem dari gratiam: efficacem unam, sufficientem alteram. Gratia enim efficaci homo facit, & actu exsequitur opus supernaturale, ad quod patrandum tali gratia insignitur à Deo; sed gratia sufficiente sollum redditur potens ad agendum, seu in actu primo constituitur talis, licèt numquam in actu secundo perficiet opus supernaturale, ad quod sollum disponitur per suffisiens auxilium: quia ad hanc perfectionem requiritur gratia efficax, qua liberè quidem, sed infallibiliter perfectum opus ponitur actu. Idque clarissimè constat ex doctrina M.P. Augustini, cujus, praecipuè hac in re, ex commendatione RR. Pontificum, Sacrorum Conciliorum, & Patrum, verbo dicam (a), ex Universa salis Ecclesiae adprobatione, tanta est authoritas, ut etiam ex testimonio duorum praecipuè illustrium Theologorum Societatis Jesu, nimirum Cardinalis Bellarmini (b), & Francisci Suarez (c), S. P. Augustini sententia hac in re judicanda sit non peculiaris cujuscumque Doctoris, estò insignis, opinio, sed Ecclesiae Catholicae decretalis sententia, & dogmatica definitio. Inquit enim Aquilinus Doctor. (d) *Aliud est adjutorium, sine quo aliquid non fit, & aliud est adjutorium, quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cùm adfuerint alimenta, eis fit, ut vivat, qui mori voluerit. At verò beatitudo, quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus. Adjutorium est enim non solùm sine quo non fit, verùm etiam quo fit, propter quod datur.* Quapropter vel ex eo differt adjutorium *quo* ab adjutorio *sine quo*, seu gratia efficax à sufficiente, quòd prima (ut idem M. P. expendit (e)) ad credendum, amandum, poenitendum, & cetera quaecumque bona opera supernaturalia patranda praestat *voluntatem magnam, & robustam*, posterior verò ad eadem superioris ordinis opera facienda praestat *voluntatem bonam* quidem, sed *parvam, & invalidam*: quod reapse idem ipsissimum est, quod sub initium hujusce paragraphi adnotavi.

Non me latet, quid hac in re dicat P. Ludovicus Molina, qui etiam adeò

(a) *Doctrina S. P. Augustini praesertim in materia gratiae adprobata fuit à Summis Pontificibus Innocentio I. Zosimo, Bonifacio I. Coelestino I. Gelasio, Hormisda, Johanne II. Gregorio M. Felice IV. Martino V. Clemente VIII. Alexandro VII. & Benedicto XIII. à Conciliis Byzacaeno, Arausicano II. Constantinopol. II. Generali V. Toletano VIII. & praecipuè à Tridentino. Summopere laudata fuit à Patribus Prospero, Hilario, Fulgentio, Jona Aurelianense, Paulino Nolano, à PP. Ecclesiae Lugdunensis, Prudentio, Hilario Arelatense, Facundo Hermianense, Remigio Autisiodorense, Cassiodoro. Hildephonso, Anselmo, Alberto M. Thoma Aquinate, & Bonaventura.*

(b) *Cardin. Bellarminus* Lib. II. de Gratia *Cap. VI.*

(c) *Suarez* Prolegomeno VI. de Gratia *c. 6. Id etiam quam plures alii è Societate Theologi testati sunt.*

(d) *S. Augustinus* Lib. de Correctione, & Gratia *Cap. XI. & XII.*

(e) *Idem* lib. de Gratia, & libero arbitrio *Cap. XVIII.*

Digitized by Google

adeòusque de inventa à se scientia media gloriatur, ut fermè seipsum suprà Augustinum extollat (a). Verùm quia solidioris Theologiae Doctoribus extrà Societatem Jesu notum est cujus ponderis sit Moliniana sententia cùm in materia gratiae, tum in materia scientiae Dei, idcircò nec brevem quidem temporis morulam in ejus sententia confutanda consumere lubet, praecipuè quia cum aliis hostibus est dimicandum. Sanctorum autem Augustini, & Thomae hac in re sententiam esse tenendam praesertim ex decreto Clementis VIII. nemo est, qui ambigat. Et ex historia Congregationis *de Auxiliis* dictae (b), notum est cunctis, qui eruditi audiunt, quanti habenda sit Moliniana sententia, in quam tamen nulla ex decreto SS. P. Pauli V. censura inferenda est. Quapropter scholastico quovis agone contemto, nec per volam, nec per hilum declinando à sententia duorum horumce Coryphaeorum Gratiae, Aquilini, & Aquinatis rem prosequor, & confestim è diverticulo in viam.

II. Adnotandum est auxilia sufficientia esse in duplici differentia (loquor enim hic indiscriminatim de internis, & externis). Quaedam enim dicuntur *oblata*, quia omnibus praeparata omnibus pariter offeruntur à Deo. Quaedam verò dicuntur *collata*, quia eadem, quae parata sunt omnibus, eis actu conferuntur, quibus misericorditer dantur. In primo enim genere sunt passio Christi Redemtoris, ejusque fructus, nec non Sacramenta ab eodem prò omnibus institueta, etsi non omnibus actu collata sint beneficia: praesertim quia ex iis nonnulli reperiuntur, qui incapaces omninò sunt, ut eis praeparata remedia adplicentur. Parvuli enim, qui moriuntur in utero matris, suscipere nequeunt regenerationis lavacrum, estò prò eis quoque paratum, & institutum. Sicut, qui nil unquam de fide audierunt, nullum habent sufficiens auxilium ad credendum, hinc *infideles negativè* dicuntur, & ex hoc inculpabiles, (ut contrà Michaelem Bajum (c) S. Sedes definivit,) qui propterea solùm ex eo gehennalibus flammis addicuntur, quia contrà naturae legem delinquunt, & quae eis denegatur gratia, solùm est poena originalis culpae, ut ex Patribus prae-

(a) *Molina I. P. Qu. XIV. Art. 15. & q. XXIII. Art. 4. & 5. primae editionis de Scientia media loquens ait*: quae si data, explanataque semper fuisset, fortè neque Pelagiana haeresis fuisset exorta, neque Lutherani tàm impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare; neque ex Augustini opinione, & concertationibus cum Pelagianis fideles fuissent turbati, nec ad Pelagianos defeciſſent, facilèque reliquiae illae Pelagianorum in Gallia, quarum in epistolis Prosperi, & Hilarii fit mentio, fuissent extinctae. *Haec autem verba, ut adnotavit N. Gabriel Valentino in* Opusculo de Scientia media *fol. 5. utpotè* audaciora contrà lumen Ecclesiae *Augustinum & PP. V. Societatis fuerunt* erasa ex codice deinceps reimpresso. *Servatur autem à nobis prima editio.*

(b) *Videsis NN. Cll. Thomam de Lemos, & Hyacinthum Serry* in Historia Congregationis de Auxiliis.

(c) *S. Pius V. & Gregorius XIII. damnarunt hanc Baii thesim ordine LXVIII.* Infidelitas purè negativa in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est; *quod Bajanum commentum praefocavit. S. Thomas* 2. 2. *qu. X. art.* 1. *docens*. Si infidelitas accipiatur secundùm negationem puram, sicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis poenae, quia talis ignorantia Divinorum ex peccato primi parentis contracta est.

Digitized by Google

praesertim Augustino clarescit (a). Nec proinde dici possunt nullum influxum ex passione Christi recipere ii, prò quibus jam salutaria remedia sunt praeparata, ut ex infrà dicendis evidenter constabit. Et quamvis non desint Theologi, qui aliter sentiant, tamen quia nonnulli, iique eruditi, adstruunt aliquibus obstinatis in poenam praecedentis peccati denegari auxilia sufficientia, quibus proinde peccata sequentia verè imputantur ad culpam: sicut & nonnullis aliis nulla personali culpa irretitis eadem sufficientia auxilia justè denegantur in poenam primigeniae culpae, qua de causa excusantur à personali peccato (b), ideò satis sit adiaphoram hanc sententiam indigitasse, quam infrà rerùm attingemus, ut validiùs Sacrosancta dogmata vindicemus, omnemque Jansenianis palmam praeripiamus.

In secundo autem genere sunt omnes illustrationes, internae motiones, excitationes ad bonum, piae adfectiones voluntatis, &c. quae per Christum, tanquam per Caput originem & fontem totius gratiae conferuntur. Sed quia hae motiones debiles sunt, movent quidem, excitant, sed actu non emolliunt cor, hominem actu non convertunt ad Deum, ad quem reapse tunc convertitur detestando crimen, Deum amando, & ceteros supernaturalium virtutum actus eliciendo, quum per gratiam victricem, seu suapte natura, & ab intrinseco efficacem (ut loquuntur Thomistae omnes, & qui S. Augustini discipuli audiunt, adprobantibus etiam Supremis Ecclesiae Hierarchis, praecipuè Benedicto XIII. (c)) liberè sponte suaviter, & potenter, gratulanter, & ex corde mutatur in virum alterum, Deum, & Divina Mysteria Fide supernaturali credendo, ipsum tanquam totius dilectionis fontem amando ex toto corde, ex tota anima, &c. Quapropter, ut suprà insinuatum est, in eo discriminatur gratia sufficiens ab efficaci, quòd haec det actu facere, illa verò det posse. Quamvis etiam illa (modò sit collata) in aliquo genere det actu facere, prò quo efficax dicitur, ut cum NN. Cll. Thoma de Lemos, & Didaco Alvarez adnotarunt insigniores Thomistae; Verùm quia non est efficax prò eo, ad quod datur, sed tantùm in eo, quod praestat, absolutè *sufficiens* dicitur, & *auxilium sine quo*. Quandoquidem interna illustratio mentis, aut excitatio voluntatis actu aliquid supernaturale producit, nimirùm, illuminationem intellectus, aut piam motionem in voluntate; sed quia parva haec est, & non robusta, non producit effectum propter quem

(a) *Ità Patres Concilii Byzacaeni in Sardinia in* Epistola Synodali *cap. 9. S. Prosper* in responsione ad IV. objectionem Gallorum. *S. P. Augustinus* lib. de natura, & gratia *Cap. IX. & alibi pluries, item S. Thomas* 2. 2. *Qu.* 2. *Art. V.* Quod quidem auxilium quibuscumque divinitùs datur misericorditer datur, quibus autem non datur ex justitia non datur, in poenam praecedentis peccati, saltem originalis, ut Augustinus dicit in lib. de correptione, & gratia.

(a) *Theologi, qui adstruunt aliquibus denegari auxilia sufficientia plures certè sunt, iique non ignobiles, nimirùm Academiae Lovanienses, & Duacenses, Estius, Juenin, & alii. E' Societate laudantur Vasquez, Suarez, Thyrsus Gonzalez, Descampius, Elizalde, Mangot, nec diffitetur in generali Thesi Cardinalis Bellarminus. Ex Ord. Nostro autem B. Innocentius V. Card. Cajetanus, Bannes, Gonzalez, Alvarez, Lemos, Massaulie, Godoy, Gonet, Serry, & alii.*

(c) *Benedict. XIII. in Bulla* Pretiosus.

Digitized by Google

quem datur, cùm neque ad fidem ſupernaturalem, neque ad theologicam charitatem perducat. Sic E. G. in naturalibus non ſemel medicamen aliquod movet, ſed non reſolvit humores, aptum tamen eſt ad actu movendum: hinc in eo genere motionis efficax eſt, ſed quia non pertingit ad id, propter quod datur, nimirùm ad reſolutionem, unde ſanitas habetur, ineffícax ad ſalutem dicitur: quapropter ſolùm efficaciter moviſſe humores dicitur, & in potentia dumtaxat fuiſſe aptum ad ſanitatem cauſandam. Eo etiam ex praefato momento gratia ſufficiens dividitur in eam, quae eſt *proximè* talis, & in eam, quae ſolùm *remotè* ſufficiens eſt. Gratia *proximè* ſufficiens eſt illa, quae ſe ſola praebet vires ſufficientes, ſeu actu dat poſſe ad ultimatè ponendum actum ultimatè intentum, ſeu propter quem datur: nimirùm ità adjuvat, elevat, & movet, ut ultimatè completè poſſit homo converti ad fidem, vel verè ex animo poenitere, &c. Gratia verò *remotè* ſufficiens ea eſt, quae dat poſſe, ſeu ſufficientes vires non ad actum ultimatè intentum, ſed ad quandam diſpoſitionem, nimirùm ad attritionem, orationem, &c. quo actu tamen poſito Deus conferret ulteriorem gratiam ſufficientem ad effectum ultimatè intentum.

Adnotandum eſt III., quòd juxtà doctrinam Angelici Magiſtri (a), cui univerſim Theologi adſtipulantur, duplex in Deo datur voluntas. Una, quae dicitur voluntas *beneplaciti*, qua propriè, & formaliter Deus aliquid vult: Altera, quae dicitur *ſigni*, quae potiùs dicitur metaphoricè, quàm realiter; voluntas; quum potiùs ſit manifeſtatio voluntatis, quam voluntas ipſa. Manifeſtatur autem Divina voluntas per praeceptum, conſilium, & operationem, quae omnia hoc verſu exprimuntur. *Praecipit, ac prohibet, permittit, conſulit, implet.*

Voluntas *beneplaciti* inſuper (ut facit ad praeſens dogma firmandum, omni ſcholaſtico diſſidio eliminato) ex Damaſceno (b), Angelico (c), aliiſque Theologis dividitur in *antecedentem*, & *conſequentem*, ſeu efficacem, & ineffícacem. Voluntas *antecedens*, & ineffícax ea eſt, qua Deus generali ſua voluntate, & miſericordia motus omnibus bonum exoptat; ſed tamen non vult illud infallibiliter: quapropter nec illud decreto ſuo efficaci determinat. Voluntas verò *conſequens*, & efficax ea eſt, qua Deus infallibiliter vult aliquid fieri: quapropter & illud decernit, & exſecutioni mandat. Utraque autem voluntas, vera, propria, & ſincera voluntas Dei eſt, nullimodè contradictionem involvens. Hanc veritatem optimè Angelicus (d) expendit duplici exemplo, nimirùm, Judicis mitis, ſed juſti, qui utique omnes cupit ad vitam ſervare ex animo, nullumque perdere exoptat, ſed tamen ad juſtitiam ſartam tectam ſervandam homicidas, & latrones damnat.

M

(a) *S. Thomas I. P. Qu. XIX. & Qu. XXIII. de Veritate Art. 1.*

(b) *S. Joh. Damaſcen.* lib. II. de fide Orthodoxa c. 29

(c) *S. Thomas* Qu. XXII. de Veritate, *dicens*: Voluntas de Deo propriè dicitur, & haec eſt voluntas beneplaciti, quae in antecedentem, & conſequentem diſtinguitur.

(b) *S. Thomas* Lectione I. in Cap. II. Epiſtolae ad Timotheum, & Qu. XXIII. de Veritate *Artic. IV. ad I.*

Digitized by Google

nat ad mortem: & mercatoris ſeduli, ac prudentis, qui utique adhuc tempeſtate urgente merces ſalvare cupit; ſed tamen ne pereat ipſe efficaciter projicit merces in mare. In utroque quippe utraque, ſimul voluntas formaliter, & propriè talis mirabili foedere juncta revera eſt: generalis, nempe, ſalvandi hominum vitam, & proprias merces; & peculiaris, qua ex nobiliori momento aliqui addicuntur ad mortem, & merces projiciuntur in mare. Idque vel ex eo potiùs in Deo eſt admittendum, quum in eo hae duae volitiones non diſtinguantur, niſi per ordinem ad objecta, ſeu connotata materialia, non verò in ordine ad objectum formale Divinae voluntatis, quod eſt unicum, & indiviſibile, videlicet bonum Divinum. Quum ergò tàm in ſalute generali omnium miſericordia effulgeat, quàm in aliquorum dumtaxat electione, ceteris reprobatis, Divina juſtitia eniteat, neceſſe eſt binas haſce voluntates per ordinem ad diverſa connotata materialia adſerere: adſtruendo, nimirùm, generalem, & antecedentem, ſeu inefficacem voluntatem, nec non particularem, ſeu efficacem, & conſequentem, ut miſericordia, ſimul & juſtitia (ambae unicum Divinum bonum) ſalventur in eo.

IV. Tandem jure ſummo, rectoque conſilio hìc prò certo, & extrà omnem controverſiae aleam praeſupponendum eſt, quòd Chriſtus Dominus omnium Salvator paſſus, & mortuus ſit efficienter, ſeu voluntate conſequente prò ſolis Electis, ſeu Praedeſtinatis; quatenus, videlicèt, meritum ſuae paſſionis efficaciter adplicavit eiſdem, ſeu auxilia ab intrinſeco, & ſuapte natura efficacia contulit electis ad conſequendam aeternam ſalutem: ea, nimirùm, auxilia ex merito Sanguinis Chriſti efficacia, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur. Hoc enim, vel ex eo praeſuppoſitum volo, quia invictè id probant, qui Auguſtiniani, qui Thomiſtae, & qui Veteres Theologiae Doctores audiunt, & probant ex Primipilis Gratiae, & Praedeſtinationis, nec non totius Theologiae Principibus Aurelio Auguſtino, & Thoma Aquinate, nec non ex Concilio Arauſicano II. aliiſque innumeris authenticis monumentis, praeſertim ex Tridentino; de qua re conſuli poſſunt Authores ſuprà laudati, praeſertim NN. Lemos, & Reginaldus, qui ad miraculum uſque veritatem hanc demonſtrarunt. Neque in praeſentiarum ad rem hanc comprobandam, vel parumper immorandum exiſtimo, ne fortaſsè dum graviores Scholaſticas quaeſtiones vel digito demonſtro, à recta, qua incedo, via declinem. Sufficit autem ad injuriam omnem repellendam, & dicteria retundenda, iterùm in memoriam revocare, quod ſuprà enunciavi, nimirùm ultrà innumeras Pontificum Bullas, quibus Thomiſtica veritas ſarta tecta ſervatur extare etiam noviſſimam deciſionem Benedicti XIII. qui & declaravit praefatam theſim de gratuita electione ad gloriam, & de gratia ab intrinſeco, & ſuapte natura efficacem ipſiſſimam eſſe SS. Auguſtini, & Thomae ſententiam: quinimò laudatus R. P. ut omnimò vindicaret eam ab omni injuſto ſarcaſmo, obtrectatores affricantes nobis idcircò aut Janſenii, aut Queſnellii commmentum, declaravit *falſarios, & impoſtores, & ca-*

lum-

Digitized by Google

Iuniatores (a). His igitur praenotatis.

Oſtenditur catholica veritas, nedum contrà Calvinum, ſed etiam contrà Janſenium, & ſuos pariter affectas in duplici proſcripta theſi confixos. Et primò quidem ex Scriptura utramque propoſitionem ventilando: Apoſtolus enim II. ad Corinthios V. ait. *Si unus prò omnibus mortuus eſt; ergò omnes mortui ſunt, & prò omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Atqui omnes, & ſinguli nemine excepto, ſeu, ut dialectici loquuntur, omnes *diſtributivè*, cùm omnes, & iſte, & ille, & ſinguli (de Beata Virgine Dei Genitrice Maria cum Tridentini Patribus nullum profero verbum) quotquot unquam poſſunt enumerari contraxerint primigeniam culpam. Igitur prò omnibus omninò hominibus, ſive electis, ſive reprobis, ſive fidelibus, ſive Paganis, ſive Judaeis, ſive haereticis, adhuc prò atheis omnium Salvator Chriſtus Sanguinem ſuum fudit in pretium ſimul, & lavacrum. Et quidem Dominus Jesus paſſus, & mortuus eſt prò omnibus enumeratis non ſolùm quoad pretii ſufficientiam (ut ex Calvino repetit Janſenius) quatenus, nimirùm, pretium Sanguinis ejus eſt infiniti valoris (alioquin hoc modo Chriſtus diceretur Mediator, & Redemtor etiam doemonum, quum Sanguis ejus ex momento praefati valoris potens ſit ſalvare doemones ipſos, quod nefas eſt, vel ſomniare) Sed revera prò omnibus electis, & reprobis, fidelibus, & infidelibus mortuus eſt, omnibus praeparando media ad ſalutem conſequendam: diverſimodè tamen juxtà diverſitatem decreti; ſed ità quidem, ut etiam prò reprobis, & infidelibus auxilia ſufficientia ex merito paſſionis ejus ſint praeparata. In cujus evidentiam idemmet Apoſtolus loquens de ſincera Chriſti voluntate ergà filios Adae, abſque ulla exceptione, & nemine penitus excluſo, etiam poſt lapſum Patris, & reatum filiorum, inquit I. Ad Timotheum II. *Vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Nec aliunde hanc voluntatem ſinceram confirmat, quàm ex pretio prò omnibus dato, & ex redemtione omnium facta: ut, nimirùm, ſicut primus Adam perdidit omnes, ſic alter, novus, nempe, & innocens omnes redemit prò omnibus effuſo ſanguine in ſalutem, ibidem v. 6. *Unus mediator Dei, & hominum Chriſtus Jesus, qui dedit redemtionem* (in graeco Textu ἀντίλυτρον redemtionis pretium) *ſemetipſum prò omnibus*; & II. ad Corinthios V. *Chriſtus prò omnibus mortuus eſt.*

Idem quoque Apoſtolus ad Epheſios V. ſcribens adnotat ità fuiſſe traditum Chriſtum prò omnibus ex infinita Dei charitate, ſicut ex ejus amore omnes conditi fuerunt, & ineffabili providentia gubernantur. Atqui ne dum electi, ſed etiam reprobi, non ſolùm fideles, ſed quotquot poſſunt enumerari, aut excogitari infideles ab Eccleſia ſegreges ex ſolius Divinae charitatis impulſu fuerunt conditi à Deo ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam: Nec Deus unquam, vel ſceleſtiſſimum quemque, eſtò ab aeterno cognitum ut talem, aut repulit à dono imaginis ſuae, aut à ſinu providentiae excluſit; ſed ſemper

(a) *Benedictus XIII. in Brevi* Exponi nobis, *& in Bulla* Pretioſius.

Digitized by Google

Solem ſuum oriri fecit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos. Matth. V. Pariformiter ergò omnes redemit, cujuſcumque ii ſint conditionis, fideles, vel infideles, boni, vel mali, reprobi, vel electi. Sicut omnes filii Adae per Chriſtum ſunt conditi, ità omnes per Chriſtum fuere redemti; cùm ipſemet homo Deus ſecundus innocens Adam, & ſupremus omnium Mediator pariter ſit conditor, atque redemtor. Sed quomodo foret omnium Mediator, atque Redemtor, niſi prò omnibus ſe obtuliſſet ἀντίλυτρον Deo eſtò non parili modo, ſed juxtà varietatem dilectionis? *Chriſtus*, inquit Paulus ad Epheſios V. *dilexit nos, & tradidit ſemetipſum prò nobis oblationem, & hoſtiam Deo.* Nec aliter quidem hanc diverſitatem idem Gentium Doctor expendit, quàm in vario, quem producit, effectu merito variae adplicationis Deifici ſanguinis prò omnibus effuſi in pretium ſimul, & lavacrum: quia nimirùm efficaci vocatione aliquos infideles convertit ad fidem, infideles autem, qui in errore perſiſtunt vocat quidem, ſed eis gratiam efficacem, qua actu convertantur, non praeſtat; benè verò gratiam illuminantem, & excitantem, qua poſſint quidem; eſtò actu non convertantur. At hoc nonne eſt idem adſerere, quod invictè propugnamus, nimirùm Chriſtum mortuum eſſe prò omnibus, omneſque influxum recipere ex paſſione Redemtoris? Ad Epheſios II. *Nunc autem in Chriſto Jesu, vos, qui aliquando eratis longè, facti eſtis prope in Sanguine Chriſti: Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum.* Et iterùm I. Ad Timotheum IV. v. 10. *Speramus in Deum vivum, qui eſt Salvator omnium, & maximè fidelium.* Igitur ex Dei Verbo ſcripto ità clarum eſt, quòd Chriſtus Jesus dederit ſemetipſum oblationem prò omnibus Adae filiis, iiſque ne dum praedeſtinatis, ſed etiam reprobis, & non ſolùm prò fidelibus, verùm, & prò omnibus cujuſcumque ſint ſectae, vel falſae religionis, ut Hebraei quoque, Pagani, Heterodoxi, & Athei (ſi adſint) influxum verè recipiant ex paſſione Redemtoris. Ità, inquam, clarum hoc eſt, ut ad anguſtias redacti Calvini gregales primùm, deinde Reformati Batavi Scripturam vitiaverint: hinc ex laudato monumento Apoſtoli I. Ad Timoth. IV. v. 10. eraſerunt τὸ *Salvator*, ſuffeceruntque *conſervator*. Sed fucum, & fraudem horumce novatorum manifeſtant, & convincunt, ne dum omnia primaeva exemplaria Latina, verùm etiam, & Biblia vulgaria Gallica, Belgica, Hollandica, quinimò, & ea, quae ſunt Germano-Calviniſtarum, omniumque Lutheranorum, ut eruditè, & robuſtè eis objiciunt Cll. Fratres Vvalemburgici (a). Neque poſſunt dolum obtegere ex momento latinitatis ſervatae ab eis, quia, nimirùm, non *Salvator*, ſed *Conſervator* latinum ſit verbum: ſicuti conſueverunt reſpondere ad excuſandas excuſationes in peccatis. Quandoquidem id benè obſervarunt Majores eorum, nec unquam id pertentarunt, ut ſartum tectum ſervarent fidei dogma. Id etiam benè norunt omnes graece, & la-

(a) *Fratr. Vvalembur.* in Controverſ. fidei. De inſtrumentis probandae fidei *Cap. VI. §. & falſit. I. pag. 706. & 707.*

Digitized by Google

latinè docti Ecclesiae Patres, qui locum illum Apostoli laudarunt uti nunc extat in textu vulgatae editionis. Id benè insuper omnes Bibliorum editores cognoverunt, sed ut fidei dogma in Divino eloquio traditum custodirent illaesum, numquam temerario ausu corruperunt Testamentum Domini (a). Qua ergò meretricia fronte, qua effraeni temeritate, quo irreverente, & infrunito animo audent aristarchuli extendere censoriam virgam in tot illustres viros, eosque damnare ad puerulorum poenam, ut nimirum submittant manum ferulae scitulorum? Audiant nasuti litteriones M. P. Augustinum, & confundantur. Expendens enim Aquilinus Doctor illud Apostoli I. Ad Timoth XV. ait. (b) *Christus, inquit, Jesus, ideſt Christus Salvator. Hoc est enim latinè Jesus. Nec quaerunt Grammatici, quàm sit latinum, sed Christiani quàm verum. Salus enim latinum nomen est. Salvare, & Salvator non fuerunt haec latina antequam veniret Salvator: quando ad Latinos venit, & haec Latina fecit. Ergò Christus Jesus, Christus Salvator venit in mundum. Et quasi quaereremus quare? ait, Peccatores salvos facere. Ideò Jesus venit. Nam sic ipsum nomen etiam interpretatum, & expositum quodammodo in Evangelio legimus: Vocabunt nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.*

Quod verò hucusque dixi, vel ex eo itidem malas artes Acatholicorum confundit, quia nullum eis faceſſebat negotium ad puritatem linguae servandam, ut vulgaria Gallicana Biblia, sicut & Germanos Sacros Codices vitiarent,

(a) *Omnes Codices, sive Graeci ii sint, sive latini, sive etiam vulgatae editionis habent* Salvator. *In Textu graeco quidem scribitur* Σωτὴρ Soter, *ideſt* Salvator, *ut observarunt omnes eruditi, & etiam adnotavit Georgius Pasor Lutheranus* in Manuali Graecarum vocum Novi Testamenti, *& constat etiam ex illo Lucae II. v.11. Dicitur in graeco Paulino Textu* ὃς ἐστι σωτὴρ πάντων ἀνθρώπων, μάλιστα πιστῶν, *quem latinus interpres vertit*: qui est Salvator omnium, maximè fidelium. *Hunc eundem textum, ità etiam laudarunt omnes Graeci Patres, sic pariter à Pelagio in Ausonium verterunt clarissimi quique latini editores eorum, etiam Protestantes, ut praesertim observari potest in Graeco-latinis Codicibus* Authoris Constitutionum Apostolicarum *lib VII. Cap. I Ignatii Martyris* in Epistolis ad Ephesios, & Magnesianos, *aliisque, & videre est praesertim apud Cl. Johan. Baptistam Cotelerium* Patres Apostolici. *Author* Commentarii in epistol. II. ad Timotheum *sub nomine Ambrosii, qui revera est Hilarius Sardus, ait*: Speramus in Deum vivum, qui est Salutare omnium hominum. *Author lib. de* Vocatione Gentium *falsò Ambrosius, ab aliis autem, vel Hilarius, vel Prosper, &c. A Paschasio Quesnello autem* Dissertat. II. in Opera S. Leonis Magni, *idem S. Leo M. qui ità laudat Apostuli textum Lib. II. Cap. XXXI.* Ipse est, ut Apostolus ait, Salvator omnium hominum, maximè fidelium . . . Dicendo enim. Qui est Salvator omnium hominum confirmavit bonitatem Dei super universos homines esse generalem, adjiciendo autem, maximè fidelium, ostendit esse partem generis humani, quae merito fidei divinitùs inspiratae, ad summam, atque aeternam salutem specialibus beneficiis provehatur. *S. P. Augustinus* in Speculo de Epistola I. Pauli ad Timotheum *Cap. IV. v.10.* Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium maximè fidelium. *Author* Commentarii in I. Ad Timotheum, *inter Opera S. Hieronymi TVIII p.269. idem ait: Hic autem author certè non est Hieronymus, sed Pelagius, qui etiam est author* Commentariorum in omnes S Pauli (*olim sub nomine S. Hieronymi, vel S. Gelasii*) *ut testantur S.P. Augustinus, Cassiodorus, & alii. Vide N. Natalem* Histor. Ecclesiastic. Sec. IV. *C.6. Ità etiam laudatum textum transcribit S. Remigius* in Bibliotheca PP. *T.VIII. P.III.*

(b) *S. P. Augustinus Tom. V. editionis BB.* Sermone CCXCIX. de Natali Apostolorum Petri, & Pauli V.

Digitized by Google

rent. Et nonne propria vox gallica est *Sauveur* latinis Salvator? Nemo certè gallicè doctus audet inficias ire. Cur ergò ea erasa sufficerunt *Conservateur*, nobis Conservator? Idemque dicas de Bibliis Hollandicis, in quibus pridem legebatur *Seeligmacher* nimirum *Salvator*. Sed corrupta deinde à nebulonibus fuerunt, ut novitate, & fraude errori suppetias ferrent. Ex hoc, inquam, tam nefando scelere, quod in quibusdam veteribus heterodoxis, vel ipsi Protestantes detestantur, horumce causa deperdita dignoscitur, & manifestatur.

Verùm, ut omnis cavillatio cùm Calvinianorum, tum Jansenistarum penitus enervetur, addere lubet aliud Novi Foederis monumentum, cui ad confirmationem veritatis respondeat Veteris Testamenti eloquium. Evangelista Johannes in I. Canonica sua Capite II. haec de Salvatore Jesu, ejusque passionis efficacia scribit. *Filioli mei haec scribo vobis, ut non peccetis. Sed etsi quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum. Et ipse est propitiatio prò peccatis nostris: non prò nostris autem tantùm, sed etiam prò totius mundi.* Cùm ergò Christus sit propitiatio prò peccatis totius mundi, nonne Ethnici Judaei Heterodoxi, omnesque infideles, Reprobi simul, & Praedestinati: verbo dicam, omnes quotquot ex Adamo sunt progeniti, influxum recipiunt ex Passione Redemtoris? Procul dubio quia hic innocens secundus Adam mortuus est prò peccatoribus, peccatores omnes, qui in primo Adamo praevaricatore perierunt, influxum recipiunt ex passione Redemtoris: cujuscumque conditionis ii sint, sive qui convertuntur ad fidem, & justitiam, sive qui permanent in errore, sive qui ad coronam sunt electi, sive qui finalem perseverantiam non consequentur. Omnes quidem isti perierunt in Protoplasta: omnes ergò istos redemit, prò omnibus mortuus est Christus. *Vulneratus est propter scelera nostra: disciplina pacis super eum, & livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, & posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum*, inquit Evangelicus Vates Isaias Cap. LIII.

Ostenditur eadem Catholica veritas ex Conciliis. In I. Nicaeno Oecumenico in Symbolo fidei, ità ab omnibus credendum decernitur, dum de Verbo Divino habetur sermo. *Propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Coelis, &c.* Ex qua fidei formula, & professione, ut constat, absque ulla coarctatione, Filius Dei prò omnibus indiscriminatim factus est filius hominis, passus, & mortuus est. Eadem quoque fuit mens Patrum Concilii Arausicani II. idemque fuit definitum ab eis ut fidei dogma tenendum, sicut ex ejusdem Canonibus luce meridiana clarioribus innotescit. Pariter in Concilio Valentino ex tribus Provinciis Viennensi, Lugdunensi, & Arelatensi compacto Seculo IX. cui praefedit S. Remigius Lugdunensium Episcopus; nec non in altero apud Lingonas post Valentinum celebrato Concilio firmatum fuit praesens, quod tuemur, fidei dogma, ut infrà clarius eluceseet. Et ut alias id genus definitiones praeteream. In Concilio Tridentino fuit utrumque adversariorum commentum diris devotum, & praesens fidei articulus iterum iterumque traditus, & confirmatus. Loquentes

tes enim laudati Concilii Patres de paſſione, & morte Jesu Chriſti Redemtoris, ità credendum definiunt. (a) *Hunc propoſuit Deus propitiatorem per fidem in Sanguine ipſius prò peccatis noſtris, non ſolùm autem prò peccatis noſtris, verùm etiam prò totius mundi. Verùm etſi ille prò omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt; Sed ii dumtaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur.*

Neque ullum faceſſit negotium Janſenianorum cavillus, quo ad eludendam vim laudati Concilii adſeritur Patres Tridentinae Synodi aliter omninò ſenſiſſe. Aut enim, inquiunt, & dumtaxat denotarunt pretium, & ſufficientiam Sanguinis Chriſti, quo utique nedum fideles, ſed infideles omnes, electi; imò omnes reprobi poterant ſalvari. Aut etiam, ſubdunt, ibi ſermonem habuerunt de ſalute omnium, ſumto τὸ *omnibus hominibus* prò generibus ſingulorum, ideſt, quòd prò quolibet hominum genere aliquos elegerit, prò eiſque ſanguinem fuderit, ſecùs autem prò ſingulis generum, ſeu prò omnibus omninò hominibus nullo ex eis penitùs excluſo.

Nullum, inquam, negotium faceſſit reſponſio Janſenianorum, quinimò ex momento Tridentini inſubſiſtentia cavilli manifeſtatur. Quum enim Tridentini Patres id unum eo decreto intenderint, ut profligarent Calvinum, ejuſque gregales, nonne elumbe foret decretum, & arundineum fulmen, ſi alicujus ſubſiſtentiae foret objecta interpretatio de ſufficientia valoris Chriſti Sanguinis, & de voluntate ſalvandi omnes homines? Stramineum procul dubio fuiſſet argumentum laudatorum Patrum, quum nec Calvinus unquam fuerit inficiatus, nec vel unus ex ejus aſſeclis in dubium revocaverit, quod Janſeniani, ad effugiendum Tridentini fulmen adinvenerunt. Dum igitur laudata Synodus adversùs Calvinum, ejuſque diſcipulos ex Apoſtolo docet Chriſtum Dominum, mortuum eſſe prò peccatis totius mundi, citrà omnem controverſiae aleam adfirmavit reapſe Salvatorem Jesum prò omnibus, & ſingulis hominibus, ſeu prò ſingulis generum ſuum effudiſſe Sanguinem, prò eiſque revera ἀντίλυτρον ſolviſſe: quod vel ex eo luculentiùs manifeſtatur, quia ibidem eadem Tridentina Synodus decernit, diffinit, declarat Chriſtum prò iis etiam eſſe mortuum, qui paſſionis ſuae non recipiunt ſupremum beneficium, iis nimirùm, qui non ſalvantur. Cùm ergò, & prò iis, qui non recipiunt, & prò iis, qui recipiunt paſſionis beneficium Sanguinem ſuum fuderit in pretium, & lavacrum, nonne prò omnibus, & quibuſvis Adae filiis mortuus eſt omnium Redemtor, ſive ii ſint praedeſtinati, ſive reprobi, ſive fideles ſint, ſive infideles? Certè qui utroque non caligat oculo, aut utroque non claudicat pede, dignoſcit, non refragatur.

Confirmatur III. eadem Catholica veritas ex concordi traditione Patrum, ex quibus tamen aliquos dumtaxat laudabo, ne taedium legenti ingeram ſingulorum monumenta in medium deferendo. Clemens Alexandrinus loquens de Divina luce omnibus affulgente per Ju-

(a) *Tridentin. Seſſ. VI. Cap. 2. & 3.*

Digitized by Google

Justitiae Solem, Verbum in carne, ait. (a) *Audite qui estis longè, audite qui prope, nullis celatum est verbum: lux est communis, omnibus illucescit hominibus, nullus est in verbo timmerius.* S. Ambrosius expendens illud Psalmi „ Misericor- „ dia Domini plena est terra „ inquit: *Sol justitiae omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit, &c.* S. Johannes Chrysostomus. *Si illuminat*, inquit, (b) *omnem hominem venientem in hunc mundum, quonam pacto tot homines sine luce permanent? Neque enim omnes Christum cognoscunt: quomodo ergò illuminat omnem hominem? Illuminat profectò quantùm in ipso est. Si qui autem sponte sua mentis oculis conniventibus ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura in tenebris perstiterunt, sed ex malitia sua sponte tanto se dono indignos reddiderunt.* Idem docuit S. Hieronymus inquiens. (c) *Mentitur Johannes Baptista digito Christum, & voce demonstrans, ac dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, si sunt adhuc in seculo, quorum peccata Christus non tulerit.* Vulgatus Prosper hanc veritatem jam probatam Pelagianis objicit, omnesque fuisse per Christum gratia donatos adfirmat. (d) *Elaboratum est*, inquit, *quantùm Dominus juvit, ut non solùm in novissimis diebus, sed etiam in cunctis retrò seculis probaretur gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse: quoniam sive manifestè, sive in occulto ipse est, ut Apostolus ait, Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* Et ut ceteros omnium Seculorum Patres omittam, S. Bernardus idipsum confirmat dicens. (e) *Sicut possunt omnia dicere Christo: Creator meus es tu. Sic possunt omnes homines eidem dicere: Redemtor meus es tu.* Quid si insuper addas Communes Ecclesiae preces, nimirùm illam in Collecta *Fidelium Deus omnium conditor, & Redemtor*, illasque Hymnorum, quibus Ecclesia in Divinis Officiis utitur: *Christe Redemtor Omnium: Jesu Salvator Seculi: Jesu Redemtor Omnium*, & ceteras id genus preces? Procul dubio acu tanges nimiùm malè sensisse de Christo Salvatore, quotquot aut ad solos praedestinatos, aut ut solos fideles sanguinem ejus facere dixerunt: quum revera ex laudatis monumentis luculenter constet, ità omnes, & quoscumque recipere influxum ex passione Redemtoris, ut juxtà Prophetam *non sit, qui se abscondat à calore ejus.*

Verùm quia Calvinus praesertim ex M. P. Augustino velut ex insigni Ecclesiae Patre primipilo Gratiae, & Praedestinationis adsertore, patrono, & clariore Magistro arma petit, ut furentiùs veritatem impugnet; obtortoque collo laudato Patre ad sua castra delucto fidentiùs fucum se facere existimat catholico dogmati, quod propugnamus: Sicut etiam Jansenius cum assectis ad eundem Patrem ità adpellat, ut vel prò se stabilito tanto Doctore jam de parta victoria glorietur, & triumphos canat; operae pretium est, ut operosiùs in tanti Patris doctrina laudanda, librandaque moremur: sicut & in argumentorum so-

(a) *Clemens Alexandrinus Origenis Magister* Orat. exhort. ad Gentes *ultrà medium*.
(b) *S. Joh. Chrysost.* Homil. VII. in Johannem.
(c) *S. Hieron.* Epist. LXXXII. ad Oceanum.
(d) *S. Prosper*, *seu potius S. Leo* (*ut sup. adnotavi*) *Lib. II.* de Vocatione Gentium (*seu potius* de Vocatione omnium Gentium, *ut ex notis Quesnelli*) *Cap. XXXI.*
(e) *S. Bernardus* in Psalmum Qui habitat.

Digitized by Google

solutione parumper itidem in enodandis explicandisque ex M. Patre petitis objectionibus easdem protrahemus moras. Et quamvis hìc omnia Aquilini Doctoris monumenta laudare non lubeat, ne prolixiorem, quàm fas est, reddamus sermonem; pauca tamen non omittentur, ut juxtà vetus adagium ex ungue leonem dignoscere quis possit.

In primis M. Pater expendens (a) illud Apostoli II. ad Corinthios V. *Si unus prò omnibus mortuus est: ergò omnes mortui sunt*: invictè probat contrà Pelagianos peccatum originale, (quod per unum hominem intravit in Mundum) omnes, quotquot ex Adami semine fuere progeniti, infecisse: itàut (de Virgine Deipara hìc nullum habeo verbum) nemo sit, qui non fuerit primigenia labe pollutus; & ea propter ostendit omnes parvulos sub ipsa prima conceptione eadem culpa irretitos, quia Christus est omnium Redemtor; itàut, sicut unus primus homo omnes perdidit filios, ità unus Deus homo cunctos redemit. Omnium autem Redemtor non est Deus homo, nisi quia passus, nisi quia mortuus prò omnibus, juxtà illud Apocalypsis V. *Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione*. Igitur ità luculenter M. P. Augustinus profligat confixum errorem, ut vel ex eo solo validiora contrà damnatum commentum supperant arma. Quamnam ergò vim haberet M. P. Augustini argumentum contrà Pelagianos eo ex momento petitum, nisi reapse Dei filius mortuus fuisset, & prò singulis generum, & prò generibus singulorum? Elumbe proculdubio, quinimò, & erroneum illud foret, quum ex eo optumè posset inferri aliquos non fuisse primaeva labe infectos eo ipso ac aliqui sunt, quorum non fuit Redemtor Homo Deus Christus Jesus. Concludit idcircò ibidem Aquilinus Doctor. *Si unus prò omnibus mortuus est, ergò omnes mortui sunt. In hos omnes cum peccato mors pertransiit per illum, in quo omnes moriuntur: ibi sunt, & parvuli, quia & prò ipsis Christus mortuus est: qui propterea prò omnibus mortuus est, quia omnes mortui sunt. Quidquid argumenteris, quidquid tergiverseris, quidquid Apostolicorum verborum conaris evertere, sive pervertere, à morte, quae in peccato est, parvulos non ostendis immunes: quia & prò eis Christum mortuum negare non audes.*

Similiter idem M. P. disertissimè ostendit ex eo Christum mortuum esse prò Reprobis, Paganis, aliisque infidelibus, quia eos judicaturus est: Judicaturus est autem eos, quia sanguinem, quem prò eis fudit, isti conculcarunt: Sed quomodo passus fuisset prò eis, quomodo eis objiceret, quam prò eisdem pertulit passionem, nisi revera influxum reciperent ex ea quotquot sunt damnandi reprobi, infideles, Pagani, &c.? Quia igitur sanguinem suum fudit in pretium, & lavacrum prò his, qui in judicio damnandi sunt, jure summo eos repellet, eisdem improperabit crimina, & de pretio sanguinis pessumdato increpabit eos. Sic enim de Christo Salvatore, & Judice loquitur Augusti-

(a) *S. P. Augustin.* lib. II. Operis imperfecti contra Julianum *cap. CLXXV. idem habet* lib. VI. contrà Julianum *cap.* 4. Lib. II. de Nuptiis, & concupiscentia *cap.* 3. *Lib. XX.* de Civitate Dei *c. VI.*

Digitized by Google

nus. (a) *Inimicis ſuis vulnera demonſtraturus eſt, propter quod dictum eſt per Prophetam: Videbunt in quem pupugerunt; non ut eis dicat, ſicut Thomae: Quia vidiſti, credidiſti; ſed ut convincens eos veritas dicat: Ecce hominem, quem crucifixiſtis: Ecce Deum, & hominem, in quem credere noluiſtis: videtis vulnera, quae inflixiſtis: agnoſcite latus, quòd pupugiſtis; quoniam* ET PER VOS, ET PROPTER VOS APERTUM EST, *nec tamen intrare voluiſtis.* Idem alibi repetit Auguſtinus, ubi probat revera Chriſtum eſſe Salvatorem eorummet, qui eum crucifixerunt. Ait enim: (b) *Populi ſpernentes propter ſuperbiam ſuam humilitatem Dei, crucifixerunt* SALVATOREM SUUM, *& fecerunt* DAMNATOREM *ſuum.* Et infrà (c) expendens illud Chriſti Domini. *Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum*: optimè hinc concludit Chriſtum revera eſſe Salvatorem omnium hominum, cujuſcumque ii ſint conditionis, & ſectae, etiamſi iſti actu non ſalventur, ſeu actu eis non adplicetur remedium paſſionis, quod tamen omnibus praeparavit Coeleſtis Medicus, ex Sanguine ſuo pharmacum faciens ad ſalutem omnium ex Adamo progenitorum. *Ergò*, inquit, *quantùm eſt in Medico ſanare venit aegrotum. Ipſe ſe interimit, qui praecepta Medici ſervare non vult. Venit* SALVATOR *in Mundum*: *quare* SALVATOR *dictus eſt mundi, niſi ut ſalvet mundum, non ut judicet mundum? Salvari non vis ab ipſo? ex te judicaberis.* Idem quoque alibi repetit (d), & ut omnem cavillationem repellat, & praefocet, ità luculenter mentem ſuam aperit, ut nonniſi in ſole coecutire dicendus ſit, qui aliter interpretari, ſeu contorquere ejus mentem pertentaverit unquam. *Attendamus*, inquit, (e) *ad judicium dilectionis, & promiſſionis Dei, tales arrhas tenemus, mortem Chriſti tenemus, Sanguinem Chriſti tenemus..... Erigat ergò ſe humana fragilitas, non deſperet, non ſe collidat: Qui promiſit Deus eſt, & venit ut promitteret, & apparuit hominibus: venit ſuſcipere mortem noſtram, promittere vitam ſuam... Quid tibi promiſit Deus, ò homo mortalis? Quia victurus es in aeternum. Non credis? Crede: plus enim eſt quòd fecit, mortuus eſt prò te. Quid promiſit? Ut vivas cum illo. Incredibilius eſt, quòd mortuus eſt aeternus, quàm in aeternum vivat mortalis. Jam quod incredibilius eſt tenemus, ſi propter homines mortuus eſt Deus, non eſt victurus homo cum Deo? Nunc eſt victurus mortalis in aeternum propter quem mortuus eſt, qui vivit in aeternum.* Et iterùm, ut oſtendat Chriſtum revera optaſſe omnium ſalutem in Cruce, inquit: (f) *Et de cruce cùm diceret* „ Sitio „ *fidem illorum quaerebat, prò quibus dixerat* „ Pater ignoſce „ il-

(a) *S. P. Auguſtin.* Lib. II. de fide ad Catechumenos. *Liber hic, ſeu* Sermo II. *à PP. BB. Auguſtino abjudicatur ſimul cum duobus aliis III. nimirùm, & IV. & ſolùm I. Liber ei adſcribitur. Lovanienſes verò Auguſtini genuinum opus dicunt. Verùm quicumque ejus ſit author, eſtò Auguſtino poſterior, & eruditione inferior, dignus eſt, qui laudetur contrà fidei hoſtes. Adſunt tamen ſimilia M. P. teſtimonia contrà Heterodoxos, ut mox conſtabit.*

(b) *S. Auguſtinus* Tractatu VIII. in Johannem.
(c) *Idem* Tract. XII. in Cap. III. Johannis.
(d) *Idem* Tract. XXXVI. in Johannem.
(e) *Idem* Enarratione in Pſalmum CXLVIII.
(f) *Idem* Serm. I. in Pſalmum LXVIII.

Digitized by Google

„ illis, qui nescíunt quid faciunt „. *Sed illi homines quid propinarunt sitienti? Acetum. Acetum etiam vetus dicitur. Meritò de vetere homine propinarunt, quia novi esse noluerunt. Quare novi esse noluerunt? Quia ad titulum Psalmi hujus, ubi scriptum est* „ Prò iis, qui commutabuntur „ *non pertinuerunt*. Cùm ergò Christus prò omnibus omninò hominibus mortuus sit, ut ex dilucido Augustini textu colligitur, procul dubio ex eodemmet Augustino Christus Dominus prò fidelibus, ac infidelibus, prò reprobis, ac praedestinatis, etsi non aequaliter prò omnibus (ne in alium ex adverso errorem prolabamur) Coelesti suo Patri in lytrum, & redemtionem se obtulit, omniumque hominum voluit salutem. Quia iterùm omnis influxus gratiae, lucis, & misericordiae in filios Adae est ex eodem Sanguine Christi, quem ille prò omnibus effudit in pretium, & lavacrum, certissimè tenendum est ex doctrina M. Patris Paganos, Hebraeos, aliosque infideles influxum recipere ex Sanguine Redemtoris.

Quod totum iterùm firmatur ex ratiocinio, & doctrina ejusdem S. Doctoris. Procul dubio Christus in fine Seculorum judicabit omnes homines: omnes, inquam, nemine excepto, & quotquot ex Adamo fuere progeniti, ut ex Evangelio colligitur (a). Idcircò autem judicabit, quia omnium fuit Redemtor, ut ex Divino eloquio est manifestum (b). Igitur Christus revera Sanguinem suum fudit prò fidelibus, & infidelibus, reprobis, & praedestinatis. Audiatur M. Pater, cujus est argumentum. Expendens enim illud Psal. XCV. *Judicabit Orbem terrae in aequitate*, ait. „ Non partem, quia non partem emit. „ Totum judicare habet, quia prò toto „ pretium dedit. Audistis Evangelium, „ quia *cùm venerit*, inquit, *congregabit* „ *electos suos à quatuor ventis*. Congregat electos omnes à quatuor ventis: „ ergò de toto Orbe terrarum. Quia „ & ipse ADAM (aliquando hoc dixeram (c)) Orbem terrarum significat „ secundùm graecam linguam. Quatuor enim litterae sunt, A, D, A, & „ M. Sicut autem Graeci loquuntur, „ quatuor Orbis partes has in capite „ litteras habent. Ἀνατολήν dicunt Orientem, Δύσιν Occidentem: Ἄρκτον Aquilonem, Μεσημβρίαν Meridiem. Habes, ADAM. Ipse ergò Adam toto „ Orbe terrarum sparsus est. In uno „ loco fuit, & cecidit, & quodam „ modo comminutus implevit Orbem „ terrarum: Sed misericordia Dei undique collegit fracturas, & conflavit igne Charitatis, & fecit unum „ quod fractum erat. Novit illud facere artifex ille, nemo desperet. „ Multum quidem est, sed qui sit artifex, cogitate. Ille refecit qui fecit; „ Ille reformavit, qui formavit. *Judicabit Orbem terrarum in aequitate, & populos in veritate sua.* Quae est aequitas, & veritas? Congregabit secum

(a) *Matth. XXV.* Cùm venerit Filius hominis in Majestate sua ... congregabuntur ante eum omnes gentes, &c.

(b) *Actor. X. Postquam Petrus edixit passionem Christi, subjunxit.* Ipse est, qui constitutus est à Deò Judex vivorum, & mortuorum.

(c) *S. P. Augustinus* Enarrat. in Psalm. XCV. *laudat quod alibi dixerat, & hic repetit, idemque docuerat* Tract. IX. in Johannem *nu.* 14. & Tract. X. *num.* 12.

Digitized by Google

„ electos ſuos adjudicandum, ceteros „ autem ſeparabit ab invicem. Poſitu„ rus eſt enim alios ad dexteram, alios „ ad ſiniſtram „.

Eodem argumento utitur Angelicus Magiſter ad rem praeſentem comprobandam, cujus monumenta hìc laudare operae pretium eſt, quum non minùs ex Auguſtino, quàm ex Aquinate patrocinium quaerant prò deſperata cauſa Janſeniani, ut praeſertim videre eſt in Aegidio Albano noviſſimo Janſenii Yprenſis Epiſcopi Apologiſta (a). Quaerens enim (b) S. Thomas. *Utrùm omnes homines in judicio comparebunt?* ſic veritatem articuli firmat. „ Reſpondeo dicendum, „ quòd poteſtas judiciaria Chriſto homini collata eſt in praemium humi„ litatis, quam in paſſione exhibuit: ipſe autem in ſua paſſione ſanguinem prò omnibus fudit, quantùm ad ſuf„ ficientiam, licèt non in omnibus effe„ ctum habuit, propter impedimentum „ in aliquibus inventum; & ideò con„ gruum eſt, ut omnes homines in ju„ dicio congregentur ad videndum ejus „ exaltationem in humana natura, ſe„ cundùm quam conſtitutus eſt à Deo „ judex vivorum, & mortuorum „. Similiter infrà, quaerens idem Aquinas. *Utrum Chriſtus in forma humanitatis ſit judicaturus?* (c) „Reſpondeo „inquit„ „ dicendum, quòd judicium aliquod „ dominium in judicando requirit, un„ de Rom. XIV. *Tu quis es, qui judicas „ alienum ſervum?* Et ideò ſecundùm „ hoc Chriſto competit judicare ſecun„ dùm quod dominium ſuper homines „ habet; de quibus principaliter erit fi„ nale judicium: Ipſe autem eſt noſter „ Dominus, non ſolùm ratione crea„ tionis, quia *Dominus ipſe eſt Deus, „ ipſe fecit nos, & non ipſi nos* Pſ. LXIX. „ Sed etiam ratione redemtionis, quod „ ei competit ſecundùm humanam na„ turam: Unde Rom. XIV. *In hoc Chri„ ſtus mortuus eſt, & reſurrexit, ut & „ mortuorum, & vivorum dominetur.* „ Ad praemium autem vitae aeternae „ conſequendum nobis creationis bona „ non ſufficerent, niſi redemtionis be„ neficium adderetur, propter impe„ dimentum, quod naturae creatae „ ſupervenit ex peccato primi parentis. „ Unde cùm finale judicium ad hoc „ ordinetur, ut aliqui admittantur ad „ Regnum, & aliqui excludantur à Re„ gno, conveniens eſt, ut ipſe Chri„ ſtus ſecundùm humanam naturam, „ cujus redemtionis beneficio ad Re„ gnum admittuntur, illi judicio prae„ ſideat: & hoc eſt, quod dicitur Acto„ rum X. quòd *ipſe conſtitutus eſt à Deo „ judex vivorum, & mortuorum, &c.*

Ut autem uberiùs oſtendatur, quàm longè abeat S. Doctor ab Yprenſi Epiſcopo, ejuſque diſcipulis, alia ejuſdem Angelici Praeceptoris (non omnia tamen, quia in longum nimis protracta oratio taedium lectoribus adferret) monumenta producere fas eſt. Loquens enim de diverſitate effectus, & de valore paſſionis Chriſti ait: (d) „Dicendum „ quòd hoc, quòd omnes homines non „ re-

(a) *Aegidius Albanus* Auguſtinus Yprenſis vindicatus *P. I. Cap. 25.*

(b) *S. Thomas* in Supplemento *ad III. P. Qu. XCI. Art. V*, in corpore.

(c) *Idem ibidem Qu. XCII. Art. I.* in corpore.

(d) *S. Thomas III.* Sententiarum *Diſtin. XX, qu. I. artic. I. quaeſtiuncula 1, ad 2.*

Digitized by Google

„ reparantur, non est ex insufficientia „ medicinae reparantis, cùm sit sufficiens quantùm in se est ad reparandum omnes, qui naturam humanam habent, vel habere possunt, sed ex defectu eorum, qui reparationis effectum in se ipsis impediunt.„ Et iterùm de eadem Christi Salvatoris passione loquens, inquit: (a) „ Ad secundum dicendum, quòd sicut passio Christi prodest quidem omnibus quoad sufficientiam, & ad remissionem culpae, & ad electionem gratiae, & gloriae; sed effectum non habet „ nisi in illis, qui passioni Christi conjunguntur per fidem, & charitatem.„ Et iterùm alibi. (b) „ Christus est medium conjungens, quoniam est justus, & mortalis, & per suam mortem conjungit nos Dei justitiae 1. Johannis 2. *Ipse est propitiatio prò peccatis nostris, &c.* Prò aliquibus efficaciter, sed prò omnibus sufficienter: quia pretium sanguinis ejus sufficiens est ad salutem omnium, sed non habet efficaciam, nisi in Electis, propter impedimentum.

Ne autem cavillando mentiantur Janseniani adstruentes S. Thomam loqui utique de sola sufficientia pretii, seu coelestis lytri, quod procul dubio ex causa infiniti valoris sufficiens erat etiam ad doemonum salutem (estò ex laudatis S. Thomae monumentis oppositum dilucidè colligatur, & S. D. solummodò de hominum salute loquatur) alia S. Doctoris monumenta in medium producere lubet. Expendens illud Apostoli I. Ad Corinthios VIII. *Peribit infirmus, &c.* haec habet. (c) „ Dicit ergò, „ *& ità peribit infirmus in fide*, idest in „ tua conscientia *frater*, idest occasione accepta à tua scientia: quia te sapientem videt comedere, putans quòd „ sub idoli veneratione comedas, PROPTER QUEM SALVANDUM „ CHRISTUS MORTUUS EST. Ità „ graviter peccas Romanorum XIV. „ *Noli cibo perdere illum, prò quo mortuus „ est Christus* „. Et alibi idem S. D. expendens illud Christi Salvatoris Jo. XIX. *Sitio*, ità ad rem loquitur. (d) „ Per hoc „ quòd dicit *sitio*, ostenditur ejus ardens desiderium de salute generis humani 1. ad Timoth. II. *Vult omnes homines salvos fieri*. Lucae XIX. *Venit „ filius hominis quaerere, & salvum facere, quod perierat*. Vehemens autem „ desiderium consuevimus exprimere „ per sitim „. Similiter idem Angelicus Doctor quaerens *utrum voluntas Dei semper impleatur* (e)? mentem suam clarissimè manifestat in responsione ad I. objectionem, & omne effugium Jansenianis praeripit. „ Ad primum ergò dicendum, quòd illud verbum Apostoli, *Deus vult omnes salvos fieri, &c.* „ potest tripliciter intelligi. Uno modo, ut sit accomoda distributio, secundùm hunc sensum: *Deus vult salvos fieri omnes homines, qui salvantur, „ non quia nullus homo sit, quem salvum „ fieri non velit: sed quia nullus salvus „ fit, quem non velit salvum fieri*, ut di-

„ cit

(a) *Idem III. P. Qu. LXXIX. Art. VII. ad 2.*
(b) *S. Thomas* Lect. I. in Cap. II. Ad Timotheum.
(c) *Idem* Lectione II. in Cap. VIII. I. Ad Corinthios.
(d) *Idem* Lectione III. in Caput XIX. Johannis.
(e) *Idem I. P. Qu. XIX. art. 6.*

Digitized by Google

„ cit Augustinus (a). Secundò potest „ intelligi, ut fiat distributio *prò generi-* „ *bus singulorum*, & non prò *singulis ge-* „ *nerum*, secundùm hunc sensum: *Deus* „ *vult de quolibet statu hominum salvos* „ *fieri, mares, & foeminas, Judaeos, &* „ *Gentiles, parvos & magnos*; non ta- „ men omnes de singulis statibus. Ter- „ tiò secundùm Damascenum (b), in- „ telligitur de voluntate *antecedente*, „ non de voluntate *consequente*. Quae „ quidem distinctio non accipitur ex „ parte ipsius voluntatis Divinae, in „ qua nihil est prius, vel posterius, sed „ ex parte volitorum. Ad cujus intel- „ lectum considerandum est, quòd „ unumquodque secundùm quòd bo- „ num est, sic est volitum à Deo. Ali- „ quid autem potest esse in prima sui „ consideratione, secundùm quòd ab- „ solutè consideratur, bonum, vel ma- „ lum: Quod tamen, prout cum aliquo „ adjuncto consideratur (quae est con- „ sequens consideratio ejus) è contra- „ rio se habet. Sicut hominem vivere „ est bonum, & hominem occidi est „ malum, secundùm absolutam consi- „ derationem: sed si addatur circà ali- „ quem hominem, quòd sit homicida, „ vel vivens in periculum multitudinis: „ Sic bonum est eum occidi, & malum „ est eum vivere: undè potest dici, „ quòd Judex justus antecedenter vult „ omnem hominem vivere: sed conse- „ quenter vult homicidam suspendi. Si- „ militer Deus antecedenter vult om- „ nem hominem salvari, sed conse- „ quenter vult quosdam damnari se- „ cundùm exigentiam suae justitiae. „ Neque tamen id, quod *antecedenter* „ volumus, simpliciter volumus; sed se- „ cundùm quid (c): quia voluntas com- „ paratur ad res secundùm quod in „ se ipsis sunt. In se ipsis autem sunt in „ particulari. Unde simpliciter volu- „ mus aliquid secundùm quod volu- „ mus illud consideratis omnibus cir- „ cumstantiis particularibus, quod est „ *consequenter* velle. Undè potest dici, „ quòd Judex justus simpliciter vult ho- „ micidam suspendi: sed secundùm „ quid vellet eum vivere, scilicet in „ quantùm est homo: undè magis po- „ test dici *velleitas*, quàm absoluta „ voluntas. Et sic patet, quòd quidquid „ Deus simpliciter vult, fit; licèt illud, „ quod *antecedenter* vult; non fiat. „ Ex his ergò monumentis Angelici Doctoris ità dilucidum est fuisse ab eo dictis devotum, quod pridem Calvinus, deinde Jansenius contrà Dei misericordiam, & valorem Sanguinis Christi, adin-

(a) *Ex nota marginali N. Johannis Nicolai ibidem*. Colligitur ex lib. de Praedestinat. Sanctorum Cap. VIII. & ex Enchiridio cap. 103. & lib. 4. contrà Julian. cap. 8.

(b) *N. Cl. Johannes Nicolai dum locum Damasceni adponit, sic eruditè adnotat. ibid. ad notam marginalem solut. 1. argum.* Quod autem subjungitur ex Damasceno, apud illum habetur lib. 2. de fide orthodoxa cap. 29. & ex eodem passim refert S. Thomas, ac potissimùm in illum ipsum locum Apostoli. *Sed notandum ex eodem, quòd Jansseniani eam ex Damasceno explicationem à S. Thoma laudatam nunquam usurpant, sed supprimunt, ut rudiores decipiant.*

(c) *Observat ibidem laudatus Nicolai, quòd malè aliqui, qui se Thomistas profitentur*, confundant voluntatem signi, quae impropria est, cum voluntate antecedente, nec satis cautè quid S. Thomas dicat, legunt, vel attendunt, cùm nihil expressiùs pateat apud illum, quàm quòd voluntas antecedens (quamlibet imperfecta, & secundùm quid) sit voluntas beneplaciti, & nominatim cùm ex professo verba explicat, quae superiùs ex I. Ad Timotheum 2. relata sunt.

Digitized by Google

adinvenerunt, commentum, ut nullus ſuppetat amplius, aut paralogiſmis, aut caeſpitationibus locus; victaſque idcircò oportet, ut dent manus Apoſtolico decreto: quum ab eo redarguantur, quem ſibi, (eſtò per calumniam, & impoſturam) praefixerunt Patronum, & Tutelarem.

Ne autem iterùm aliquod inde capeſſant motivum me, aut Angelicum Doctorem ventilandi (ſicut reapſe per fucum, & dolum Janſenius carpſit Scholaſticos, quos ſibi adverſantes offendit (a)) & ad minùs Semi-Pelagianorum commento adcenſendi traditam doctrinam, nimirùm, quòd Deus velit ſalutem omnium dummodo obicem non ponant, ideſt, ſi iſti velint. Audiant S.Thomam actutùm ſubdentem *ex gratia Dei*. Vult ergò Deus voluntate antecedente ſalutem omnium, etiam reproborum, ſi iſti Divina gratia adjuti conſenſum praebeant vocationi, & legi Dei: ſed quia juſtiſſimo Dei judicio reprobi privantur gratia efficaci, quae dat actu facere, & infallibiter ponere perfectum conſenſum, & opus; ideò juſtiſſima ſententia infallibiliter excluduntur à Regno. Quia tamen non deficit Dei lumen, excitamentum, vocatio, &c. non deficit Dei auxilium, juxtà ſuperiùs expenſa; & quia inſuper tota malitia eſt ex parte reſiſtentis Spiritui Sancto, rectè dicit Dominus per Oſeam C.XIII. *Perditio tua, Iſraël: tantummodo in me auxilium tuum*. Ad confutationem igitur cujuſcumque impoſturae audiatur iterùm M. P. Auguſtinus, quem non ſemel laudat Angelicus, qui ejus veſtigia ſequitur, quae itidem, & nos cum eodem terimus, & veneramur, veram Chriſti gratiam confitentes, & propugnantes, ex eiſque pariter, quae hucuſque dixi, explicata ſunto. Inquit enim M. P. (b) *Verum eſt omninò omnes homines hoc poſſe ſi velint, ſed praeparatur voluntas à Domino, & tantùm angetur munere charitatis, ut poſſint*.

Ut autem haec nuper dicta magis explicentur, & pridem probata firmiùs ſtabiliantur, non taedet alia S.Thomae monumenta laudare, quibus amnis Janſeniana fraus confundatur, & Catholica veritas magis illuſtretur. Quum enim hanc ſtabiliviſſet theſim, quam veluti titulum adpoſuit peculiari capiti. (c) *Quòd rationabiliter homini imputatur ſi ad Deum non convertatur, quamvis hoc ſine gratia non poſſit*; ità rem totam dilucidat: „ Cùm autem ſicut ex praemiſſis habe„ tur, in finem ultimum aliquis dirigi „ non poſſit, niſi auxilio Divinae gra„ tiae, ſine qua etiam nullus poteſt ha„ bere ea, quae ſunt neceſſaria ad ten„ dendum in ultimum finem, ſicut eſt „ Fides, Spes, & Dilectio, & Perſe„ verantia: poteſt alicui videri, quòd „ non ſit homini imputandum, ſi prae„ dictis careat: praecipuè, cùm auxi„ lium

(a) *Cornelius Janſenius Yprenſis* Lib. III. de Gratia Chriſti Salvatoris *cap.* 21. *pag.*166. *col.* 2. *ait*. Illa extenſio tàm vaga modernorum Scriptorum non alio ex capite, quàm ex iſta generali, & indifferenti voluntate Dei ergà ſalutem omnium, & ex illa ſufficientis gratiae omnibus conferendae praeparatione fluxit: quorum utrumque Auguſtinus, Proſper, Fulgentius, & antiqua Eccleſia velut machinam à Semi-Pelagianis introductam repudiavit. *Sed quàm turpiter mentiatur Janſenius, ex hucuſque dictis clareſcit, & ex infrà addendis clarius innoteſcet*.

(b) *S.Auguſtinus* lib.I. Retractationum *C.X.*

(c) *S.Thomas* Lib.III. contrà Gentiles *C.*159.

Digitized by Google

„ lium Divinae gratiae mereri non pos-
„ sit, nec ad Deum converti, nisi
„ Deus eum convertat: Nulli enim
„ imputatur, quod ab alio dependet.
„ Quòd si hoc concedatur, plura in-
„ convenientia consequi manifestum
„ est. Sequeretur enim, quòd ille, qui
„ fidem non habet, nec spem, nec di-
„ lectionem Dei, nec perseverantiam
„ in bono, non sit poena dignus: cùm
„ expressè dicatur Johannis III. *Qui in-*
„ *credulus est Filio non videbit vitam, sed*
„ *ira Dei manet super eum*. Et cùm nul-
„ lus ad Beatitudinis finem sine prae-
„ missis perveniat, sequetur ulteriùs,
„ quòd aliqui homines sint, qui nec
„ Beatitudinem consequantur, nec poe-
„ nam patiantur à Deo: cujus contra-
„ rium ostenditur ex eo, quod dicitur
„ Matthaei XXV. quòd omnibus in Di-
„ vino judicio existentibus dicetur: *Ve-*
„ *nite possidete paratum vobis Regnum*, vel
„ *discedite in ignem aeternum*. Ad hujus
„ dubitationis solutionem considéran-
„ dum est, quòd licèt aliquis per mo-
„ tum liberi arbitrii Divinam gratiam,
„ nec promereri, nec acquirére possit:
„ potest tamen seipsum impedire, ne
„ eam recipiat: dicitur enim de qui-
„ busdam Job XXI. *Dixerunt Deo rece-*
„ *de à nobis, & scientiam viarum tuarum*
„ *nolumus*: Et Job XXIV. *Ipsi fuerunt re-*
„ *belles lumini*. Et cùm hoc sit in pote-
„ state liberi arbitrii impedire Divinae
„ gratiae receptionem, vel non impe-
„ dire: non immeritò in culpam impu-
„ tatur ei, qui impedimentum praestat
„ gratiae receptioni. DEUS ENIM
„ QUANTUM IN SE EST, PARA-
„ TUS EST OMNIBUS GRATIAM
„ DARE. VULT ENIM OMNES
„ HOMINES SALVOS FIERI, ET
„ AD COGNITIONEM VERITA-
„ TIS VENIRE, ut dicitur I. ad Ti-
„ moth. 2. Sed illi soli gratia privantur,
„ qui in seipsis gratiae impedimentum
„ praestant. Sicut Sole mundum illu-
„ minante in culpam imputatur ei, qui
„ oculos claudit, si ex hoc aliquod ma-
„ lum sequatur: licèt videre non pos-
„ sit, nisi lumine Solis praeveniatur.„
Et iterùm: (a) „ Deus voluntate sua
„ liberalissima dat gratiam omni prae-
„ paranti se. Apocalypsis 3. *Ecce sto ad*
„ *ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi*
„ *intrabo ad eum*. I. ad Timoth. 2. *Qui*
„ *vult omnes homines salvos fieri*. ET
„ IDEO GRATIA DEI NULLI DE-
„ EST, SED OMNIBUS QUAN-
„ TUM IN SE EST COMMUNI-
„ CAT: SICUT NEC SOL DEEST
„ OCULIS COECIS. Dicit ergò (Apo-
„ stolus) *contemplantes, ne quis desit gra-*
„ *tiae Dei*. „ Et iterùm alibi: (b) „ Cor
„ humanum ex se ad inferiora tendens
„ non potest sursùm elevari, nisi tra-
„ ctum: Si verò non elevatur, non
„ est defectus ex parte trahentis, QUI
„ QUANTUM EST IN SE NULLI
„ DEFECIT, SED EST PROPTER
„ IMPEDIMENTUM EJUS, QUI
„ NON TRAHITUR, &c. DEUS
„ ENIM OMNIBUS AD TRA-
„ HENDUM MANUM PORRIGIT
„ QUANTUM IN SE: ET QUOD
„ PLUS EST, non solùm attrahit ma-
„ nus

(a) *S. Thomas* Lectione III. in Cap. XII. Epistol. ad Hebraeos.

(b) *Idem in* Cap. VI. Johannis.

Digitized by Google

„ nùs recipientis, ſed etiam averſos „ ad ſe convertit, &c. Ex quo ergò „ Deus paratus eſt dare omnibus gra- „ tiam, & ad ſe attrahere, non impu- „ tatur ei ſi aliquis non accipiat.„ Id- que pluries idem Angelicus repetit (a); quapropter omne effugium Janſenianis obſepitur, & qui ex eo patrocinium jactant, turpiter mentiuntur.

Objiciunt Janſeniani: Scriptura, Patres, & Eccleſia Antiqua clamant contrà novellum inventum, ſeu commentum iſtud de voluntate ſalvandi omnes, necnon de Sanguine Redemtoris effuſo prò Paganis, ceteriſque infidelibus. Igitur immeritò binae hae theſes fulguritae fuerunt. Probant antecedens quoad primam partem. Johannis X. Chriſtus inquit: *Animam meam pono prò ovibus meis.* Oves autem procul dubio non ſunt reprobi, qui potius haedis in Evangelio comparantur, ſed ſolummodo ſunt Electi: hinc idem Chriſtus ibidem de eis loquens ait: *Oves meae vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me.* Et iterùm ibidem: *Qui non pereunt in aeternum, & quos non rapiet quiſquam.* Similiter Johan. XVII. *Non prò mundo rogo, ſed prò his, quos dediſti mihi.* Hi autem ſunt ſoli electi; adeòque prò iſtis dumtaxat rogavit, hoſce ſolùm vult ad gloriam, nullatenus verò reprobos, prò quibus haud oravit. Et tandem (cum ejuſdem ſint ponderis alia ſcripturarum monumenta) in Sacra Coena conſecraturus Calicem, inquit: (b) *Hic eſt Sanguis meus, qui prò vobis, & prò multis effundetur.* Prò fidelibus igitur, & electis, ſecùs verò prò infidelibus, & reprobis effuſus eſt Chriſti Sanguis, ut ex legitima inlatione ex Divino monumento conſtat.

Patres itidem quid communibus inculcant, quàm quod Janſenius docuit? Audiatur M. Pater Auguſtinus. (c) *Si de aliquibus Eccleſia ità certa eſſet, ut qui ſunt illi, etiam noſſet, qui licèt adhuc in hac vita conſtituti ſunt, tamen praedeſtinati ſunt in aeternum ignem ire cum diabolo, tam prò eis non oraret, quàm nec prò ipſo.* Si ergò Eccleſia non oraret prò iſtis, procul dubio eo ex momento, quòd Chriſtus nec prò ipſis oravit. Ii autem, prò quibus non oravit Chriſtus, non ſunt de eorum genere, quos vult ſalvos fieri, vel prò quibus ſanguinem fudit. Igitur reprobos Deus nullimodè vult ad gloriam; & quae adſeritur voluntas *antecedens* commentum eſt recentiorum Scholaſticorum. Hoc ipſum ex Evangelio dilucidè probat Auguſtinus, dum ex eo adnotat „ duos dari mundos, prò „ quorum altero Chriſtus nec oravit, „ nec mortem oppetiit, nec ſanguinem „ fudit, & quorum alter *Credit, quia* „ *à Patre miſſus eſt*, Joh. XVII. ac quem „ *Deus ità dilexit, ut filium ſuum unige-* „ *nitum daret... non ut judicet mundum,* „ *ſed ut ſalvetur mundus per ipſum*, inquit Aegidius Albanus (d), qui proinde ità reſpondet ad objectionem petitam ex I. Johannis II. *Ipſe eſt propitiatio prò*

O *pec-*

(a) *Vid. in* I. Sententiarum *Diſt. XLVII. Q. I. Art. I. III. P. Qu. XLIX. Art.* 3. *ad* 2. *& alibi pluries.*

(b) *Ità habetur* in Canone Miſſae *ex Matthaeo, & Luca.*

(c) *S. Auguſtinus* Lib. XXI. de Civitate Dei *Cap. XXII.*

(d) *Albanus in Opere, cui titulus* Auguſtinus Iprenſis vindicatus *P. I. Cap.* 25. *p.* 138. *&* 139.

Digitized by Google

peccatis nostris; non prò nostris autem tantùm, sed etiam prò totius mundi: & ità laudatum textum ità expendit „ non autem prò nostris *Judaeorum* tantùm, „ sed prò peccatis gentilium toto orbe „ sparsorum, & in unum ovile per „ praedicationem Christianae fidei colligendorum „. En M. Patris verba. „ (a) Ecce binos illos mundos secernens „ ab invicem, qui dixerat *Non prò mundo rogo*; *Prò mundo* rogat, ut credat. „ Quoniam est mundus, de quo scriptum „ est: *Ne cum hoc* MUNDO *damnemur.* „ Ptò isto *mundo* non rogat: non enim, „ qui sit praedestinatus, ignorat. Et „ est *mundus*, de quo scriptum est: *Non venit Filius hominis, ut judicet mundum, sed ut salvetur* MUNDUS *per ipsum*. Unde & Apostolus: *Deus*, inquit, *erat in Christo* MUNDUM *reconcilians sibi*. Prò isto mundo rogat, „ dicens: *Ut* MUNDUS *credat, quia tu me misisti*. Per hanc enim fidem „ Mundus reconciliatur Deo cùm credit in Christum, qui est missus „ à Deo „. Et iterùm. (b) „ Ex eadem quippe massa, quae tota in „ Adam periit, fiunt vasa misericordiae, „ in quibus est Mundus pertinens ad „ reconciliationem, quem Mundus odit „ ex eadem massa pertinens ad vasa „ irae, quae perfecta sunt in perditionem: „ Id passim etiam adstruunt Fulgentius, Prosper, & alii. „

Quale insuper luculentius testimonium prò Ecclesiae traditione, quàm decretum Ecclesiae Lugdunensis, quae (c) damnavit Capitula Concilii Carisiaci coacti Anno Domini DCCCLIII. praesertim Capitulum III. quo definitum fuerat Christum prò omnibus mortuum fuisse, hisce verbis: *Deus omnipotens sine exceptione vult omnes homines salvos fieri, licèt non salventur*: & Capitulum IV. in quo ità fuerat definitum, quòd *sicut nullus homo est, fuit, vel erit, cujus naturâ in illo* (Christo) *non fuerit: ità nullus est, fuit, vel erit homo, prò quo passus non fuerit, licèt non omnes passionis ejus mysterio redimantur*. Quale insuper luculentius illustriusque testimonium prò laudata Ecclesiae traditione non perhibet Valentina Synodus ex Tribus Provinciis Lugdunensi, Viennensi, & Arelatensi congregata, & ut ostendit etiam Albanus, à Nicolao I. Rom. Pontifice confirmata? Laudata, inquam, Synodus ità definit Can. IV. qui est *de Redemtione Sanguinis Christi*. „ Item de redemtione Sanguinis Christi propter nimiùm errorem, qui de „ hac causa exortus est, ità ut quidam, „ sicut eorum scripta indicant, etiam prò illis impiis, qui à mundi exordio „ usque ad passionem Domini in sua „ impietate mortui, aeterna damnatione „ ne puniti sunt, effusum eum definiant, „ contrà illud Prophetae: *Ero mors tua „ ò Mors!*

(a) *S. P. Augustinus* Tractatu XC. in Johannem.

(b) *Idem* Tract. LXXVII. in Johannem. *Addit ad marginem p. 139. Aegidius*: Vide & Tractatum LI. ibidem, item Tractatum V. in epistolam Johannis, item epistolam XLVIII. &c.

(c) *Ecclesia Lugdunensis tesse Remigio Lugdunensi Episcopo in* Lib. de tenenda Scripturae veritate, & in lib. de tribus epistolis.

(d) *Albanus ubi suprà, ubi laudat decretum, seu adprobationem Nicolai I. ex Hincmaro* Epistol. XXIV. *& ex Annalibus Bertinianis ad Annum 859. qui ità habent*: Nicolaus Pontifex Romanus de gratia, & libero arbitrio, de veritate geminae Praedestinationis, & Sanguine Christi, ut prò credentibus fusus sit, fideliter confirmat, & catholicè decrevit.

Digitized by Google

„ *ô Mors ! Ero morsus tuus inferne* „. „ Illud nobis simpliciter, & fideliter „ tenendum, ac docendum placet, ju„ xtà Evangelicam, & Apostolicam „ veritatem, quòd prò illis hoc datum „ pretium teneamus, de quibus ipse „ Dominus noster dicit: *Sicut Moyses „ exaltavit serpentem in deserto, ità exal„ tari oportet Filium hominis, ut omnis, „ qui credit in ipsum non pereat, sed ha„ beat vitam aeternam*.... Porro Capi„ tula quatuor, quae à Concilio Fra„ trum nostrorum minùs prospectè su„ scepta sunt, propter inutilitatem, vel „ etiam noxietatem, & errorem con„ trarium veritati: sed & alia novem„ decim syllogismis ineptissimè con„ clusa. Et licèt jactentur nulla seculari „ literatura nitentia, in quibus com„ mentum diaboli, potiùs, quàm ar„ gumentum aliquod fidei deprehendi„ tur, à pio auditu fidelium penitùs ex„ plodimus: & ut talia, & similia ca„ veantur, per omnia auctoritate Spi„ ritus Sancti interdicimus „. Igitur, concludunt Jansenistae: absre fuit damnatum Jansenii adsertum circà passionem Christi, & influxum sanguinis ejus: quia ut praecipuè Albanus dicit: *Hoc est catholicum, Hoc fidei Ecclesiae ab initio commendatum*. Addit insuper idem novissimus, acriorque Janseniani sphalmatis propugnator, quòd ex eo etiam probatur Jansenii doctrina, quia ipsissima est S. Thomae sententia, quam Ecclesia commendavit. (a) *Scholasticorum Magistrorum Princeps in commentario hujus loci ad haec verba Pauli*. „ *Qui omnes homines vult salvos fieri* „: haec habet. „ Velle „ quandoque ponitur *prò voluntate be„ neplaciti*, quandoque *prò voluntate „ signi*: prò voluntate *signi* vult salvare „ omnes, quia omnibus proposuit sa„ lutis praecepta, consilia, & reme„ dia. Prò voluntate *beneplaciti* sic ex„ poni potest quatuor modis. Uno mo„ do, ut sit locutio causalis. Sic Deus „ dicitur aliquid facere, quia facit alios „ illud facere. Sicut Rom. 8. *Spiritus „ postulat*, idest postulare nos facit. Sic „ ergò Deus vult, quia scilicet facit „ Sanctos suos velle, quòd omnes salvi „ fiant. Hoc velle enim debet esse in „ Sanctis, qui nescium, qui sint prae„ destinati, & qui non. Alio modo, „ ut sit distributio accommoda: idest „ omnes, qui salvabuntur, quia nul„ lus salvatur, nisi per voluntatem „ ejus. Sicut in una Schola Magister „ docet omnes pueros hujus civitatis, „ quia nullus docetur, nisi ab eo. Alio „ modo, ut sit distributio prò generibus „ singulorum, non prò singulis gene„ rum: idest nullum genus hominum „ excipit à salute: quia olim tantùm „ Judaeis, sed modò omnibus praebe„ tur. ET HOC MAGIS FACIT AD „ INTENTIONEM APOSTOLI.

Verùm pessumè mentiuntur, & quae nobis opponunt, nullius sunt roboris, nulliusque momenti, ut constabit ex dissolutione sophismatum. Et in primis monumenta ex Verbo Dei scripto depromta nil aliud insinuant, quàm quòd Christus efficaci, & absoluta voluntate mortuus sit prò solis electis. Verùm quòd tantùm prò eis ità passionem obierit, neglectis omninò reprobis, vel

(a) *Aegidius Albanus* Augustin. Yprens. vindicat. *ubi sup.*

Digitized by Google

ex ipsis, quae objiciunt, locis Scripturarum patere non potest, etiam si per vim extendantur ut pelles. Prò iis quippe Christus efficaciter, & speciali adfectione motus oravit, prò quibus fuit *exauditus prò reverentia sua*; hoc autem certè dici non potest, nisi de electis, ut constat. Attamen haud desiit orare precè inefficaci etiam prò reprobis, qui prò Crucifixoribus quoque oravit; hinc vel in ipso mortis agone ad Patrem conversus, ait Lucae XXIII. *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*. Cujus momento sicut plures reapse beneficium redemtionis perceperunt, sic quoque nonnulli, quinimò, & ipse Judas veniam obtinuisset, nisi impedimentum adposuisset, ut post Augustinum suprà laudatum prae ceteris S. Leo M. advertit (a). Quare S. Thomas sic explicat illud Johannis XVII. „ Non prò mundo „ rogo, sed prò his, quos dedisti mihi,„ (b) *Christus quantùm est de se prò omnibus oravit, quia oratio sua, quantùm est de se, efficax est, ut valeat toti mundo; sed tamen non in omnibus sortitur effectum, nisi in Sanctis, & Electis Dei, & hoc propter impedimentum mundanorum*. Et in priori quidem sensu Augustinus locutus est, dum duos enunciavit mundos, unum electorum, prò quo efficaciter oravit, quia efficaci decreto eos praedestinaverat ad Regnum: alterum reproborum, prò quo certè ità non oravit, quia absoluto decreto excluserat à Regno. Nec semel, aut ibi tantùm, id Aquilinus Doctor adseruit, pluries quoque (& nos etiam ultrò libenterque Albano concedimus: res nova non est, quam nobis adponit; sed saepiùs recocta crambes) id ipsum adfirmavit. Verùm idemmet M. P. adseruit etiam impiorum, infidelium, ceterorumque reproborum exoptasse salutem eum, qui prò peccatoribus venit in mundum: & constat ex eisdem monumentis à nobis paulò ante laudatis. Igitur ne sibimet contradicentem comminiscamur Primipilum Gratiae, & Praedestinationis maximum Ecclesiae Doctorem, operae pretium est, ut ad duplicem illam voluntatem *antecedentem*, nimirùm, & *consequentem* à Patribus traditam, & à Theologis vindicatam recurramus.

Neque ullum facessit negotium, quod semper veluti deridendo objiciunt nebulones, & insultando carpunt, dicentes ridiculam esse voluntatem illam an-

(a) *S. Leo M.* Sermone LX. *edition. Quesnel.* de Passione Domini *XI. de Christo Servatore loquens ait*. Cujus etiam circà interfectores suos tanta erat pietatis affectio, ut de cruce supplicans Patri non se vindicari, sed illis postularet ignosci, dicens. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. De cujus utique orationis potentia fuit, ut praedicatio Petri Apostoli ex iis, qui dixerunt: *Sanguis illius super nos, & super filios nostros*, multorum ad poenitentiam corde converteret: & uno die baptizarentur tria ferè millia Judaeorum, fieretque omnium cor unum, & anima una, paratorum jam prò eo mori, quem popposcerant crucifigi. Ad hanc indulgentiam traditor Judas pervenire non potuit, quoniam perditionis filius, cui diabolus stabat à dextris, priùs in desperationem transiit, quàm Sacramentum Generalis redemtionis Christus impleret. Nam mortuo prò omnibus impiis Domino potuisset etiam fortè hic consequi remedium, si non festinasset ad laqueum. Sed maligno cordi nunc furtis fraudium dedito, nunc parricidalibus commerciis occupato nihil unquam documentorum misericordiae Salvatoris insederat, nec piis acceptaverat auribus Domini verba dicentis: *Non veni vocare justos, sed peccatores*; & *Filius hominis venit quaerere, & salvare, quod perierat*, &c.

(b) *S. Thomas III. P. Qu. XXI. Art. 4. & Lectione II. in Cap. XVII. Johannis.*

Digitized by Google

antecedentem ſalvandi reprobos ; qui certo infallibili decreto ſunt excluſi à gloria : nec unquam, ſubdunt, niſi chymerizando, voluntatem iſtam dici poſſe, ſeriam, & ſinceram. Et quòd ſi haec admittatur, ſolùm prò ſtatu naturae innocentis adſtrui poteſt, ſecùs verò prò ſtatu naturae lapſae (ut Janſenius docet (a)) in quo, nimirùm, ſtatu, quae à Scholaſticis voluntas *antecedens* dicitur, nuda, & ſterilis velleitas eſt, ex qua nullus ſalutis influxus promanat. Nullum, inquam, faceſſunt negotium calumniae obtrectantium : quandoquidem voluntas illa antecedens à nobis adſerta, & ex doctrina Patrum, quinimò teſtimonio Scripturarum probata, ſeria & ſincera voluntas eſt, quamvis decreto abſoluto reprobi ſint excluſi à Regno; nullamque idcircò oppoſitionem, ſive contradictionem involvit, ut jam probatum eſt exemplo Judicis volentis ſincero adfectu omnes homines à morte liberos, qui tamen ad juſtitiam ſervandam aliquos damnat ad mortem. Et ut clariùs dignoſcatur : nonne mercator verè optaret ſalvare merces tempore tempeſtatis, qui tamen ad evitandum mortis periculum eas projicit in mare ? procul dubio ſinceram habet voluntatem eas ſalvandi, quapropter omne ſtudium adhibet, ut ſalvet : ſed reapſe projicit tandem, ut majori conſulat bono. Nec dumtaxat ea voluntas inefficax, ſeu antecedens in ſtatu naturae innocentis adſtruenda eſt, verùm & in ſtatu naturae lapſae, prò quo etiam ſufficiens gratia eſt ſarta tecta ſervanda, ut clariùs infrà patebit. Et quàm longè abeat Janſenius ab Auguſtino, quem ſibi adſciſcit Patronum, dum obvium habet hoſtem, luculenter patet ex verbis Aquilini Doctoris, qui confirmans nuper adſerta, gratiam ſufficientem, & voluntatem antecedentem in ſtatu naturae lapſae clariſſimè manifeſtat. Expendens enim ea Johannis verba. *Lux in tenebris lucet, & tenebrae eam non comprehenderunt*, ait : (b) *Ergò quomodo homo poſitus in Sole coecus, praeſens eſt illi Sol ; ſed ipſe Soli abſens eſt. Sic omnis ſtultus, omnis iniquus, ſic omnis impius coecus eſt in corde, praeſens eſt illi Sapientia, ſed cùm coeco praeſens eſt, oculis ejus abſens eſt.* Et iterùm explicans ejuſdem Evangeliſtae verba : *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, inquit. (c) *Opus eſt, ut tu non recedas, & non deſereris. Si tu feceris caſum, ille tibi faciet occaſum ; ſi tu autem ſtas, praeſens eſt tibi ..... Si malo non conſentires, ſtares, illuminatus maneres, &c.* Dum autem hìc non ſemel *Reprobos* dico, quorum ſalutem Deus voluntate antecedente, & inefficaci exoptat: Apage, candide Lector, ne exiſtimes *reprobos* reduplicative tales, quatenus reprobi ſunt (quod pariformiter dicendum eſt de infidelibus, & peccatoribus, prout nimirùm ſunt tales). Sub hac ratione quidem incapaces ſunt aeternae ſalutis ; ſed eos uſurpamus *ſpecificativè*, quatenus homines ſunt, capaces propterea, qui obtineant auxilia ad vitam aeternam.

Ad

(a) *Janſenius* Lib. III. de Gratia Salvatoris Cap. 20.

(b) *S. Auguſtinus* Tractatu I. in Johannem.
(c) *Idem* Tractatu II. in Johannem.

Digitized by Google

Ad locum Matthaei XXVI. & Lucae XXII. *Hic est Sanguis, qui prò vobis, & prò multis effundetur*: dicimus primò, quòd perperàm nobis objicitur, quod nobis loco muniminis cedit, & in cassùm adversùs nos sagitta emittitur, quae retorta sagittarium configit. Et nonne ex eodemmet monumento firmatur utraque probata voluntas, efficax nimirùm, & antecedens? Dum inquit Christus: *prò vobis*, procul dubio electos omnes designavit: nam in pusillo grege illo Apostolorum omnem Sanctorum coetum designavit; nec possunt iidem oppositores inficiari, qui eundem praedestinatorum numerum in Apostolis, primitiis Sanctorum novi foederis, & clariori imagine omnium electorum designatum adferunt, dum prò eis orasse Christum adfirmant, cum exclusione reproborum per Judam designatorum Johan. XVII. *Pater sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos..... & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.* Hoc, inquam, concrepantibus buccis repetunt Jansenistae. Igitur ex eorummet adsertione τὸ *prò vobis* ad discipulos directum, electos designat. Consectaneum quoque est ex eorummet dictis τὸ *prò multis* reprobos denotare, ut constat ex recta regula argumentandi. Et quidem apertiùs, clariùsque ex Dei verbo scripto, in quo non semel, sed pluries τὸ *multi* omnes, & quoscumque Adae filios designat: ut etiam M.P. Augustinus advertit (a). Danielis X. *Et multi de his, qui dormiunt in terrae pulvere, vigilabunt*: omnes, nimirùm, in die judicii resurgent. Ad Romanos V. *Si enim unius delicto multi mortui sunt*, hoc est omnes. Et iterùm ibidem: *Per inobedientiam unius hominis peccatores multi facti sunt.* De Muliere peccatrice, cui omnia peccata dimissa fuerunt, dictum fuit à Christo Lucae VII. *remittuntur ei peccata multa*, & id genus innumera in Divino eloquio monumenta occurrunt. Cùm igitur Christus dixerit. *Hic est Sanguis meus, qui prò vobis, & prò multis effundetur*, clarissimè nobis insinuatur utraque Dei voluntas: peculiaris, nempe, qua prò electis, & quoad efficaciam mortuus est: & generalis illa, seu antecedens, qua omnium salutem intendit, omnibusque remedium virtute sanguinis sui praestitum praeparavit.

Quinimò si rem proximiùs, penitiùsque rimemur, acu tangemus, quàm sit, vel hinc, deperdita causa Jansenistarum, unde velut de parta victoria triumphum canut; eosque vel in ipsomet adserto eorum portu naufragium feciffe dignoscemus. Non discedamus, quaeso, è Dominica mensa, ut Divini Sanguinis thesaurum, quem illi impugnant, in omnes diffusum conspiciamus. *Hic est Sanguis, qui prò vobis, & prò multis effundetur*, in consecratione Calicis inquit Dominus Jesus, dum vetus Pascha consummavit, & novum condidit Sacramentum. Igitur effusum iri eundem vivificum Sanguinem promisit (sive tunc fusum dixit, juxtà graecum textum τοῦτο τό ποτήριον ... ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον *Hic est calix, qui prò vobis effunditur*, Luc. XXII.) prò iis omnibus, qui accum-

(a) *S. Augustinus* Lib. XX. de Civitate Dei *Cap.* 23.

Digitized by Google

cumbebant. Procul abire non audent adversarii, sed potius ibi pedem figunt. Nos verò inde insurgimus in eos. Atqui tunc aderat Judas, cui Sacramentorum communionem Dominus non denegavit, sed Coelesti epulo refecit, & vivifico Sanguine traditorem potavit, ut universim Patres tradunt (a). Et Ecclesia,

(a) *Circà hanc quaestionem, num Judas in novissima Coena communicaverit Corpori, & Sanguini Redemtoris? Author* Constitutionum Apostolicarum *Lib. IV. Cap. XIV & S. Hilarius in* Cap. XXVII. Matthaei, *quibus adhaerent Rupertus Abbas in Caput XXVI Matthaei*, & in Regula S. Benedicti Tuitiensis, *& Innocentius III.* Lib. IV. Mysteriorum Missae *Cap.* 13. *in negativam abeunt sententiam; eisdem etiam adcensetur Theophylactus* in Evangelium Matthaei. *Verùm Theophylactus fabulam refert, qua venditabatur Judam accepto sacro epulo, illud occultasse, ut posset ostendere Judaeis, ex eoque ut impostorem accusaret Christum, revera bibisse de Sacro Calice quamvis invitè: hanc, inquam, gerram, hanc fabellam ibidem solùm Theophylactus memorat, non propugnat. Verùm, ut etiam laudatus Rupertus observavit: omnium sensus, & doctrina ex adverso militat; ex eoque se immunem ab haereseos nota dicit, quia sequitur sententiam S. Hilarii: quam tamen castigandam jure advertunt PP. BB. in nova editione* in Cap. XXVII. Matthaei. *Omnes, inquam, PP. utriusque Ecclesiae, Orientalis, nimirùm, & Occidentalis adstruunt Judam Sacrae Coenae interfuisse, ibique Divinorum Mysteriorum fuisse factum participem. Aliquorum dumtaxat Patrum verba laudabo, ceterorum loca, aliosque PP. apud alios consulendos digito monstrabo, ne taedio fiam legenti: fortassè penitiùs eam rem pertractaturus si Deo favente publici Juris fecèro* Exercitationes de Conversatione Christi in Mundo, &c. *quas jam paratas, estò non plenè perpolitas servo. S. Hieronymus enim* lib. 2. adversùs Jovinianum *pag.* 593. *edit. Marian Victorii ait*: Numquid quia, & Judas de eodem Calice bibit, de quo & ceteri Apostoli, unius cum reliquis erit meriti? &c. *S. P. Augustinus* Serm. LXXI. *nov. edit. Cap. XI. inquit*: Numquid & Judas Magistri venditor, & proditor impius, quamvis primum ipsum manibus ejus confectum Sacramentum Carnis, & Sanguinis ejus cum ceteris discipulis, sicut apertiùs Lucas Evangelista declarat, manducaret, & biberet, mansit in Christo, aut Christus in eo? *idem habet* Epistolis *XLIV. aliàs* 163. *c. V. & CXIII. aliàs XLVIII. c.* 4. *S. Jub. Chrysostom* Hom. *LXXXII.* in Matth. *XXVI. ità loquitur*: O ingentem impudentiam Judae! Aderat etiam ille, atque mysteriis, ac mensae communicavit, & inter comedentes arguitur, quando etiam si fera esset immanis ad lenitatem compelli potuisset. *Et* Homil. *LXXIII.* in Matth. *ibidem subdit*. O coecitatem proditoris! qui cùm ineffabilibus mysteriis communicasset idem permansit, & Divina mensa susceptus in melius commutari noluit. *Et* Homil. de proditione Judae *circà medium*. Christus enim Sanguinem ei, qui eum vendidit, offerebat, ut haberet remissionem peccatorum si tamen impius existere noluisset. *S. Leo M.* Serm. *VII.* de Passione Domini *inquit*: Discumbentibus enim Discipulis ad edendam mysticam Coenam, cùm in Caiphae atrio tractaretur quomodo Christus posset occidi, ille Corporis, & Sanguis sui ordinans Sacramentum docebat qualis Deo hostia deberet offerri: ne ab hoc quidem mysterio traditore submoto, ut offenderetur nulla injuria exasperatus, qui involuntaria erat impietate praescitus .... Cur infoelix Juda tanta benignitate non uteris? .... Non Apostolici Ordinis honor, non Sacramentorum tibi communio denegatur, &c. *Idem quoque adserunt Origenes* Tractatu XXXV. in Matthaeum. *S. Cyrillus Hierosolymitanus* Catechesi *XIII. S. Cyrillus Alexandrinus* in Johannem *tib IX. c.* 13. *Theodoretus* in I. ad Corinthios Cap XI. *Victor Antiochenus initio V. Secul. clarus* in Evangelium Marci. *V. Beda in Evangelii verba* verumtamen ecce manus tradentis me. *Yvo Carnotensis* in Decretum *P. II.* de Observationibus *Cap.* 105. *& ceteri universim Patres, quibus adstipulantur reliqui Theologi, & interpretes S. Scripturae, praecipuè Abaëlardus* Serm. de Passione Domini. *Petrus Lombardus* in IV. Sententiarum *Dist. XI. Alexander de Hales P. IV. Dist. XI S. Thomas* in IV. Sententiarum *Dist. XI. art.* 2. *NN. Sotus, & Nicolai ibidem. S. Dionysius Carthus.* in Matthaeum *Art* 41. *S. Laurentius Justinianus* de Triumpho Christi agone cap. V. *Vide* Festium in loca difficiliora S. Scripturae. *Calmetum in Evangelia, & Maldonatum ibidem, necnon N. Serry* Exercitat. de Christo, & Deipara. *Idquoque adfirmant Protestantes praesertim Samuel Basnagius* Annal. Politico-Ecclesiastic. *ad Ann. Christ. XXXIII. p.* 362.

Digitized by Google

sia canit (a): Dum igitur Christus, ait: *qui prò vobis, & prò multis effundetur*, valorem vivifici Sanguinis indicavit, & misericordiam suam patefecit: nimirùm quòd etiam prò impiis mortus sit, sicut & prò justis: prò reprobis, non minùs quàm prò praedestinatis; licèt non aequaliter prò omnibus: cùm isti voluntate absoluta virtute Sanguinis Deifici electi ad gloriam eam certò consequantur; illi verò generali voluntate inspecti non consequantur, quia impedimentum adponunt. Et hinc patet uberior ad jam expensum argumentum solutio.

Idcircò namque post coenam oravit ad Patrem, ut unum forent secum, quos ei Pater dederat, quosque servaverat ipse, quia, Traditore semoto, eos, quorum nomina scripta erant in libro vitae, indicavit. In Coena verò, quia aderat Judas non solùm prò justis, sed & prò impiis fusum iri Sanguinem suum adfirmavit. Quapropter hic est genuinus, & obvius sensus salutarium, sublimiumque Christi verborum in Consecratione Calicis, Hic est Sanguis, qui efficaciter effunditur prò vobis justis, è quorum cetu sunt omnes, qui mecum permanebunt ad vitam; & effunditur quoque inefficaciter prò multis, cujus conditionis est Judas, & quilibet reprobus, qui mecum non erit, quia derelinquet me fontem aquae vivae, & pleno pectore bibet de lacunis iniquitatis. Quare Theophylactus expendens laudata Christi Salvatoris verba, inquit: (b) *Dicendo autem: quod prò vobis datur, & effunditur: non prò solis Apostolis Corpus ejus esse datum, & Sanguinem ejus esse effusum, sed prò humano genere. Quando igitur dicit: quod prò vobis datur, hoc est prò vestro hominum genere.*

Respondeo II. ex Angelico Magistro (c), „ quòd Sanguinis Christi effu„ sus est prò omnibus quoad sufficien„ tiam, sed prò electis tantùm quoad effi-

(a) *Ecclesia* in Offic. Corporis Christi *à Sancto Thoma composito ad Hymnum Matutin. . .* Post agnum typicum, expletis epulis, Corpus Dominicum, datum discipulis, sic totum omnibus, quod totum singulis, ejus fatemur manibus. Dedit fragilibus, corporis ferculum, dedit & tristibus, sanguinis poculum, *& in Sequentia ad Missam*. Quem in Sacrae Mensae Coena, turbae fratrum duodenae, datum non ambigimus. *Fuisse autem laudatum officium* Corporis Christi *totum, ut extat in* Opusculo LVII. *à S. Thoma jussu Urbani IV. concinnatum, certissimum est ex innumeris monumentis, quae laudat N. Natalis Alexander* in Histor. Ecclesiast. Sec. *XIII.* Differ. *VI. cui proinde adstipulantur quotquot eruditi audiunt, nec refragatur Vvillelmus Cave* in Histor. Litterar. Sec. *XIII. seu* Scholastici, *ut ipse dicit. Quinimò ut advertit N. M Bremondt Casanattensis Professor* Tom. *III.* Bullar. Ord. Praedicatorum *p.* 555. Papebrochius *ipse* (*qui in oppositam descenderat opinionem S. Thomae abjudicando praefatum Officium Corporis Christi, & adjudicando illud cuidam P. Johanni Clerico Leodiensi*) in Propilaeo Maii pag. 51. Part. *II.* conatus Chronico-Historici ad Catalogum Pontificum Dissert. *XXIII.* & priorem revocavit opinionem, & Auctori suo, S. Thomae, scilicet, illud Officium vindicavit: *relatisque verbis laudati Papebrochii subdit praefatus N. Bremondt*: Haec vir clarissimus, qui veritati studens ipsi concessit simul atque legit dissertationem, quam Natalis noster Alexander Doctor Sorbonicus de hac re scripserat, sed notandum, quòd neuter novit praesens Diploma. *Hoc autem Diploma est illud Xysti IV. datum Romae apud S. Petrum Ann. MCCCCLXXVII. X. Kal. Augusti Pontificatus sui Anno VI. in quo adstruitur Officium* Corporis Christi *à S. Thoma compositum jussu Urbani IV.*

(b) *Theophylactus patria Constantinopolitanus Achridiae primariae Bulgarorum Ecclesiae Archiepiscopus XI. Seculo clarus* in Evangelium Lucae Cap. *XXII.*

(c) *S. Thomas* in IV. Sententiarum *Dist. VIII. q. 2. art. 3. quaestiuncula 3. ad 7.*

Digitized by Google

„ efficaciam. Et ne putaretur effusus „ prò Judaeis tantùm electis, quibus „ promissio facta fuerat, ideò dicit *vobis*, qui ex Judaeis estis; & *multis* „ scilicet multitudine gentium. Vel per „ Apostolos Sacerdotes signat, quibus „ mediantibus ad alios effectus passio„ nis per dispensationem Sacramento„ rum pervenit, qui etiam prò se ipsis, „ & prò aliis orant„. Et iterùm alibi. „ (a) Sanguis passionis Christi non so„ lùm habet efficaciam in Judaeis ele„ ctis, quibus exhibitus est Sanguis Ve„ teris Testamenti; sed etiam in Gen„ tilibus, nec solùm in Sacerdotibus, „ qui hoc conficiunt Sacramentum, vel „ aliis, qui sumunt, sed etiam in illis, „ prò quibus offertur. Et ideò signan„ ter dicit *prò vobis* Judaeis, & *prò mul„ tis*, scilicèt Gentilibus. Vel *prò vobis* „ manducantibus, & *prò multis*, prò „ quibus offertur.„

Ad monumenta S. P. Augustini ex dictis ità est obvia responsio, & solutio, ut nil ultrà addere operae pretium sit: praesertim quia ex reliquis ejusdem M. P. prò sententia Catholica laudatis quodlibet larvatum sophisma ex adverso objectum plenè ventilatur. Quinimò, vel ex eo, quod ex eodem S. P. argumentum efformat Albanus, retorquetur adversùs eum momentum excogitatum ad decipiendum. Idcircò enim ex laudato Augustino Ecclesia non oraret prò reprobis, si eorum finalem damnationem ex revelatione decreti absoluti sciret, quia cùm Ecclesia sit veluti peculiare orans, prò eo certè orat, cujus salutem sperat; adeòque quando nulla affulgeret spes salutis ex momento praefatae revelationis, prò eo non funderet preces. Ceterùm cùm Christus Dominus sit generalis Provisor, & universalis Redemtor, utique omnium salutem generali amore optavit, & eam secundùm se spectatam voluit, ut conducentem fini suae Redemtionis, prò eaque pariter preces effudit, ut ex M. Leone vidimus: quamvis eandem salutem omnium consideratam in particulari, necnon in circumstantiis resistentiae rebellium, & decreti diffinitivi de eorumdem reprobatione haud voluerit, neque prò ea effuderit preces, ut ex S. Augustino adnotavimus. Neque ullum inde inconveniens sequi, vel ex exemplo Judicis nuper laudati sat est acu tangere; & ex iis, quae hucusque diximus, etiam ex M. Patre, facillimè claresci: hinc neque verbum ultrà addendum occurrit ad exsufflanda sophismata vitilitigatoris.

Non taedet tamen addere ad vindiciam veritatis, quòd nimium perfricta fronte audet Albanus Scholasticos insimulare, eisque adjudicare sententiam nostram, veluti dumtaxat à Scholasticis primitùs adinventam: quum reapse insigniorum Ecclesiae Patrum sit tradita doctrina, quam apta methodo Scholastici enuclearunt, clariorique forma, omni paralogismo abacto tradiderunt. Sed amabo te Albane: quomodo Scholasticos traducis, qui in tui patrocinium (perperàm tamen) S. Thomam Scholasticorum Principem adsciscis? *defecisti certè scrutans scrutationes, consilia mala*, ut ex Psalmista cum S. Augustino (b) objiciam tibi. Et procul du-

P bio,

(a) *Idem III. P. Qu. LXXVIII. Art. 3. ad 3.*

(b) *S. Augustinus* Enarrat. in Psalmum LXIII.

Digitized by Google

bio, vel ex eo pessumè defeciſti, quia non ſine fraude mutilum S. Thomae textum laudaſti, reſecto, vel omiſſo, quod Angelicus ſubdit: ſed jugulum tibi petiiſti, ut poſt pauca obſervabitur.

At quanam majori audacia, & (dicere fas ſit) quàm meretricia fronte nobis obtrudat adverſantem S. Proſperum? nullatenus percipere poſſum: praecipuè quum Janſenius ipſe ab eodem Proſpero nimiùm declinet veluti à refragante ſibi, & ad ſolum Auguſtinum antiquiorem Magiſtrum adpellet (a). Ut autem ex eodem Proſpero, quem ſibi adſciſcere pertentat advocatum, falſitas Albani ventiletur, ejuſdem Proſperi verba laudare lubet, ex quibus itidem Catholica veritas magis firmatur. Cùm enim ad impetendam M. P. Auguſtini ſententiam Maſſilienſes primò objeciſſent, *quòd Dominus noſter Jesus Chriſtus non prò omnium hominum ſalute, & redemtione ſit paſſus*, ità viriliter Semi-Pelagianorum commentum profligavit, & Janſenianam haereſim praefocavit Magni Patris fidiſſimus diſcipulus, & *vindicatissimus* (b). „Contrà vulnus originalis „peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta, & mortificata natura eſt, & unde omnium concupiſcentiarum morbus inolevit, verum, & potens, ac ſingulare remedium eſt mors filii Dei Domini noſtri Jesu Chriſti: qui liber à mortis debito, & ſolus abſque peccato, prò peccatoribus, & debitoribus mortis eſt mortuus. Quod ergò ad magnitudinem, & potentiam pretii, & quod ad unam pertinet cauſſam generis humani, Sanguis Chriſti redemtio eſt totius mundi. Sed qui hoc ſeculum ſine fide Chriſti, & ſine regenerationis Sacramento pertranſeunt, redemtionis alieni ſunt. Cùm itaque propter unam omnium naturam, & unam omnium cauſſam à Domino noſtro in veritate ſuſcepram, rectè omnes dicantur redemti, & tamen non omnes à captivitate ſint eruti, redemtionis proprietas haud dubiè penes illos eſt, de quibus princeps mundi miſſus eſt foras, & jam non vaſa diaboli, ſed membra ſunt Chriſti. Cujus mors non ità impenſa eſt humano generi, ut ad redemtionem ejus, etiam, qui regenerandi non erant

(a) *Janſenius* lib. III. de Gratia Chriſti §. *III. ait*: Cùm Proſpero antiquior, ac doctior Auguſtinus numquam in ſcriptis ſuis fateatur Chriſtum prò omnibus, nullo excepto, ſe dediſſe redemtionem, vel crucifixum eſſe, vel mortuum, ſed tantummodo prò illis, quibus mors ejus profuit, qui certo modo multi, & omnes ſunt, hinc genuiniùs veriùſque reſpondemus, &c.

(b) *S. Proſper Aquitanicus*. Reſponſione ad I. objectionem Vincentianarum. *Quis autem fuerit author Vincentianarum Objectionum? PP. BB. in not. ad praef. locum T. X. oper. S. Auguſtini inquiunt*: Lovanienſes obſervant eſſe, qui arbitrentur objectionum Scriptorem Vincentium Lirinenſem illum fuiſſe, cujus extat adversùs profanas haereſum novitates commonitorium, ſcriptum circiter annum Chriſti 434. ſeu ut ipſe auctor in capite 47. teſtatur, poſt triennium fermè à celebrato contrà Neſtorium Concilio Epheſino. *Cardinalis Baronius* in notis ad Martyrologium ad diem XXIV. Maii *alium à Lirinenſe Monacho Vincentium Semi-Pelagianum, cujus ſunt praefatae objectiones, adfirmat. Verùm* N. Natalis Hiſt. Eccleſiaſt. Sec. V. *Cap. III. Cum Cl. Card.* Notitio Hiſtor. Pelagianae *lib. II. Vincentium Lirinenſem (eſtò pium, & ab haereſis formalis nota immunem, ut eundem dicit laudatus Noriſius* Scrupuli Anonymo Evulſi, & eradicati *reſp. ad §. II.*) *Semi-Pelagianum adſtruit autherem praefatarum objectionum, quas ablegat Vincentio Victori, contrà quem S. Auguſtinus ſcripſit libros* de Origine animae, *ut alii opinati ſunt. Videſis eos.*

Digitized by Google

„ erant pertinerent: ſed ità, ut quod „ per unicum exemplum geſtum eſt, prò „ univerſis, & ſingulare Sacramentum „ celebraretur in ſingulis. Poculum „ quippe immortalitatis, quod confectum eſt de infirmitate noſtra, & virtute Divina, habet quidem, UT OMNIBUS PROSIT, SED SI NON BIBITUR, NON MEDETUR.

Similiter idem Proſper ad II. *objectionem*, qua adſtruebatur, *quòd Deus nolit omnes ſalvare, etiam ſi omnes ſalvari velint*, ità reſpondet. „ Cùm veritas dicat. *Si vos cùm „ ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quantò magis Pater veſter coeleſtis „ dabit bona petentibus ſe?* quì fieri poteſt, „ ut Deus, qui etiam illos ſalvat, de quibus dici non poteſt, quòd ſalvari velint, nolit aliquos ſalvare, etiam ſi „ ſalvari velint; niſi aliquae cauſae „ exiſtant, de quibus, quamvis ſint nobis incognoſcibiles, ille tamen benè „ judicat, de quo dici non poteſt, aliter „ eum quidquam facere debuiſſe, quàm „ fecerit? Remota ergò hac diſcretione, quam Divina ſcientia intrà ſecretum juſtitiae ſuae continet, ſinceriſſimè credendum, atque profitendum „ eſt, Deum velle, ut omnes homines „ ſalvi fiant. Siquidem Apoſtolus, cujus iſta ſententia eſt, ſollicitiſſimè „ praecipit, quod in omnibus Eccleſiis „ piiſſimè cuſtoditur, ut Deo prò omnibus hominibus ſupplicetur: ex quibus quòd multi pereunt, pereuntium „ eſt meritum, quòd multi ſalvantur, „ ſalvantis eſt donum. Ut enim reus „ damnetur inculpabilis Dei juſtitia eſt; „ Ut autem reus juſtificetur, ineffabilis „ Dei gratia eſt. „ Idem etiam repetit alibi laudatus Proſper (a), qua de cauſſa deperdita Janſeniana cauſa conſpicitur ex probationibus ipſiuſmet ſigniferi Albani. Ubi nam autem S. Fulgentius (quem idem Aegidius laudat) prò eo ſententiam dicat, cùm non referat ipſe, nec vel eminùs indigitèt locum? ſciri nequit, & conſequenter perperàm fuiſſe relatum in ſui Patronum Fulgentium, non ſecus, ac Proſper fuit adſertus. Id procul dubio eſt adſerendum, praeſertim ex momento malae fidei authoris, contrà quem praeſumtio viget, & ex cauſſa Auguſtinianae doctrinae, quam Fulgentius, ſicut & Proſper vindicavit, docuit, promovit.

Ad monumenta Eccleſiarum Valentinae, & Lugdunenſis. Reſpondeo nullum nobis ea faceſſere negotium, nullumque Janſenianis praeſtare praeſidium. Siquidem alius fuit illorum Patrum ſcopus, alia, & diverſa omninò ſententia in damnatione Canonum Cariſiacenſis Synodi. Quum enim ex Gotheſcalchi varia fortuna, variiſque ea de cauſſa excitatis turbis (ut ſuprà indigitavimus) duas in partes ſciſſae tunc fuerint Eccleſiae diverſimodè de Goteſcalcho ſentientes; facillimè errore facti aliquae fuere deceptae, quas inter enumerare opus eſt laudatas Valentinam, & Lugdunenſem: quandoquidem exiſtimantes Cariſiacos Patres adhaeſiſſe ſententiae Goteſcalchi adſtruentis Chriſtum aequaliter prò fidelibus, ac prò infidelibus, prò praedeſtinatis, ac prò reprobis oppetiiſſe mortem, anathema dixe-

(a) *S. Proſper* in Reſponſionibus ad objectiones calumniantium Gallorum.

Digitized by Google

runt Carisiacis Canonibus. At dum ità diris devoverunt laudatos Canones, nonne sartam rectam servarunt Augustini sententiam, & Ecclesiae Catholicae invariatum avitum infallibile dogma à nobis hucusque adversùs Jansenianos propugnatum? Citrà omnem dubitationis aleam id patet, cùm ex mente Patrum, tum ex eo, quod expresserunt usurpantes illud Oseae. *Ero mors tua, ò mors, ero morsus tuus inferne*: ut, nimirùm, ostenderent Christum prò omnibus generali voluntate mortuum non omnes eripuisse ex inferis, sed eos dumtaxat, prò quibus efficaciter, & speciali, seu absoluta voluntate, subiit crucem. *Ex eo, quod mordemus*, inquit S. Gregorius M. (a) *partem abstrahimus, partem relinquimus. Quia ergò in Electis suis Christus funditùs occidit mortem, mors mortis extitit; quia verò ex inferno partem abstulit, & partem reliquit, non occidit funditùs, sed momordit infernum*. Mentem suam clariùs aperuerunt Patres Ecclesiae Lugdunensis, dum expendentes illud Apostoli saepiùs repetitum: *Vult omnes homines salvos fieri*, admiserunt quidem communem illam, & generalem Christi voluntatem ergà omnium salutem; sed efficaci voluntate illum fuisse passum solùm prò electis, quos reapse salvavit, adseruerunt; usurpantes propterea Augustini explicationem ad veritatem edisserendam: quapropter ità rem totam confirmarunt. (b) *Quòd autem ibi simpliciter intelligitur Deum velle omnes homines salvos fieri, bonitate scilicet Creatoris, ità (ut putamus) fideliter potest recipi, si hanc voluntatem bonitatis suae ergà salutem hominum non credatur humana obsistente voluntate non posse implere, sed obsistente humana iniquitate implere nolle*. Ex quibus verbis, sicut luce meridiana clariùs innotescit Remigium cum Ecclesia Lugdunense admisisse gratiam suapte natura efficacem, & praedestinationem absolutam Dei omni exploratrice scientia de medio ablata: sic pariter evidentissimè patet subodorasse errorem facti, sed nullatenùs itidem damnasse sententiam eorum, qui adstruebant Christum prò omnibus voluntate antecedente, & generali Sanguinem fudisse: quod ità luculenter manifestavit dum Patrum honorabile adsertum laudavit, ut nulli fas sit, vel leviter, ea de re ambigere. Sic enim laudatus Remigius inquit. (c) *Jam illud de Dominici Sanguinis pretio, quòd prò his tantùm, qui credere voluerunt, datum sit, manifestum est eorum Patrum sententia, quam iste* (Gotescalchus) *ut putamus, & legendo didicerat, & damnare metuebat. Unde etsi inventi sunt alii aequè Patres, qui illud glorioſum pretium etiam prò numquam credituris, & in sua impietate perituris datum esse non abnuant, meliùs, ut credimus, utrique honorarentur, nec prò aliis alii damnarentur. Quia & illud manifestè Divina authoritate firmatum est, & istud, si piè sentitur, non est abnuendum*. En manifestum indicium mentis Ecclesiae Lugdunensis, quae numquam (sicut mentiuntur Jansenistae) anathema dixit doctrinae de voluntate antecedente salvandi omnes homines: quod etiam ulteriùs infrà ità lucu-

(a) *S. Gregor. M.* lib. XII. Moralium *Cap. VIII.* & Homilia XXII. in Evangelia.

(b) *Eccles. Lugdunens.* in lib. de tribus Epistolis *Cap. XII.*

(c) *Remig.* de tribus epistolis *cap. XXIV.*

Digitized by Google

culenter expendit (a), ut de illius mente dubitare sit nodum in scirpo quaerere: quinimò velle ex adverso laudare monumenta ejusdem sit asciam propriis cruribus illidere, ut omnibus, qui vel à limine Ecclesiae historiam, & Patrum monumenta salutarunt, perspicuum est, & apertum: praesertim quia Patres Concilii Lingonensis celebrati Anno partae salutis DCCCLIX. & Synodi Tullensis quindecim diebus post Lingonensem coactae adprobarunt Capones Concilii Carisiacensis, & reprobarunt censuram adversùs eosdem latam, cujus initium erat: *Porrò quatuor Capitula, quae à Concilio Fratrum nostrorum.*

Ad ultimum monumentum ex Angelico depromtum dicimus, vel ex mala fide relatoris Albani deperditam ejus causam iterùm clarescere, cùm ea ipse reticeat, seu resecet sequentia verba, quae ejusdem intento apertè reluctantur, & catholicam veritatem hucusque propugnatam confirmant. Sequitur enim immediatè Doctor Aquinas ibidem. „ Alio verò modo secundùm Damascenum, ut intelligatur de voluntate antecedente, non consequente. In voluntate enim Dei licèt non sit „ priùs, & posteriùs, dicitur tamen „ voluntas antecedens, & consequens. „ Iterùm secundùm ordinem volitorum, secundùm quod voluntas potest dupliciter considerari, scilicet in „ universali, vel absolutè: & secundùm aliquas circumstantias, & in „ particulari. Et priùs est absoluta consideratio, & in universali, quàm in „ particulari, & comparata. Et ideò „ voluntas absoluta est quasi antecedens, & voluntas alicujus rei in „ particulari est quasi consequens. Exemplum de mercatore, qui vult omnes „ merces suas salvare absolutè, & hoc „ voluntate antecedente; sed si consideret salutem, non vult omnes merces per comparationem ad alia salvare, scilicet, quando cum salute sequitur submersio navis. Et haec voluntas est consequens. Sic in Deo salus omnium hominum secundùm se „ considerata habet rationem, ut sit volibilis. Et Apostolus hìc ità loquitur, „ & sic ejus voluntas est antecedens. „ Sed si considerctur bonum justitiae, „ & quòd peccata puniantur, sic non „ vult. Et haec est voluntas consequens „. Et paulò post expendens verba, quae ultimò profert Apostolus ibi. *Qui dedit redemtionem semetipsum prò omnibus*: eodem modo eadem explicat, & confirmat ex verbo scripto „ I. Johan. II. *Ipse est propitiatio prò peccatis „ nostris*, prò aliquibus efficaciter, sed „ prò omnibus sufficienter: quia pretium Sanguinis ejus est sufficiens ad „ salutem omnium: sed non habet efficaciam, nisi in electis, propter impedimentum. „ Haec, inquam, cùm ibidem subnectat Angelicus, cur reticuit, resecuitque Albanus? Certissimè ut fucum faceret veritati; hinc cubitalibus velut litteris expressit, ET HOC MAGIS FACIT AD INTENTIONEM APOSTOLI, ut, nimirùm, ultrà non foret procedendum; adpositisque terminalibus columnis ibi sisteret quisquam, & fraude sibi Patronum eum adsciscerct, quem

(a) *Idem ibidem Cap. XXVIII.*

Digitized by Google

quem habebat acerrimum hostem. Non inficias eo S. Doctoris eam fuisse sententiam, ut Apostolus id praecipuè usurpaverit ad retundendam superbiam Judaeorum, & Dei gratiam in Gentes manifestandam. Sed quod ibi peculiariter intendit ex caussa, non ità coarctatur, ut aliam non habeat, eamque obviam claram veramque interpretationem, quam ex Damasceno laudat, & confirmat Aquinas, ut hucusque satis superque est ostensum. Quapropter re tota ad umbilicum usque ducta solùm addere lubet ex S. Leone Magno ad confusionem Novatorum. (a) *Quid enim aliud egit, agitque Crux Christi, quàm ut destructis inimicitiis, & reconcilietur mundus Deo, & per Sacrificium immaculati Agni veram in pacem cuncta revocentur? .... Nulli infirmorum Crucis est negata victoria, nec quisquam est, cui non Christi auxilietur oratio.*

EXERCITATIO V.

VI. PROPOSITIO.

Gratia sufficiens statui nostro, non tàm utilis, quàm perniciosa est, sic ut proinde meritò possimus petere: A' gratia sufficienti libera nos Domine.

QUum ex superiùs adnotatis gratiae auxilium ex M. P. Augustino (cui universim ceteri eo posteriores Patres, omnesque universim Theologi in exsibilandis Pelagianorum, & Semi-Pelagianorum erroribus adstipulantur) dividatur in adjutorium *quo*, & adjutorium *sine quo non*, facilè dictu non est, quàm insanè ex eo erraverit Cornelius Jansenius Yprensis Episcopus, qui ex medicamine non benè adplicato in phraenesim versus, multifariàm desipiens, pluribus adinventis cavillis horrenda potiùs monstra, & terrifica portenta, quàm nova, & inania commenta in suis libris expressit. Quapropter quod olim M. Gratiae primipilo Augustino fundamentum fuit ad catholicum aedificium adversùs gratiae hostes, hoc idipsum solida basis fuit Jansenio ad babelicam turrim extruendam adversùs gratiae, & fidei decorem. Et quamvis omnia Jansseniana commenta hìc enunciandi non sit locus, quamplura, vel ex eo posito fundamento firmata digito monstrare fas erit, non omissa tamen dilucida notitia eorum, quae ad praesentem materiam spectant, ut ea, qua par est, claritate errore detecto, catholica veritas sarta tecta custodiatur.

Admisit igitur Jansenius adjutorium *sine quo non* ab Augustino firmatum, sed dumtaxat prò Angelis, & prò homine in statù naturae innocentis (b), quo in statu utriusque creaturae sublimibus decoratae donis, dum hoc adjutorium, seu sufficiens hoc auxilium adserviit ad quaecumque supernaturalia opera exercenda, & ad perseverandam in illo felicissimo statu, procul dubio à fide non erravit: hinc ejus adsertio nulla theologica censura potest notari (etsi ejus sententia adversa sit Thomistis omnibus, etiam ex M. Augustino, ejusque insignioribus discipulis adstruentibus necessa-

(a) *S. Leo M.* Sermone XIII. de Passione Domini.

(b) *Jansen. T. II. sui* Augustini lib. de gratia primi hominis c. 14. & 15.

Digitized by Google

farium etiam adjutorium *quo* Angelis, & Adamo ad praefata opera elicienda, ut prae ceteris Cl. N. Hyacintus Serry adnotavit (a)). Quandoquidem adhuc ea ſententia ex adverſo ſtante non deſunt quamplures Theologi, iique de S.R.E. & de litteraria Republica benemeriti, praecipuè qui hodie *Auguſtiniani* audiunt, adſerentes per ſolam verſatilem gratiam, ſeu adjutorium *ſine quo non* in eo ſtatu, quem nulla impetebat rebellio ſenſus, fuiſſe hominem, non ſecus, ac Angelum, perfectè completum in actu ſecundo ad laudata opera exercenda, conſenſum, nempe, praeſtante libero fano arbitrio gratiae verſatili, ſeu adjutorio *ſine quo non*, ut ex eorumdem Auguſtinianorum ſyſtemate conſtat. In eo autem peccavit Janſenius, & idcircò theologica cenſura notandus eſt ejus error, quia praefatum adjutorium *ſine quo non* ſolùm, & dumtaxat prò Angelis viatoribus, & prò homine in ſtatu naturae innocentis admiſit; ſecùs autem prò iſtis in ſtatu naturae corruptae, in quo dumtaxat adjutorium *quo*, ſeu gratiam efficacem admiſit. Quinimò, vel ex eo gravius deliquit Janſenius, quia ex ejus ſententia diverſitas utriuſque ſtatus in eo ſita fuit; nimirùm, quòd in ſtatu naturae integrae adjutorii influxus talis fuerit conditionis, ut ſimul hic, & voluntatis actus ab ejuſdem liberae voluntatis nutu penderet: At verò in ſtatu naturae lapſae adjutorium *quo* talis ſit conditionis, & naturae, quòd faciat annuere, influere, & velle voluntatem devictam, & neceſſitatam ab eodem adjutorio *quo*, ut ipſe apertiſſimè tradit (b). Quo in ſyſtemate firmando duces habuit primores Novatorum ſigniferos, qui primitùs hanc adinvenere fabellam (c). Sed quot iterùm erroribus Janſenius ſuum cumulaverit ſphalma, dictu facile non eſt. Bello pariter excitato adversùs Thomiſtas, qui prò gratia ab intrinſeco efficaci, phyſicè, ſed liberè impellente dimicant: & contrà Ludovici Molinae diſcipulos, qui gratiam, vel verſatilem, vel congruam, vel ſolùm moraliter allicientem propugnant: reliquos pariter Theologos repudiavit variis adinventis fabellis, pluribus procuſis erroribus. Hinc velut alter Ismaël, dum manus ejus contrà omnes fuerunt, promeruit, ut omnium manus adversùs eum ſtarent. Stetit autem praecipuè contrà novitates ejus ſupremus Eccleſiae Hierarcha, & cauſarum fidei Judex Romanus Pontifex, qui non ſe-

(a) *Serry in Opuſc. cui titulus* Auguſtinus Concilatus.

(b) *Janſenius Tom. III.* lib. II. de gratia Chriſti Salvatoris *cap* 4. *pag.* 40. *column.* 2.

(c) *Praeiverunt Janſenio Calvinus in* Antitodo ad Tridentinum Seſſ. VI Lib. II. Inſtitutionum *cap.* 43. *nu.* 10., & lib. V. de libero arbitrio, *quo in loco Albertum Pighium innumeris contumeliis, & ſarcaſmis afficit procaciſſimus nebulo, eaque ex cauſſa, quia laudatus Theologus Calvinianum diſcrimen inter adjutoria naturae integrae, & naturae lapſae rejecerat* (*quamvis Calvinus, idem diſcrimen probare conetur ex eiſdem S. Auguſtini locis, ex quibus oppoſitum Janſenius adſtruxit.*) *Idipſum docuit idem Calvinus in* Antitodo decreti Sorbonici *Art.* 2. *addens id diſcriminis etiam à Lutheranis pridem ex Auguſtino fuiſſe detectum. Calvino ſubſcripſerunt Theodorus Beza in* lib. adversùs Caſtellionem *editionis II. Genevenſis, pagin.* 456. & 457. *Petrus Vermilius* (*vulgò, ſed falsò*, Martyr *dictus*) in locis communibus. *Tit.* de libero arbitrio, & *paſſim utriuſque ſectae gregales. Videſis Polemicos, praecipuè duos Cll. Cardinales Bellarminum in Controverſiis* de Gratia, & libero arbitrio, & *N. Gotti* Vera Eccleſia Jesu Chriſti *T. II. P. I. Art. VII. necnon Fratres Valenburcicos* De inſtrumentis probandae fidei *pagin.* 691. & 692.

Digitized by Google

semel, sed pluries in ejusdem Jansenii errores solemni decreto sententiam tulit, Apostolicoque fulmine omnia ejus sphalmata protrivit (a); ideòque hujusce Supremi Controversiarum Judicis sententia stante, non secus, ac olim Augustinus de Pelagianis á Romana cathedra confixis ait, dicere possum de Janseniana haeresi profligata. *Roma rescripta venerunt, causa finita est.* Sed numquid sopitae sunt turbae? iterùm cum Augustino subjungam. *Utinam & error* (b). Quapropter ejusdem, & discipulorum ejus errores percensere oportet, eosque vel ex professo, ut ad praesens institutum spectat, vel obiter ex occasione, impugnare obstringor.

Adseruit igitur I. Jansenius Gratiam efficacem, seu adjutorium *quo*, consistere in delectatione victrice, eamque idcircò adinvenit, ut ipse testatur (c), nimirùm, ut praefatum discrimen inter utrumque statum innocentis, & lapsae naturae, salvaret. Quam etiam victricem delectationem, ità ejus discipuli propugnarunt, ut ad eam sartam tectam servandam omnes intenderint nervos(d): procul certè ab aliis Theologis, qui adhuc in praesentiarum innoxiè, & sine ullo errore victricem delectationem propugnant, quorum doctrina nulla idcircò potest censura notari, quia dum gratiam extollit, nullum libero arbitrio praejudicium adfert (e); laudatumque discrimen, praesertim ex adserratione adversa II. Jansenio commento actutùm notando, clarescit. II. adfirmavit Jansenius hujuscemodi delectationem com-

(a) *Errores Jansenii damnarunt Urban. VIII. Innocentius X. Alexander VIII. Clemens XI. & Benedictus XIII.*

(b) *S. Augustinus* Sermone II. de verbis Apostoli.

(c) *Jansenius id adserit in totoferè opere suo; praesertim verò in* Lib IV. de Gratia Christi *primis undecim Capitulis, quorum VI. Capitulo hunc praefigit titulum*: Nomen victricis delectationis inde tractum, atque impositum gratiae medicinali Christi. *Similiter eodem* lib. IV. *Cap. II. pag.* 185. *definiens hanc delectationem ait*: Delectatio ista, quam ad omnia opera bona S. Augustinus exercenda postulat, non est aliud, quàm actus quidam indeliberatus, coelitùs immissus in voluntatem, per quem ei bonum propositum, vel suaviter tantùm placet (qui actus subinde simplex voluntas dicitur, etiam complacentia, aut amor voluntatis respondens passioni amoris sensitivi) vel etiam in bonum appetendum commovetur. *Quinimò ex certamine duarum ex adverso pugnantium delectationum Jansenius inauditum pridem aequilibrium adinvenit, & rationem adsignavit* lib. IV. de Gratia Christi *cap.* 16. Ratio perspicua est, quia cum ei (*Augustino*) nulla sit gratia operandi praeter istam suavitatem Dei; nisi ista tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum cesserint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu in medio remanebitur; sin autem ista superaverit, jam sine dubio bona voluntas operabitur. *Adversùs hoc aequilibrium viriliter, & eruditè prae ceteris novissimè scripsit N. Cajetanus Benitez de Lugo in opere, cui Titulus* Vera Christi Gratia *Disput. III. dub. I.*

(d) *Ità praecipuè docent Antonius Arnaldus* Dissertatione de gratia efficaci *P. IV. Art. 6. Paulus Irenaeus* dispositione V. & *Aegidius Albanus* Augustinus Iprensis vindicatus *P. I. Cap. XXVII.*

(e) *Theologi, qui citrà haeresis notam in sensu catholico hanc delectationem tuentur percensentur nonnulli, praecipuè Gasto Chamillart in suis M. SS. Grandinus* dissertatione de divisione gratiae. *Habertus Vabrensis Episcopus* lib. II. Theolog. PP. Graec. *cap.* 18. *n.* 1. *Vide de hac re Antonium Boucat T. III.* Theol. Patrum Dogmat. Scholast. *Dissert.* 3. *Nec non plures, qui Augustiniani audiunt. Videsis etiam N. Serry in suo* Augustin. Conciliar. *p.* 199. *ubi hoc systema catholicè, & eruditè explanat, & propugnat. Et N. Graveson de* Myster. & An. Christi Dissert. XVI.

Digitized by Google

compellere voluntatem ad bonum (a), ſicut delectatio ſenſus neceſſitat voluntatem ad malum (b). Qua in re duces etiam habuit Novatorum Patriarchas (c), à quibus, etſi ſpecie, & voce tenus diſtare videatur, revera tamen eiſdem adhaeret. Verùm, ne penitùs deſtruxiſſe videretur liberum hominis arbitrium, qui prò gratia dominante certavit, novo adinvento cavillo aſſeruit ſufficere ad illius jura ſarta tecta ſervanda libertatem à coactione (d), de qua re ſuprà ubertim eſt actum. Similiter ea in re praeluſiſſe Michaelem Bajum ex ſuperiùs dictis innoteſcit; Sicut etiam in re praeſenti circà denegationem gratiae ſufficientis, vel ex eo conſtat praefatum Bajum viam ſtraviſſe Janſenio, quia & ipſe pridem docuit Deum impoſſibilia praecipere, quum in lib. *de Legibus*, ſeu *Praeceptis* dixerit: *Definitior haec ſententia Deum homini nihil impoſſibile praecepiſſe, falsò tribuitur Auguſtino, cùm Pelagii ſit.* III. ogganivit Janſenius gratiam efficacem tenere ſe quidem ex parte actus primi, ſed ex ſe neceſſariò inferre ſecundum (e). IV. tandem effutivit ineſſe voluntati coenae ſtanti ſub dominio gratiae poteſtatem abſolutam, & antecedentem ad reſiſtendum praefato adjutorio quo, non tamen conſequentem, & relativam (f); ſive, ut explicat Arnaldus (g), in tali hypotheſi ità voluntas adligatur, ut non poſſit ullo modo reſiſtere, & procul abire. Quo firmatò ſyſtemate, quis vel leviter eruditus non dignoſcit gratiam ſufficientem fuiſſe penitùs à Janſenio relegatam?

Non inficias eo adſertam fuiſſe ab eo gratiam ſufficientem. Sed quaenam, quaeſo, haec erit? Moliniana forſan? Minimè gentium. Hanc repudiavit deriſit inſectatus eſt (h). Nunquid Thomiſtica? Hanc veram eſſe Jesu Chriſti gratiam apertè negavit (i). Nullam ergò interiorem gratiam ſufficientem admiſit, quum ex eo omnis gratia actualis per Jesum Chriſtum nobis collata talis ſit conditionis, ut nullimodè ei reſiſtatur; ſeu, ut ex ejus terminis conſtat,

Q nul-

(a) *Janſenius* Lib. VII. de gratia Chriſti *c.* 5. Superior enim delectatio vinculum eſt, quo liberum arbitrium ità firmiter ligatur, & retinetur, & quandiu iſto ſtabiliter poſſidetur, ac conſtringitur, actus oppoſitus ſit extrà ejus poteſtatem, ità videlicet, ut arbitrium non liberatum eum velle non poſſit.

(b) *Idem ibidem lib. IV. cap.* 9. Vigente delectatione carnali impoſſibile eſt, ut virtutis, & honeſtatis conſideratio praevaleat.

(c) *Lutherus, & Calvinus, ut conſtat ex ſuprà dictis hic Exercit. I.*

(d) *Janſenius paſſim lib VI. & VIII.* de Gratia Salvatoris, *& in poſteriori* libro *Cap.* 19. *apertè docet, quòd* nulla neceſſitas actibus voluntatis liberis formidanda ſit, ſed ſola vis.

(e) *Janſen.* de Gratia Chriſti lib. IV. & lib. VI. *cap.* 5.

(f) *Idem variis in locis praeçipuè* lib. IV. de Gratia Chriſti *cap.* 6. *pag.* 137. *col.* 1. *& ibid. cap.* 7. *pag.* 176. *col.* 1. *& iterùm* lib. VII. *c.* 5. *pag.* 314. *col.* II.

(g) *Arnaldus* Diſſertat. de gratia efficaci *p.* 2. *art.* 4.

(h) *Janſen.* lib. 2. de gratia Chriſti *pag.* 270.

(i) *Janſenius* lib. III. de Gratia Salvatoris *c.* 1. *ante medium*. Si gratia ſufficiens dicatur, ſicut à quibuſdam (*ideſt Thomiſtis*) dicitur, quòd homo dicatur poſſe operari, quamvis aliud adhuc neceſſarium ſit, ut de facto operetur, talem ſufficientem fortaſsè non difficulter S. Auguſtinus admitteret; quamvis illam eſſe VERAM CHRISTI GRATIAM, de qua quaeſtio eſt, PERNEGARET.

Digitized by Google

nullimodò possit resisti (a): hinc Semi-Pelagianis adsensuit eos, qui admittebant interiorem gratiam, cui resisti posset (b); nullamque aliam, praeter exteriorem gratiam Praedicationis, & Legis, admisit (c). Et quae ab eo fuit adserta ex parte actus primi stare, revera gratia sufficiens non est, cùm ex necessaria connexione, quam habet cum actu secundo, revera sit gratia efficax, & solùm per cavillationem quandam, & abusivè possit dici sufficiens, ut ex ejusdem Jansenii terminis innotescit.

Ex eo igitur Janseniano principio veluti ex totius novae sectae putente lucuna quot profluxerint venenati rivuli, rectè novit, qui vel obiter Jansenistarum opera lustravit. Repetentes identidem illud à S. Sede confixum axioma, *Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur* (d), (quod iterum iterùmque utpotè haereticum in Quesnellianis thesibus pluries fuit dictis devotum (e)); nullam admittunt interiorem gratiam sufficientem, & quae ab aliis talis adstruitur, ea solùm est, quae à Jansenio exterior tantùm dicitur (f): quia haec ex eorum systemate vera medicinalis Christi gratia non est, quae omninò rejicitur, tanquam inutilis ad salutem. Quinimò eò usque ad insaniam devenerunt Janseniani, ut adserverint, ità notiam eam esse utramque gratiam, sive Thomisticam interiorem, sive exteriorem Jansenianam, ut rogare fas sit cuicumque Christiano, & à Deo exposcere; *A' gratia sufficiente libera nos Domine*.

Quapropter è re catholica erit si primùm utriusque gratiae, nimirùm *efficacis*, & *sufficientis* quidditatem expendam: ut ex discrimine, quod inter eas versatur, posterioris condicio clarius eluceseat, & ex claritate rei nubilum quodlibet damnati erroris eliminetur. II. Si ostendero reapse dari gratiam sufficientem interiorem, eamque revera esse gratiam medicinalem Christi. III. Tandem si probavero utriusque conditionis gratiam sufficientem, interiorem, videlicet, ac exteriorem, nullum praejudicium, damnum nullum inferre homini, cui praefatum auxilium à Deo confer-

(a) *Jansenius id passim docet, praecipuè* lib. III. de Gratia Salvatoris *Cap. IV. ubi etiam falsò sibi Augustinum in patronum adsciscit dicens*: Hinc ulteriùs docet Augustinus nullam Christi gratiam effectu operis, ad quod efficiendum voluntati datur, ulla voluntatis pervicacia frustrari.

(b) *Ex IV. Jansenianae Theß, ut haereticae, & falsa damnata ab Innocentio X.* Semi-Pelagiani admittebant praevenientis gratiae necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant haeretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas obsistere, vel obtemperare. *Hanc thesim expressè docuit Jansenius* lib. VIII. de Haeresi Pelagiana *cap. 6.*

(c) *Idem* lib. 2. de Gratia Salvatoris *Cap.* 32. Nulla gratia actualis ab Augustino prò illa vera Christi gratia agnoscitur, quam tanquam medicus infirmae voluntati attulit, nisi quae agit, & peragit effectum. *OMNIS ALIA, QUALISCUMQUE FUERIT, AB IPSO AD LEGEM, DOCTRINAMQUE RELEGATUR.*

(d) *I. Propos. Jansenii damnata ab Innoc. X. An.* 1653.

(e) *Vide Propositiones III. XI. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. & XXI. in Quesnellio damnatas à Clemente XI. in Constitutione* Unigenitus *data Rom. An.* 1713.

(f) *Vide prae ceteris Martinum Stejaertium adversùs Jansenium pluries, sed praecipuè in opusculo Anonymo, sed genuino suo foetu, cui titulus* Conclusiones Theologicae, seu Assertio Notarum in propositiones V. famosas adversùs spongiam iis oppositam. *Ibi enim laudatus Theologus optimè observat, quòd licèt Jansenius non semel* gratiam sufficientem *dicat, & charitatem parvam nominet: revera eam non propugnat, sed veluti obiter ex eo exciderunt haec vocabula, quorum Theologicam Catholicam significationem impugnat,*

Digitized by Google

fertur : adeòque sacrilegè nimium blasphemare eos, qui in praesenti statu dicerent. *A gratia sufficienti libera nos Domine*. Hoc, inquam, quod mei muneris est, Divina favente gratia actutum implebo. Verùm quia non Scholastica quaestio ad trutinam hìc vocanda occurrit, sed dogmatica veritas vindicanda est, omni eliminato Scholasticorum dissidio, quod certum est propugnabo; nec quidem, vel minimùm temporis consumam in exsufflatione, sive scommatum, sive sphalmatum aliquorum nimis audaciam Neotericorum (praesertim P. Viva in sua *Trutina Anti-Quesnelliana*) malè contorquentium, aut vellicantium Thomisticum systema, sive circà gratiam ab intrinseco efficacem, sive circà gratiam sufficientem nostrae Scholae. Cùm res jam sit nota lippis, & tonsoribus, & quod nunc objicitur, recocta sit crambes, quae ad nauseam eruditum quemque movet, & solùm ad invidiam, & livorem repetitur ab insipientibus, & ut Poeta inquit :

Veterem in limo ranae cecinere querelam.

Vel ex eo insuper calumnia despicienda in praesentiarum occurrit, quia è Romano Solio fulguriti, velut impostores, & mendaces, fuerunt, qui nobis fucum facere adtentaverunt (a), Janseniano commento admiscendo Thomisticam veritatem, insignium Academiarum, omniumque, qui veri Theologi audiunt, plausibus exceptam (b). Neque desunt Illustres Theologi, praecipuè Nostrates (c), qui ad evidentiam usque demonstrarunt tantùm differre nostram sententiam à sphalmate Janseniano, quantùm reapse distat Ortus ab Occidente. Quid insuper, cùm ii quoque, qui prò Molina decertant, ad jus nostrum ex conscientia servandum illaesum apologias

(a) *Non defuerunt, qui vel ex errore, vel ex invidia, vel quocumque alio ex momento, Deus scit, ut oppugnarent Thomisticum systema de efficacia gratiae ab intrinseco, & suapte natura efficacis, illud cum Janseniano sphalmate commiscuerunt pares nos facientes erroribus hisce, quos detestamur. Videri praesertim possunt praecipuè Liberius Gratianus, & Theodorus Eleutherius, qui Thomistas adgressi adserunt eos à Jansenistis* in solis verbis distare, non esse ovum ovo similius, nec ullo apice esse dissimiles. *Deus ignoscat. Id genus Theologos acriores confuderunt Romani Pontifices. Nedum enim Clemens VIII. & Paulus V. commendarunt nostrum systema, ut videre est apud Serry* Histor. Congregationum de Auxiliis. *Verùm Innocentius X. qui Jansenianum Commentum proscripsit, apertè declaravit in Congregatione coram se habita die* 10. *Martii* 1653. *se nolle, ut vel minimum praejudicium inferatur doctrinae SS. Augustini, & Thomae circà gratiam suapte natura efficacem, Clemens XI. ad obstruendum os loquentium iniqua, nimirùm per ejus Constitutionem* Unigenitus, *simul cum erroribus Quesnelli confixum fuisse Thomisticum systema de Gratia ab intrinseco efficaci, edidit Constitutionem* Pastoralis Officii, *in qua calumniantium mendacium propulsavit. Id clarius expressit Benedictus XIII. cùm in Epistola in forma Brevis* ad FF. Praedicatores *data, tum in Constitutione* Praetiosus, *in quâ* impostores, & falsarios, ac calumniatores *dicit eos, qui nos accusant, quod pariter in favorem Ordinis, & S. Thomae doctrinae praesitit Clemens XII. feliciter regnans.*

(b) *Thomisticum laudatum systema, nedum à Nostris excipitur, & validè propugnatur, quinimò ab insignioribus Academiis, Parisina, Lovaniensi, Duacensi, & aliis, sed ab illustrioribus Ecclesiarum Pastoribus, quinimò à Romanis Pontificibus, ut praecipuè constat ex eo, quod suprà diximus ex decreto Congregationis de auxiliis : defenditur etiam ab innumeris Theologis, quorum syllabum legere est apud Nostrates de hac re ex professo agentes, novissimè ab Antonio Boucat Ordin. Minimorum S. Francisci de Paula Tom. III.* Theol. Patrum Dogmatic. Scholastic. Positiv. *Dissert III. quem consulas.*

(c) *Qui ab impostoris vindicarunt Thomisticum systema laudatum plures certè sunt, etiam ex exteris, praecipuè nuperrimus insignis Theologus Boucat. Ex nostris autem Theologis tot habes insignes vivos, quot sunt, qui de hac re tractatus habuerunt, ex quibus aliquos suprà laudavi.*

Digitized by Google

gias ſcripſerint, & in noſtram vindiciam ſtrenuè certarint (a). Num autem reapſe prò nobis ſteterit P. Joſephus Sanfelicius nuperrimus Scriptor, ſicut ipſe, aut ſpondet, aut praeſefert? dubium non leve me urget ex quibuſdam in eo adnotatis, de quibus certè dicere poſſum

Latet anguis in herba.

Verùm ne ſine cauſſa iter diverram, cùm grandis mihi reſtet via, rem totam ediſſerendam relinquens Eruditis (ſicut jam excepi à Doctiſſimo quodam Theologo fore pertractandam) nullam de eo proferre volo ſententiam, ſed iterùm illud Maronis uſurpans dico:

Timeo Danaos, vel dona ferentes.

Nec quidem parumper protraham moras in ventilanda ſcurrilitate Janſenianorum, praecipuè Aegidii Albani (b), qui quum non poſſint eos ſibi adſciſcere patronos, quos optarent Duces, *Neo-Thomiſticam* dicunt gratiam, quam ſufficientem nos dicimus, atque tuemur. Quid enim, contrà veritatem inſulſa querela Novatorum? latrant miſelli veluti rabidi canes micantis Lunae radiis fulguriti

...Sed fruſtrà agitur vox irrita ventis,
Et peragit curſus ſurda Diana ſuos (c).

Diſcrimen igitur, quod inter gratiam efficacem, & gratiam ſufficientem verſatur, eſt, quòd (ut ſuprà pariter diximus) prima det ultimum eſſe ad operandum; poſterior verò det completum poſſe ad idem opus ordinis ſuperioris: hinc gratia efficax eſt auxilium illud, quo anima à Deo potenti ſua virtute inſignita, elevata, & roborata, liberè quidem, ſed infallibiliter operatur in ordine ſupernaturali, ut etiam à defenſoribus Molinianae doctrinae tenendum, & credendum S. Sedes praeſcripſit (d); Gratia verò ſufficiens, ſeu *thomiſticè* talis ea eſt, qua anima interius mota, & excitata perfectè potens ad operandum ſupernaturaliter conſtituitur; quamvis ad actu operandum egeat ulteriori auxilio. Sive haec gratia juxtà veteres Thomiſtas (e), entitativè diſtinguatur à gratia efficaci, ſive

(a) *Theologi è Societate, qui Thomiſticum ſyſtema à calumniantium impoſturis vindicarunt quamplures certè ſunt, praecipuè tamen P. Stephanus Deſchamps* lib. II. de haereſi Janſeniana *diſp. VI. cap. 9. & diſp. 3. cap. 3. P. Johannes Martinonus.* in Anti-Janſenio *pag.* 708. *P. Franciſcus Annatus in opere, cui titulus* Cavilli Janſenianorum *pag.* 29. *& ex profeſſo in Opere, cui titulus* Janſenius à Thomiſtis gratiae per ſe efficacis defenſoribus damnatus.

(b) *Alban.* Auguſt. Iprenſ. Vindicat. *P. III. Cap.* 6. *&* 7.

(c) *Alciatus* Emblemate CLXIV.

(d) *In Congregation.* de Auxiliis *à Clemente VIII. & Paulo V. fuit indictum Molinae Patronis, ut XV. Articulos in Sexto Clementis VIII. Scripto contentos tenerent, & profiterentur. Sunt autem ex praefatis Articulis hi, qui ſequuntur, & ad rem faciunt*: Secundùm Sanctum Auguſtinum datur gratia efficax, imò efficaciſſima, nec tamen per eam laeditur libertas humani arbitrii. Haec gratia habet ſuam efficaciam ab omnipotentia Dei, & à dominio, quod ſumma Divina Majeſtas habet in voluntates hominum, ſicut in cetera omnia, quae ſub coelo ſunt. Per hanc gratiam agit Deus omnipotens in cordibus hominum motum voluntatis eorum, faciendo ex nolentibus volentes, & repugnantibus conſentientes, & oppugnantibus amantes. Hanc gratiam efficacem infundit Deus cordibus noſtris per operationem Spiritus Sancti innumerabilibus, & occultiſſimis modis. Per ipſam efficit Deus, nedum ut operemur, ſed etiam, ut velimus. Effectus hujus gratiae eſt certus, & infallibilis. Haec Dei gratia neceſſaria eſt ad ſingulos actus. Nullis meritis noſtris redditur, ſed gratuita bonitate donatur. Non inducit fatum, non tollit praedicationem, & correptionem, ſed cum libertate humanae voluntatis optimè conſiſtit. *Vide N. Thomae de Lemos* Collectionem in Hiſtor. de Auxiliis, *& N. Hyacinthi Serry* Hiſtoriam Congreg. de Auxiliis in Appendice, VI. Scriptum Clem. VIII.

(e) *Omnes Veteres Thomiſtae, ut videre eſt etiam apud N. Graveſon* de Myſteriis, & Annis Chriſti *fol.* 343. *primae editionis Romanae*;

Digitized by Google

sive juxtà aliquos recentiores Thomistas (a), entitativè sit eadem cum gratia efficaci, quae dumtaxat ab ista differt ratione intensionis graduum efficaciae, ratione cujus suapte vi superat gradus obstinationis, & malitiae voluntatis creatae. Et haec fortasse est loquendi diversitas veteres inter, & recentiores Thomistas, quam Aegidius indicare debebat, sed fraude, & involucris eam obtexit, confuditque. Ad sufficientes gratias eae quoque reduci debent, quae sunt exteriores tantùm, uti sunt manifestatio, & indictio legis, praedicatio Evangelii, & id genus.

Ostenditur ergò catholica veritas, quoad priorem Partem. Gratia sufficiens interior, sive etiam *thomisticè* talis, ea est, quae excitat, illuminat, movet; sed revera animam non convertit in Deum: seu etsi det posse etiam proximè ad opus supernaturale, illud tamen reapse non producit; sed requiritur ulterius aliud auxilium potentius, quo supernaturale opus producatur: Quare voluntas mota, & excitata à Deo per gratiam sufficientem, quia non est plenè immutata, & avulsa à delectatione sensus, Deo vocanti, moventi, & excitanti resistit; & idem dicas de illustratione intellectus quoad credenda, &c. Atqui haec gratia in Divino verbo ità diserte adstruitur, ut nullus supperat de veritate Divini eloquii dubitandi locus; clarissimè etiam traditur à Conciliis, & Patribus. Igitur eam inficiari error est, & haeresis manifesta. Major propositio constat ex dictis. Minor verò probatur

I. Ex Scripturis, quarum integrum syllabum non formo, quia longum nimis traherem funem, sed aliqua dumtaxat ex eis depromta monumenta produco. Proverb. VIII. Dominus inquit: *Vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret*; quibus verbis apertè ostenditur vocatio, motio, & excitatio, cui resistitur à voluntate creata. Isaiae V. dicitur: *Quid est, quod debui ultrà facere vineae meae, & non feci ei? An quòd expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Dum enim Dominus exspectavit, certè homo poterat facere; non fecit autem, quia nonnisi tantùm gratiam sufficientem habebat. Similiter Ezechielis XXIV. *Vae Civitati sanguinum . . . . Quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis*. Si enim Deus voluit mundare, dubio procul per gratiam sufficientem, quae moveret, impellit; sed quia non perficit, ei resistit pervicax humana voluntas. Pariter Jeremiae Capite VII. dicitur: *Loquutus sum ad vos mane consurgens, & loquens, & non audistis: & vocavi vos, & non audistis*. Et tandem Psalm. XCIV. *Hodie si vocem ejus audieritis nolite obdurare corda vestra*. In quibus postremis monumentis, & motio Divina probatur, cui resistit homo rebellis, & ea vox Dei vocantis adstruitur, cui aures claudit obstinatus. In Novo Foedere pariter eadem Divina veritas apertissimè manifestatur. Matthaei XXIII. *Jerusalem Jerusalem . . . . Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Sed quorsum

(a) *Ità post N. Gonzalez N. Antonius Massaulie Art. I. Quaest. VI. Tom. II. Operis cui titulus* D. Thomas suimet interpres.

Digitized by Google

ſum Judaei juſtè increpantur, & propterea inexcuſabiles ſunt, niſi quia habentes poſſe operari bonum virtute gratiae ſufficientis, non fecerunt, ſed reſtiterunt? *Dura cervice*, ità eos arguit S. Stephanus Actorum VII. *& incircumciſis cordibus, & auribus, & vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis: ſicut Patres veſtri, ſic & vos*. Paulus itidem ad Romanos X. cùm dixiſſet Deum vocem ſuam dediſſe, ut ad fidem ceteri venirent, & ad Deum converterentur, praecipuè tamen vocaſſe, & moviſſe filios Abraham, ut relictis Idolis, ſceleribus nuntio miſſo, vero Patri adhaererent filii rebelles, qui tamen in pervicaci obſtinatione perſtiterunt: quare laudans textum Iſaiae, ità concludit Gentium Doctor. *Ad Iſrael autem dicit* (Iſaias Cap. LXV.) *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem*. Tandem clariſſimum Evangelii monumentum non omittam, quo inſinuatur, & quidem luculentiſſimè, gratia ſufficiens, & *thomiſticè* talis, quae vel aliquid imperfectum producit, ſed perfectum opus, ad quod datur, non facit: vel dat plenum poſſe, cui reſiſtit pertinax ferrea voluntas. Quid enim ſignificat ſemen illud in parabola Chriſti Lucae VIII. *quod cecidit ſuper petram, & natum aruit, quia non habebat humorem*? quid ſemen, *quod cecidit ſecùs viam, & conculcatum eſt, &c.* Niſi gratiam ſufficientem nuper explicatam? Hoc quidem univerſim Patres expendunt. Et Queſnellius ipſe poſt latam in eum ſententiam, ità luculenter expreſſit (a), ut nullus ſuperſit involucris locus: Igitur Deus etiam peccatoribus dat gratiam ſufficientem, qua completè poſſint elicere opus ſupernaturale praeceptum, quod tamen non eliciunt, quia *in vacuum gratiam Dei recipiunt*. Ad Epheſ. VI. & Spiritui Sancto reſiſtunt, indigni propterea majori, ampliorique adjutorio, quo arduum perficiant opus.

Ex Conciliis pariter idem dogma traditur. In Arauſicano II. Can. XXV. ità definitur. *Hoc etiam ſecundùm fidem catholicam credimus, quòd accepta per Baptiſmum gratia, omnes Baptizati, Chriſto auxiliante, & cooperante, quae ad ſalutem pertineant, poſſint, & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere*. In Valentino ſuprà laudato Can. II. decernitur. *Nec ipſos malos ideò perire, quia boni eſſe non poterant, ſed quia boni eſſe noluerunt, ſuoque vitio in maſſa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanſerunt*. Similiter in Concilio Arelatenſi III. coacto An. 524. ſuperiùs indigitato, dum adprobatur Epiſtola Fauſti Rejenſi Epiſcopi perſtringentis errorem Lucidi Presbyteri, dicitur *Anathema illi, qui dixerit illum, qui periit, non accepiſſe, ut ſalvus eſſe poſſet*. Cùm ergò & juſti, & peccatores habeant, unde poſſint ſalvi eſſe, & pereunt, quia reſiſtunt, certè gratia ſufficiens à nobis aſſerta, & à Janſeniſtis rejecta firmatur. In Concilio Senonenſi etiam dum adſtruitur *Thomiſticè* efficax gratia, etiam *Thomiſticè* ſufficiens gratia docetur. (b) *Neque tamen tanta gratiae neceſſitas libero praejudicat arbitrio, cùm illa ſemper ſit in prom-*

(a) *Paſchal. Queſnell. in* Expoſtulatione, & Proteſtatione ſua *fol. mihi XXXV.*

(b) *Concil. Senonenſ. coact. An.* 1528. Decreto XV.

Digitized by Google

promtu, nec momentum quidem praetereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulſet: cui ſi quis aperuerit januam, intrabit ad illum, & coenabit cum illo. Nec denique tale ſit trahentis auxilium, cui reſiſti non poſſit. Gratia itidem ſufficiens ex Colonienſi Concilio iterùm vindicatur his verbis: (a) *Jam, quanquam nemo convertatur ad Dominum, niſi tractus per Patrem; attamen nemo hic excuſationem praetexat, quòd non trahatur. Cùm ille ſemper ſtet ante oſtium pulſans, nimirùm per internum, & externum verbum commonens, ut convertamur à via noſtra peſſima.* Tandem in Concilio Tridentino ità dilucidè haec veritas traditur, ut nonniſi à vitilitigatore perfrictae frontis, & durae cervicis poſſit ſiniſtram interpretationem ſubire decretum laudatae Synodi Generalis, in qua ſicut nigro theta ſignatus fuit error Heterodoxorum, ità praedamnatum quoque fuit commentum Michaëlis Baii, Cornelii Janſenii, omniumque aſſeclarum eorum. Sic enim ibi conditio utriuſque gratiae efficacis, nimirùm, & ſufficientis expenditur, & diſtinguitur; quinimò utriuſque gratiae ſufficientis, *remotè*, videlicet, & *proximè* traditur, & diffinitur. (b) *Itàut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omninò agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere poſſit.* Et (c) *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis.* Dum enim in primo monumento Deum *tangere cor hominis* dicit, interiorem gratiam deſignat: ſed dum inquit: *recipiens*, gratiam efficacem manifeſtat. Dum autem in poſteriori dicit. *Jubendo monet facere, quod poſſis*, gratiam ſufficientem remotam, necnon exteriorem gratiam manifeſtat. Sufficientem verò proximam & interiorem edifferit, dum inquit. *Et petere, quod non poſſis*. Tandem efficacem adſtruit, dum ait: *& adjuvat, ut poſſis*; cùm loquatur de potentia conjuncta cum actu.

Patres verò ità dilucidum teſtimonium perhibent adſertae veritatis, ut nonniſi in Sole tenebras quaerere dicatur, qui vel leviter de eorum communi ſenſu nobis concordi ambigere praeſumet. Aliqua tamen utriuſque Eccleſiae, cùm Orientalis, tùm Occidentalis Doctorum monumenta proferam, ne prolixo catalogo monumentorum taedio fiam legenti. Ex Orientali Eccleſia gratiam ſufficientem, cui humana voluntas reſiſtit, invictè probant, quotquot de ea verbum habent, etſi non ex profeſſo tractatus ità ediderint, ſicut Eccleſiae latinae Patres, qui poſt exortam Pelagianam haereſim ſcripſerunt. S. Juſtinus Martyr enim ità loquitur poſt expenſum nodum praedeſtinationis, & praeſcientiae, quinimò & voluntatis Divinae. (d) *Quapropter ſi poenitentiam egerint, omnes miſericordiam à Deo conſequi volentes, prae-*

(a) *Concil. Colonienſ. celebrat. An.* 1536. Capite XXXII.
(b) *Trident.* Seſſ. VI. de Juſtificatione *Cap. V.*
(c) *Ibidem Capite XI.*
(d) *S. Juſtinus Martyr in* Dialogo cum Triphone Judaeo *in fine, juxtà editionem Pariſienſem* 1636. *& Colonienſem* 1686. *laudatur pariter ſub nomine ejuſdem S. Juſtini conſimile monumentum in* Reſponſion. ad Quaeſt. IX. Ortodox. *ſed notum eſt ex aliàs dictis autborem* Reſponſionum *eſſe alterum Juſtinum, videlicet Monachum longè poſterioris aetatis.*

Digitized by Google

praestare id, & assequi possunt. S. Irenaeus non abfimili modo loquitur. (a) *Hi autem, qui illud non operantur* (scilicet bonum) *judicium justum excipient Dei, quoniam non sunt operati bonum, cùm possint operari illud*: ideſt, ut ex phrasi Irenaei constat, restiterunt gratiae Dei, ex qua resistentia non fuerunt consequuti ulterius auxilium; hinc subdit Irenaeus: (b) *Sed ille, qui non consequitur eam, sibimet suae imperfectionis est causa*. Et rationem adsignat. *Nec enim lumen deficit propter eos, qui semetipsos excoecaverunt: sed illo perseverante quale & est, excoecati per suam culpam in caligine constituuntur. Neque lumen cum magna necessitate subjicit sibi quemquam: neque Deus coget eum, qui nolit continere ejus artem*. (gratiam, nimirùm, ut ex contextu) *Qui igitur abstiterunt à paterno lumine, & transgressi sunt legem libertatis, per suam abstiterunt culpam, liberi arbitrii, & suae potestatis facti*. Idipsum luculenter docuit S. Basilius, qui etiam mirum in modum praedicat gratiam sufficientem, & ad rem nostram loquitur. (c) *Quando vineae istius germina improbanda veniunt, ab ea tollitur pluvia: quandoquidem auxiliari gratia Dei sibi praerogata, non ut conveniebat, usa est. Itaque etiam nos si quando deprehendemur minus rectè usi occasione rei benè gerendae, indulta nobis à Deo, tunc nobis adimitur coeleste praesidium*. Eodem quoque modo loquitur S. Cyrillus Alexandrinus. (d) *Non Verbum Dei, & aeternam hanc lucem, sed imbecillitatem suam mundus accuset. Illuminat enim Filius, repellit autem gratiam creatura*. Tandem S. Johannes Chrysostomus luculentius rem totam expendit. (e) *Gratia in omnes diffusa est, non Judaeum, non Graecum, non Barbarum, non Scythum, non liberum, non servum, non virum, non mulierem, non senem, non juvenem effugit, aut dedignatur; omnibus eadem est, omnibus se facilem exhibet, omnes pari honore advocat. Qui autem ejus munere frui negligunt, hanc suam coecitatem aequo librent examine. Cùm enim omnibus aditus pateat, & à nemine prohibeatur, perditi quidam, & nequam homines propria dumtaxat malitia ingredi recusant*. Ex quibus omnibus, sic vel breviter argumentum conflare lubet ad firmius, clariùsque profligandos Heterodoxos. Ex laudatis Patribus datur gratia, quae omnibus est communis, quae inexcusabilem reddit peccatorem, quae omnibus dat posse bonum, sed tamen ei ex humana fragilitate, & propria malitia plerique resistunt. Atqui haec est gratia sufficiens à nobis adserta, & vindicata; quum gratia efficax det actu facere, cui nulla humana resistit voluntas. Igitur ex concordi Graecorum Patrum sententia datur gratia, eaque interior, directè contrà Systema Novatorum, Jansenii, & Sociorum ejus.

Ex Patribus autem Latinis, quamplures certè nobis praestò sunt ad veritatem sartam tectam servandam, paucorum tamen monumenta laudabimus; praecipuè eorum, qui directè opponi possunt cavillis adversariorum, cetcros autem sat erit indigitasse. Primus ergò, qui

(a) *S. Iren.* Adversùs Haereses *C. XXXVII.*
(b) *Idem ibidem C. XXXIX. editionis P. Massuet.*
(c) *S. Basilius* Commentario in Caput V. Isaiae.
(d) *S. Cyrillus Alexandr.* lib. I. in Johannem *Cap. II.*
(e) *S. Joh. Chrys.* Homilia VII. in Cap. I. Johannis.

Digitized by Google

qui in confirmationem dogmatis laudari debet, est S.Ambrosius, qui ità ad rem nostram loquitur, dum gratiae sufficientis vim in illuminatione, & pulsatione, cui resistitur, expendit, ad differentiam gratiae efficacis, qua Deus vocans, & pulsans animam intrat. Ait enim: *Numquid si quis ostia domus suae claudat, Solis est culpa, quòd non illuminat domum ejus? Ergò si quis peccatorum suorum repagulis obserandam mentem propriam judicaverit, & Verbi à se splendorem stultus avertat, ac sibi inferat insipientiae coecitatem: causari poterit, quòd Sol justitiae noluerit intrare? Aut infirmitatem luminis coelestis arguere? Pulsat januam tuam Dei Verbum*: „ Si quis mihi aperuerit, *inquit*, „ intrabo „. *Si quis ergò non aperuerit, numquid non ingredientis, & non magis non aperientis est culpa?* Parili modo loquitur S.Hieronymus (b). Clariori autem theologica methodo Orosius rem totam expendit, eosque usurpat terminos ad veritatem catholicam edifferendam, qui ceu opportuniores, apertioresque, paralogizandi viam praepediunt adversariis nostris. Inquit enim: (c) *Mea semper haec est, fidelis, atque indubitata sententia, Deum adjutorium suum non solùm in corpore suo, quod est Ecclesia, cui specialia ob credentium fidem gratiae suae dona largitur; verùm etiam universis in hoc mundo gentibus propter longanimem suam aeternamque clementiam subministrare, non, ut tu asseris cum discipulo tuo Coelestio* (redarguit Pelagium gratiam non distinguentem à libero arbitrio; & nomine gratiae usurpantem generale creationis donum, quo homo à Deo conditus erat liber, & rationis compos) *sed specialem quotidie per tempora, per dies, per momenta .... Cunctis, & singulis ministraret dicit enim Scriptura* „ Qui facit Solem „ oriri super bonos, & malos „. Idipsum docet S.Bernardus (d). Ex quorum omnium testimoniis apertissimè evincitur dari gratiam sufficientem, qua datur posse completè operari supernaturaliter, & cui humana voluntas ex sua malitia resistit.

Verùm quia Jansenius totus est in roboranda sua sententia ex monumentis S.Augustini, etsi perperàm, & per fraudem: peculiare mihi procul dubio onus incumbit ex S.Patre, ejusque Schola catholicum dogma probare; iisque ex eodem Aquilino Doctore, & discipulis suis monumentis petitis, quae ad veritatis decisionem suapte vi, absque dolo, & sine arte, quadrent. In primis M. P. duplicem in statu naturae lapsae gratiam distinguit, efficacem, nimirùm, & sufficientem: priorem quidem in vocatione ad fidem, cui homo consentit, & qua convertitur; posteriorem verò in eadem vocatione, cui obluctatur, & resistit. Sic enim loquitur. „ Vocat enim Deus „ praedestinatos multos filios suos, ut „ eos faciat membra praedestinati unici „ Filii sui: non ea vocatione, qua vo„ cati sunt & qui noluerunt venire ad „ nuptias; illa quippe vocatione, &

(a) *S Ambrosius* in Psalmum CXVIII. *ad ea verba* Prope es tu Domine.
(b) *S.Hieronymus* Comment. in Psalm. CXL.
(c) *Paulus Orosius gente Hispanus Presbyter Tarraconensis An. CCCCXVI. clarus* in Apologetico adversùs Pelagium.
(d) *S.Bernardus* Serm. V. de Quadragesima.
(e) *S. Augustinus* Libro de Praedestinatione Sanctorum ad Prosperum, & Hilarium *Cap. XVI.*

Digitized by Google

„ Judaei vocati sunt, quibus Christus „ Crucifixus *scandalum est*, & Gentes, „ quibus *crucifixus stultitia est*: Sed ea „ vocatione praedestinatos vocat, quam „ distinxit Apostolus dicens: Ipsis voca„ tis Judaeis, & Graecis praedicare se „ Christum Dei virtutem, & Dei sa„ pientiam. Sic enim ait: *Ipsis autem* „ *vocatis*: ut illos ostenderet non voca„ tos: Sciens esse quandam certam vo„ cationem eorum, qui secundùm pro„ positum vocati sunt, quos ante prae„ scivit, & praedestinavit conformes „ imaginis filii sui. Quam vocationem „ significans ait: *Non ex operibus, sed* „ *ex vocatione dictum est ei, quia major* „ *serviet minori*. Numquid dixit non „ ex operibus, sed ex credente? Pror„ sus etiam hoc abstulit homini, ut to„ tum daret Deo. Dixit ergò, *sed* „ *ex vocante*: non quacumque voca„ tione, sed qua vocatione fit ere„ dens ..... Non enim vocatione il„ la vocati sunt, de qua dictum est, „ *Multi vocati*: sed illa, qua vocantur „ electi. Unde, & hic posteà quam „ dixit: *secundum electionem autem dile„ cti propter patres*: Continuò subjecit, „ unde agimus, *sine poenitentia enim sunt* „ *dona*, & *vocatio Dei*, idest sine mu„ tatione stabiliter fixa sunt. Ad hanc „ vocationem, qui pertinent, omnes *sunt* „ *docibiles Dei*. Nec potest eorum quis„ quam dicere: credidi ut sic vocarer. „ Praevenit eum quippe misericordia „ Dei, quia sic est vocatus, ut crede„ ret: omnes enim docibiles Dei ve„ niunt ad Filium, quoniam audierunt, „ & didicerunt à Patre per Filium, qui „ evidentissimè dicit, *Omnis, qui audivit* „ *à Patre, & didicit, venit ad me*. Isto„ rum autem nemo perit, quia *omne*, „ *quod dedit ei Pater, non perdet ex eo* „ *quidquam*. Quisquis ergò inde est, „ omninò non perit, Nec erat inde „ qui perit. Propter quod dictum est: „ *Ex nobis exierunt, sed non erant ex no„ bis, nam si fuissent ex nobis, mansissent* „ *utique nobiscum*. „

Similiter gratiam sufficientem disertissimè insinuat, ut distinctam à gratia efficaci, cùm hanc dicit *charitatem magnam*, illam autem *charitatem parvam* adpellat; hinc effugium omne adversantibus praepeditur. En ejus verba luce meridiana clariora. (a) „ Qui ergò vult „ facere Dei mandatum, & non potest, „ jam quidem habet voluntatem bo„ nam, sed adhuc parvam, & invali„ dam: Poterit autem, cùm magnam „ habuerit, & robustam. Quando enim „ Martyres magna illa mandata fece„ runt, magna utique voluntate, hoc „ est magna charitate fecerunt: de qua „ charitate ipse Dominus ait. *Majorem* „ *hac charitatem nemo habet, quàm ut ani„ mam suam ponat prò amicis suis*. Unde „ & Apostolus dicit: *Qui enim diligit* „ *proximum legem implevit: Nam non* „ *adulterabis, non homicidium facies, non* „ *furaberis, non concupisces, & si quod* „ *est aliud mandatum, in hoc sermone re„ capitulatur: diliges proximum tuum* „ *tanquam te ipsum. Dilectio proximi ma„ lum non operatur: Plenitudo ergò legis,* „ *dilectio*. Ipsam charitatem Apostolus „ Pe-

(a) *S. Augustinus* Libro de Gratia, & libero arbitrio Ad Valentinum, & cum illo ad Monachos Adrumetinos *Cap. XVII.*

Digitized by Google

„ Petrus non dum habuit, quando timore Dominum ter negavit. *Timor* „ enim *non est in charitate*, sicut ait Johannes Evangelista in Epistola sua, „ *sed perfecta charitas foras mittit timorem*. Et tamen, quamvis parva, & imperfecta, non deerat, quando dicebat „ Domino: *Animam meam prò te ponam*. „ Putabat enim se posse, quod se velle sentiebat. Et quis istam, & si parvam, „ dare coeperat charitatem, nisi ille „ qui praeparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait „ Apostolus: *Certus sum, quoniam qui* „ *operatur in vobis opus bonum, perficiet* „ *usque in diem Christi Jesu*. Ut ergò velimus, sine nobis operatur; cùm autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen „ sine illo, vel operante, ut velimus: „ vel cooperante, cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. De „ operante illo, ut velimus, dictum „ est: *Deus est enim, qui operatur in vobis, & velle*. De cooperante autem, „ cùm jam volumus, & volendo facimus: *Scimus*, inquit, *quoniam diligentibus Deum, omnia cooperatur in* „ *bonum*. Quid est *Omnia*: nisi & ipsas „ terribiles, saevasque passiones? Sarcina quippe illa Christi, quae infirmitati gravis est, levis efficitur charitati. Talibus enim Dominus dixit esse „ suam sarcinam levem, qualis Petrus „ fuit, quando passus est prò Christo, „ non qualis fuit, quando negavit Christum.

Neque ullum faceſſit negotium, quòd M. Pater de parva charitate loquens potentiam ad operandum ei denegat, quam solùm efficaci gratiae tribuit: quandoquidem *posse*, quod prioti charitati denegat, est illud completissimè, plenissimè, perfectissimèque *posse*, quod aliud certè non est, nisi robur novum, novaeque vires additae voluntati debilitatae, sauciatae, vulneratae, ut reapse tandem agat, & praeceptum impleat: quae tamen prius cum charitate parva verè, propriè, & intimè poterat, non ità perfectè, & completè. In quo certè sensu ex eodem M. Patre (a) Tridentina Synodus diffinivit. (b) *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat ut possis*: ut gratiam sufficientem simul, & efficacem describeret, etsi utramque per nomen potentiae distinxerit; Sed certè longè inter se diversae conditionis posteriorem à priore. Ista quidem dat actu posse, & *facere quod possis, & petere quod non possis*. Sed posterior ità completè *adjuvat ut possis*, ut novo potestatis gradu roborata anima actu adimpleat praecepta Divina.

Neque insuper contrà nos facit, quòd ibidem Aquilinus Doctor dixerit *eam parvam charitatem*, qua Petrus dicebat: *Animam meam pono prò te*, quasi quòd esto parva gratia, tamen efficax ea erat, utpotè quae inerat homini justo: quare Aegidius Albanus cum ceteris affectis,

(a) *S. Augustinus* lib. de Natura, & Gratia, cap. 43. & Epistola olim LXXXIX. nunc CLVII.

(b) *Tridentinum* Sess. VI. de Justificatione, *Cap. II.*

Digitized by Google

hunc S. Augustini locum opponit ad evertendam gratiam sufficientem, & inde sumit arma contrà nos, unde nos ipsi de Jansenianis reportamus triumphum. Quandoquidem ibi Augustinus loquitur de Petro jam in gratia existente, & consequenter habituali gratia decorato; sed tamen egente ulteriori actuali charitate ad resistendum timori, & tentationibus irruentibus in Caiphae atrio: quae quidem charitas, seu gratia actualis, quia non fuit valida, & robusta, sed debilis, & parva, posse quidem ei dedit, sed non dedit actu resistere: bonam voluntatem ei praestitit ad pugnandum, sed non robur ad vincendum in bello, qua de causa timore perterritus ter Dominum negavit. Nec mirùm, quòd gratia sufficiens dicatur ea, quae actu aliquid supernaturale in anima producit, & animam in actum, estò imperfectum, sed ordinis supernaturalis, facit exire. Hoc quidem proprium est gratiae sufficientis interioris, quae in pia motione voluntatis consistit, & praesertim dum justo confertur. Verùm quia non ad actum istum imperfectum, quem producit, gratia illa datur; benè verò ad actum perfectum, nimirùm ad victoriam cupiditatum, ad resistentiam insultibus, & triumphum de hoste, adhuc intrà gratiae sufficientis cancellos clauditur, dum modicam charitatem producit. Idque ità claresci ex textu M. P. Augustini, ut aliter velle illum interpretari sit violenter contorquere obvium sensum S. Doctoris: quam fraudem ut declinarem, imò ut eam detegerem in Oppositoribus, non quidem mutilum textum, aut ex eo pauca selecta verba, ut Albanus egit, landavi, sed integrum, ut jacet, textum in medium produxi.

Probatur ulterius eadem veritas ex aliis S. P. Augustini monumentis. M. Pater (a) redarguens eos, qui excusationem pertendebant in justo judicio Dei ex eo, quòd non acceperant perseverantiam, objicit eis idcircò nunc ex causa corripi, & tandem in Divino judicio justè damnari, quia habuerunt gratiam sufficientem, qua poterant perseverare. *Homo in eo, quod audieras, & tenueras, perseverares si velles.* Igitur expressè distinctè M. P. eam admittit gratiam, quam Jansenius inficiatur: utpotè qui ex M. P. sibi perperàm adscito eam solùm adstruit gratiam, qua infallibiliter indeclinabiliter non solùm vult, sed etiam facit opus pietatis. Similiter Aquilinus Doctor idem inculcat, dum ad Vitalem Carthaginensem scribens exprobat, & impugnat hujusce sententiam, quòd *initium fidei non sit donum Dei*, & apertè insinuat gratiam sufficientem, qua dumtaxat bona voluntas gignitur, quod ex scriptura confirmat. (b) *Ideò dixit* (David Psalm. XXXVI.) *A' Domino gressus hominis diriguntur, & viam ejus volet, ut intelligeremus ipsam voluntatem bonam, qua incipimus velle credere* (*quoniam Dei via quid est, nisi fides recta?*) *illius esse donum, qui gressus nostros propterea dirigit primitùs, ut velimus.* Hanc iterùm gratiam sufficientem vel ex eo comprobat, quia totum diaboli studium in eo est, ut infideles claudant aures cordis vocibus Dei

(a) *S. P. Augustin.* Lib. de Correptione, & Gratia ad Valentinum *C. VII.*

(b) *Idem* Epistola ad Vitalem CCXVII, *olim* CVII.

Digitized by Google

Dei invitantis, quibus excitati possint salvari. *Quid ergò*, inquit, *operatur haec potestas* (tenebrarum) *in filiis diffidentiae, nisi opera sua mala, & in primis, maximèque ipsam diffidentiam, & infidelitatem, qua sunt inimici fidei, per quam scit eos posse mundari, posse sanari, posse perfectissimè liberos, quod eis vehementer invidet, in aeternitate regnare.* Luculentissimè igitur Augustinus eam admittit interiorem gratiam in statu naturae lapsae, qua homo potest salvari, ad differentiam illius, quae actu mundat, & sanat, rumpit seras, riserat ostia, & Deo indeclinabiliter unit, ut Jansenius loquitur. Haec posterior est efficax. Igitur illa prior est sufficiens.

Ne autem nimiùm sim prolixus, omissis aliis monumentis M. P. in quibus gratiam sufficientem adstruit. (Ea inter cave ne adnumeres librum *de Praedestinatione, & gratia*, quem hìc ad exsufflandam hanc Thesim laudat P. Bonucci. Pelagiani hominis genuinus est foetus, ut Critici omnes emunctae naris advertunt. Ideòque quàm validè ex eo, & Lessii, Molinaeque doctrina laudatus Bonucci hanc eandem thesim impugnaverit: quivis modicùm sapiens apprimè dignoscit) praecipuè dum contrà Pelagianos ostendit bonas cogitationes, & pia desideria, etiam sine fructu boni operis, donum Dei esse; & ex gratia procedere (a). Ea dumtaxat loca laudabo in quibus Gratiae Primipilus in se ipsam hanc interiorem sufficientem gratiam non semel experimento comprobatam confitetur. I. Gratiam stimulantem, & terrentem, ut à malo cessaret, fuisse sibi à Domino collatam testatur. (a) „Cùm „ ergò nescirem quomodo haec sustine„ret imago tua, pulsans proponerem „ quomodo credendum esset, non insul„tans opponerem quasi ità creditum „ esset: tantò igitur acrior cura rode„bat intima mea quid certi retinerem, „ quantò me magis pudebat tam diu il„lusum, & deceptum promissione cer„torum puerili errore, & animositate, „ tàm multa incerta, quasi certa gar„risse.„ II. Clarè confitetur gratiam Dei excitantem, qua adhuc renitens praeparabatur ad fidem: hinc ait. (c) „Ex „ hoc tamen quoque jam praeponens „ doctrinam catholicam, modestiùs ibi „ min mèque fallaciter sentiebam jube„ri, ut crederetur quod non demon„strabatur, (sive esset quid, sed cui „ fortè non esset, sive ne quid esset) „ quàm illic temeraria pollicitatione „ scientiae credulitatem irrideri; & pos„teà, tàm multa fabulosissima, & ab„surdissima, quia demonstrari non po„terant, credenda imperari. Deinde „ paulatim tu Domine manu mitissima, „ & misericordissima pertractans, & „ componens cor meum, consideranti „ quàm innumerabilia crederem, quae „ non viderem, neque cùm gererentur „ adfuissem; sicut tàm multa in histo„ria Gentium, tàm multa de locis, „ atque Urbibus, quae non videram, „ tàm multa amicis, tàm multa medi„cis, tàm multa hominibus aliis, at„que aliis, quae nisi crederentur, om„ninò in hac vita nihil ageremus . . . . .

„ Cc-

(a) *S. P. Augustinus* Lib. II. contrà duas Epistolas Pelagianorum *Cap VIII. n.*

(b) *Idem* in Confessionibus *lib. VI. C. IV. n. 5.*

(c) *Idem ibidem Cap. V. n. 7.*

Digitized by Google

„ Cogitabam haec, & aderas mihi; fu-
„ ſpirabam, & audiebas me; fluctua-
„ bam, & gubernabas me; ibam per
„ viam ſeculi latam, nec deſerebas.„
III. Candidè profitetur ſe aliquando reſtitiſſe interiori gratiae, magna excitata colluctatione inter voluntatem ſuam, & Divinam, ſed praevalente reluctantia pervicacis ſuae voluntatis, non fuiſſe deſtitutum à Deo, per varias excitationes, piaſque motiones praeparante cor ejus. En M. P. verba. (a) „ Et ego maximè
„ mirabar ſatagens, & recolens, quàm
„ longum tempus eſſet ab undevigeſi-
„ mo anno aetatis meae, quo fervere
„ coeperam ſtudio ſapientiae, diſpo-
„ nens ea inventa relinquere omnes va-
„ narum cupiditatum ſpes inanes, & in-
„ ſanias mendaces: Et ecce jam trice-
„ nariam aetatem gerebam, in eodem
„ luto haeſitans aviditate fruendi prae-
„ ſentibus, fugientibus, & diſſipanti-
„ bus me, dum dico cras inveniam:
„ Ecce manifeſtum apparebit, & tene-
„ bo..... Cùm haec dicebam, & al-
„ ternabant hi venti, & impellebant
„ huc, atque illuc cor meum, tranſi-
„ bant tempora, & tardabam converti
„ ad Dominum, & differebam de die
„ in diem vivere in te, & non differe-
„ bam quotidie in memet ipſo mori.
„ Amans beatam vitam, timebam illam
„ in ſede ſua, & ab ea fugiens quae-
„ rebam eam. Putabam enim me miſe-
„ rum fore nimis, ſi foeminae privarer
„ amplexibus; & medicinam miſericor-
„ diae tuae, ſi ad eamdem infirmitatem
„ ſanandam non cogitabam, quia ex-
„ pertus non eram, & propriarum vi-
„ rium credebam eſſe continentiam;
„ quarum mihi non eram conſcius, cùm
„ tàm ſtultus eſſem, ut neſcirem ſicut
„ ſcriptum eſt: *Neminem poſſe eſſe conti-*
„ *nentem niſi tu dederis*. Utique dares, ſi
„ gemitu interno pulſarem aures tuas,
„ & fide ſolida in te jactarem curam
„ meam.„ IV. Tandem (ut innumera, id genus monumenta, qua ex libris *Confeſſionum* Magni Patris erui poſſunt ad veritatem firmandam miſſa faciam) idem Aquilinus Doctor adſerit Deum viſitaſſe animam ſuam ſanctis cogitationibus, excitaſſe voluntatem piis adfectionibus, & multifariàm per gratiam interiorem ſemetipſum ad meliorem frugem evocaſſe: verùm ſe reſtitiſſe gratiae, & voluntate carnea repudiaſſe dulcedinem ſpiritus, necnon novam voluntatem rectam, quae ex motu gratiae coeperat in eo vigere. Verbo dicam: ità rem totam diſtinctè in ſemetipſo expendit, ut gratiam ſufficientem vindicet, atque ex ſolo hoc poſtremo teſtimonio valida poſſint efformari argumenta adversus Janſenianum commentum. Sic enim loquitur: (b) „ Ubi mihi homo
„ tuus Simplicianus de Victorino iſta
„ narravit, exarſi ad imitandum. Ad hoc
„ enim & ille narraverat. Poſteà
„ quàm verò, & illud addidit, quòd
„ Imperatoris Juliani temporibus lege
„ data prohibiti ſunt Chriſtiani docere
„ litteraturam, & oratoriam: quam
„ legem ille amplexus, loquacem Scho-
„ lam

(a) *S. Auguſtin.* in Confeſſionibus lib. VI. *Capit. XI.*

(b) *S. Auguſtinus* Lib. VIII. Confeſſionum *Capit. V.*

Digitized by Google

„ lam deſerere maluit, quàm verbum
„ tuum, quo linguas infantium facis
„ diſertas, non mihi fortior, quàm
„ foelicior viſus eſt, quia invenit occa-
„ ſionem vacandi tibi. Cui rei EGO
„ SUSPIRABAM ligatus, non ferro
„ alieno, ſed mea ferrea voluntate.
„ Velle meum tenebat inimicus, & in-
„ de mihi catenam fecerat, & conſtrin-
„ xerat me. Quippe ex voluntate per-
„ verſa facta eſt libido. Et dum ſer-
„ vitur libidini, facta eſt conſuetudo.
„ Et dum conſuetudini non reſiſtitur,
„ facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi an-
„ ſulis ſibimet innexis, unde catenam
„ appellavi, tenebat me obſtrictum
„ dura ſervitus. Voluntas autem nova,
„ quae mihi eſſe coeperat, ut te gratis
„ colerem, fruique te vellem, Deus
„ ſola certa jucunditas, non dum erat
„ idonea ad ſuperandam priorem vetu-
„ ſtate roboratam. Ità duae voluntates
„ meae, una vetus, alia nova; illa
„ carnalis, illa ſpiritalis, confligebant
„ inter ſe, atque diſſipando diſſipabant
„ animam meam..... Ità ſarcina ſe-
„ culi, velut ſomno affolet, dulciter
„ premebar; & cogitationes, quibus
„ meditabar in te, ſimiles erant conati-
„ bus expergiſci volentium, qui tamen
„ ſuperati ſoporis altitudine remergun-
„ tur. Et ſicut nemo eſt, qui dormire
„ ſemper velit, omniumque ſano judi-
„ cio vigilare praeſtat: differt tamen
„ plerumque homo ſomnum excutere,
„ cùm gravis torpor in membris eſt,
„ eumque jam diſplicentem carpit li-
„ bentiùs, quamvis ſurgendi tempus ad-
„ venerit. Ità certum habebam eſſe
„ melius tuae charitati me dedere,
„ quàm meae cupiditati cedere. Sed il-
„ lud placebat, & vincebat; hoc libe-
„ bat, & vinciebat. Non enim erat,
„ quod tibi reſponderem dicenti mihi:
„ *Surge qui dormis, & exurge à mortuis,*
„ *& illuminabit te Chriſtus*: Et undique
„ oſtendenti vera te dicere, non erat
„ omninò, quod reſponderem veritate
„ convictus, niſi tantùm verba lenta,
„ & ſomnolenta: Modò; ecce modò:
„ ſine paululùm. Sed modò, & modò
„ non habebant modum: &, ſine pau-
„ lulùm, in longum ibat. Fruſtrà con-
„ delectabar legi tuae ſecundùm inte-
„ riorem hominem, cùm lex alia in
„ membris meis repugnaret legi mentis
„ meae, & captivum me duceret in
„ legem peccati, quae in membris meis
„ erat. LEX enim PECCATI eſt vio-
„ lentia conſuetudinis, qua trahitur,
„ & tenetur etiam invitus animus, eo
„ merito, quo in eam volens illabitur.„

Ex quibus M. Patris monumentis evidentiſſimè conſtat gratiam ſufficientem, eamque interiorem, omninò admittendam eſſe, & in eo quippe met ſenſu, quo Thomiſtae eam vindicant, & Janſenius impugnat.

Quòd verò hic fuerit Auguſtini ſenſus, ulteriùs confirmatur ex ejus diſcipulis; & quamvis plures poſſem hìc laudare, tres dumtaxat in medium producam, ut veritas firmetur, & falſitas omnis excludatur. Proſperum, nimirùm, Fulgentium, & Aquinatem contrà Janſenianos laudabo. Sic enim S. Proſper loquitur adversùs eos, qui dicebant hominem juſtum reſervari à Deo, ut ruat. (a) *Non ità-*

(a) *S. Proſper* in reſponſ. ad III. objectionem Gallorum.

Digitized by Google

itàque rectè opinatur, qui putat prorogatorem vitae, lapsuris esse auctorem peccati, cùm utique non peccatum sit diù vivere, sed malè agere. Non enim relicti sunt à Deo, ut relinquerent Deum; sed reliquerunt, & relicti sunt, & ex bono in malum propria voluntate mutati sunt. S.Fulgentius itidem pariformiter loquitur. (a) *Idcò ipse medicus semper se posse converso salutem donare testatur, dicens: cùm conversùs fueris, & ingemueris, salvus eris;* Et infrà (b) totus est in adstruenda gratia Domini vocantis, omnibus parata, ex parabola de Operariis in vinea Domini Matth. XX. hinc adstruit. *In quacumque igitur quis aetate vocatus, si benignitatem vocantis non spernat, necesse est denarium vitae perennis accipiat.* Quid verò dicam de S.Thoma? Quia non cessant adversarii ad ejus scripta adpellare frequenter, ut vel ex ejus probata doctrina videantur omnem novitatem evitasse, operosiùs insistendum est in ejus monumentis laudandis; ut ex eis confirmetur catholica avita solida vera doctrina.

In primis Angelicus Doctor ità gratiam sufficientem, cui resistitur, manifestat. (c) „Dicendum, quòd quantùm „ est ex spiritu Dei, homo non facit „ peccatum, sed magis à peccato retrahitur: potest tamen peccatum facere „ ex defectu voluntatis humanae, quae „ Spiritui Sancto resistit secundùm illud „ Actorum VII. *Vos autem semper Spiritui Sancto resistitis*.„ Quod etiam alibi repetit (d) dicens:„Cùm enim aliquis „ aliquid boni ex fervore Spiritus Sancti vult facere: vel etiam cùm aliquis „ bonus motus surgit, & ipse impedit, „ extinguit Spiritum Sanctum. Actorum VII. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis*.„ II. adsignans discrimen inter gratiam efficacem, & sufficientem, ità hanc ab illa distinguit, quòd posterior dat posse ad actum completum, quem actum prior sola producit. En ejus verba. (e) „Hujusmodi auxilium „ duplex fuit. Unum quidem ipsa facultas exequendi, aliud ipsa operatio, „ sive actualitas. Facultatem autem „ dat Deus infundendo virtutem, & „ gratiam, per quas efficitur homo potens, & aptus ad operandum, sed „ ipsam operationem confert in quantùm operatur in nobis interiùs movendo, & instigando ad bonum. Et „ ideò hoc accipiens Apostolus à Deo, „ dicit quantùm ad primum. Dico quòd „ *factus sum minister*, sed certè non meis „ meritis, nec virtute propria: sed *secundùm donum gratiae Dei, quae data „ est mihi*: quia scilicet idoneus efficior „ ad executionem divinorum ministeriorum, qui fui primus persecutor. „ I. Cor. XV. *Plus omnibus laboravi, non „ ego, sed gratia Dei mecum*. Quantùm „ ad secundum dicit: *Secundùm operationem, quam Deus efficit*, in quantùm „ virtus ejus operatur in nobis velle, „ & perficere prò bona voluntate„. Cetera autem S.Thomae monumenta infrà dabimus in solutione argumentorum adversae partis.

Ex his autem omnibus posteriores duae

(a) *S.Fulgentius* Epistola ad Venantiam C.V.
(b) *Idem ibidem Cap.X.*
(c) *S.Thom.* Lect. I. in Cap. I. Epist. I. ad Corinthios.
(d) *S.Thomas* Lect.II. in Epist.I. ad Thessalonicenses *Cap V.*
(e) *Idem* Lect.II. in C.III. Epist. ad Ephesios.

Digitized by Google

quae partes nostrae adsertionis evidenter probantur contrà Jansenianì commenti defensores. Et primò quoad priorem partem. Gratia sufficiens Thomistìcè talis donum Dei est per Jesum Christum nobis collatum ad animae salutem, cùm per eam (ultrà actualem, quam producit, piam motionem, &c.) voluntas reddatur plenè, ultimatè, proximè, & expeditè potens exire in actum salutarem. Revera igitur est gratia medicinalis Christi Servatoris, cùm per ipsam sanetur, roboretur, & perficiatur voluntas, ut ultimatè progrediatur in actum. Quòd verò haec non exeat, quisnam gratiae defectus, cùm totum impedimentum ex rebellione voluntatis proveniat? ejus vitio, non defectui gratiae, vertendum est: ideòque M. P. Augustinus redarguens ingratum, & rebellem hominem, eumque exhortans ne in vacuum gratiam Dei recipiat, gratiae, estò sufficientis, nobilitatem, & adjutorium suspiciendum exaltat, omni Jansenianis effugio praepedito; causa nimirùm infructuosae operationis in rebellem voluntatem relata, & dilucido exemplo clarificata. (a) *Benè compluitur terra, frumenta non spinas generet: frumentis horreum paratur, ignis spinis. Nostis quid facias de agro tuo, & nescit Deus quid faciat de servo suo? Quod pluit in agrum spinosum dulce est. Numquid pluviam accusat, qui spinas genuerit? Nonne erit pluvia illa testis in judicio Dei, & dicet. Ego dulcis super omnes veni? Tu ergò quid proferas vide, ut quid tibi parctur adtendas. Profers frumentum, horreum: profers spinas, ignem spera.* Hoc etiam infrà in dissolutione sophismatum adversae partis magis magisque expendetur.

Postremò tertiam adserti nostri partem cùm luculentissimè probent, & roborent omnia monumenta, & momenta suprà laudata adversùs vitilitigatores adstruentes Christum non esse mortuum prò reprobis, facillimè, estò breviter, ex aliis, quas proferam, rationibus expendo, & comprobo. Et primùm de interiori gratia habendo verbum, deinde de gratia legis, & praedicationis. Quomodo enim dici potest gratiam interiorem praejudicium inferre animae, itàut fas sit homini dicere: *A gratia sufficienti libera nos Domine*, quando ultrà pias illas motiones, devota suspiria, bonas voluntates, coelestes illustrationes, &c. quae actu producit gratia sufficiens, hominem ex parte frenat, nè ità ruptis habenis currat perditionis viam? quando & jam pridem lapso, sed ad poenitentiam posteà converso, laudata excitamenta per rebellionem voluntatis repulsa incitamentum praestant ad majorem confusionem animi, compunctionem cordis, & profectum ad virtutem? Quinimò etiam gratia in sui sola conditione spectata, quum sit donum Dei, & ex se apta constituere hominem ultimatè, & perfectè potentem operari, ab ea velle liberari tanquam à noxio, pravum est desiderium, & desperati hominis consilium. Numquid ne quia Sol micat in Coelo, & totum illuminat orbem, obserans ex voluntate oculos potest detrectare radiis, & virtuti maximi luminaris? Sibi adscribat crimen, si eo splendente in tenebris mansit, qui lumina clausit. *Licèt homo*, inquit

S

(a) *S. P. Augustin.* Enarratione in Psalm. LXIII.

Digitized by Google

quit Angelicus, (a) *per motum liberi arbitrii nec gratiam promereri possit, nec ad Deum converti, potest tamen se ipsum impedire ne eam recipiat, ut ostenditur Job XXI. & XXIV. Ideò non immeritò imputatur ad culpam ei, qui impedimentum praestat gratiae receptioni, quia Deus, quantum est in se, paratus est omnibus gratiam dare, ut patet. I. Timot. II. Illi autem soli privantur gratia, qui in se ipsis gratiae impedimentum praestant. Declaratur exemplo claudentis oculos Sole mundum illuminante.*

Postrema tandem pars Jansenianì hujusce proscripti commenti, quam primiùs in Praedestinatianis (b), deinde in Calvino (c), & tandem iterùm iterùmque in Quesnellianis thesibus Ecclesia damnavit (d), vel ex eo falsissima evincitur, quia gratia exterior ab adversariis adseritur causa obdurationis in iis, quos coelestis gratia interiùs efficaciter non movet. Quandoquidem obdurationis causa in id genus hominibus solùm provenit ex superbia, & malitia irreverentis, infrunìi, & rebellis animi, vel jugum Domini excutientis, vel salutaria monita recusantis, vel ex scientiae aura elati. Ex adverso autem exterior gratia, lex, nimirùm, correctio, instructio, & id genus cetera causa per se sunt boni effectus, nimirùm honesti intrà limites naturales. Igitur momentum damnatì sphalmatis, totum quantum est, commentitium est, falsum, quisquiliarium. Omnium quippe Sapientum, etsi Ethnicorum, unanimis est sensus id genus exteriora, aut incitamenta ad bonum, aut à malo retardativa causas morales esse boni operis: quandoquidem exhortationibus promovetur homo ad capessendam virtutis semitam, instructione excitatur ad rectè operandum, & indictione poenae retrahitur à malo, vel saltem timore, qui virtutis amore non erat detentus, juxtà illud Poëtae

Oderunt peccare mali formidine poenae.

necnonper correctionem ad verecundiam promotus saltem erubescit confundi, aut scandala devitaturus praeceps ultrà non ruit in crimina, qui nullo detentus freno omne luxuriae pratum pertransibat, omnemque sceleris viam terebat. Et ut rem altiùs rimemur, & à prima rectitudinis norma regulam percipiamus. Quisnam, vel scelestus, audebit unquam carpere Deum, quòd vel praecipiat cunctis agenda ad salutem, vel errantes corripiat

(a) *S. Thomas* Lib. III. contrà Gentes *cap.* 149.

(b) *Praedestinatiani effutiebant, quòd Deus rationalem creaturam* mirabili prorsùs, & inscrutabili sapientia gubernat, & ministrat: per vias occultissimas, & saepè prò nostra tenuitate contrarias, alias ducens mirabiliter ad aeternam felicitatem, alias verò ad barathrum sempiternum. *Vide quae suprà de Praedestinatianis diximus.*

(c) *Calvinus* lib. III. Institutionum *Cap.* 24: *n.* 12. *inquit*. Quos ergò in vitae contumeliam (*aliàs* vasa contumeliae) & mortis exitum creavit, ut irae suae organa forent, & severitatis exempla, eos, ut in finem suum perveniant, nunc audiendi verbi sui facultate privat: nunc ejus praedicatione magis excoecat, & obstupefacit. *Et Cap.* 24. *num.* 13. Ecce vocem, *Deus*, ad eos dirigit, & ut magis obdurescant, lumen accendit, sed ut reddantur coeciores, doctrinam praefert, sed qua magis obstupescant; remedium adhibet, sed ne sanentur.

(d) *Propos. V. Quesnel.* Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiae suae, exhortationes, & gratiae exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum. *Propos. XLI.* Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest evenire nisi à Deo, & sine gratia non producit, nisi vanitatem, praesumtionem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.

Digitized by Google

ripiat increpet objurget, qui tamen non omnibus dat gratiam efficacem, qua salutare bonum capessant, & peccata devitent? Insulsè igitur, & nimiùm impudenter obloquuntur; qui vel exteriorem gratiam impugnantes, orandum dicunt blasphema illa formula: *à gratia sufficiente libera nos Domine*. Ut autem impleantur pudore, & confusione Patroni damnatae thesis, qui etiam ad S. P. Augustini asylum non sine fraude confugere consueverunt, eos ex M. P. ventilandos fore censeo, adversùs eos ejusdem Aquilini Doctoris argumento directo. Qua enim ex caussa M. P. aureum illum *de Correptione, & gratia* librum edidit? Dubio procul, ut Novatorum praecursores confunderet; & in eis discipulos falsitatis (a). Quum enim inter Adrumetinos Monachos quidam craffae minervae ad vindicianda gratiae suapte natura efficacis, & ad salutaria opera omninò necessariae correptionem eliminasset, solùmque orandum esse prò peccatoribus adseruisset, eo ductus momento, quia, nimiùm, cùm sine gratia adimpleri praecepta, & peccata vitari non possint, inutiliter, & injustè corripiebantur peccatores, qui idcircò peccaverant, quia gratiam efficacem non obtinuerant. Magnus Pater utrumque commentum, & falsitatis capita detestans, robustè simul, & eruditè ostendit utiliter fore corripiendos peccatores, eisque non sine eorum profectu fore crimina objicienda, & exprobranda, ut saltem, vel rubore suffusi, vel terrore deterriti cessarent à malo; excitatique per eam ad Deum tandem confugerent, ut ejus auxilio salubriter agerent (b). Justè itidem eos esse corripiendos subjunxit: quia vel non dum regenerati erant: & ii, quia declinaverant à rectitudine illa, in qua Deus hominem condidit, digni erant correctione. Vel renati: & quia acceptam Dei gratiam ex propria culpa, peccando, amiserant poenam promerebantur (c). Quapropter concordiam correptionis, & gratiae ità firmat Aquilinus Doctor, ut praecursores sceleris arguat, & renovatores erroris plenè confundat.

Angelicus itidem, utpotè fidissimus M. P. discipulus idipsum inculcat, & totus est in evertendo sophismate adversa-

S 2

(a) *S. Augustinus* Lib. II. Retractationum *Cap. ultimo. Hunc librum* de Corrept. & gratia *Cl Card. Norisius in* Histor. Pelagiana *adpellat* clavem, qua ad universam Augustini de Divina gratia, & libero arbitrio doctrinam aditus aperitur.

(b) *S. Augustin.* lib. de Correptione, & Gratia *Cap. V.* Quicumque Dei praecepta jam tibi nota non facis, & corripi non vis, etiam propterea corripiendus es, quia corripi non vis. Non vis enim tibi tua vitia demonstrari: non vis, ut feriantur, fiatque tibi utilis dolor, quo Medicum quaeras: Non vis tibi tu ipse ostendi, ut cùm deformem te vides, Reformatorem desideres, eique supplices, ne in illa remaneas foeditate. Tuum quippe vitium est, quòd malus es, & majus vitium corripi nolle, quia malus es: quasi laudanda, vel indifferenter habenda sint vitia, ut neque laudentur, neque vituperentur; aut verò nihil agat timor correpti hominis, vel pudor, vel dolor; aut aliud agat cùm salubriter stimulat, nisi ut rogetur bonus, & ex malis, qui corripiuntur, bonos faciat, qui laudentur. Quod enim vult prò se fieri, qui corripi non vult, & dicit, Ora potiùs prò me; ideò corripiendus est, ut faciat etiam ipse prò se. Dolor quippe ille, quo sibi displicet, quando sentit correptionis aculeum, excitat eum in majoris orationis affectum; ut Deo miserante, incremento charitatis adjutus desinat agere pudenda, & dolenda, & agat laudanda, atque gratanda. Haec est correptionis utilitas, quae nunc major nunc minor prò peccatorum diversitate salubriter adhibetur, & tunc est salubris, quando supernus medicus respicit.

(c) *Idem ibidem num. 9. in fine.*

Digitized by Google

versariorum, dum per correctionem, seu exteriorem gratiam hominem haud in malo obdurari, sed à malo averti probat. Id quidem peragit Angelicus ostendendo verecundiam, quae sequitur correctionem, perutilem esse delinquentibus; quod probat I. ex eo, quòd etsi verecundia virtus non sit, communi tamen voce dicitur virtus, quia *est laudabilis passio*, juxtà communem hominum sensum, qui *omne laudabile in actibus, vel passionibus humanis* virtutem adpellant (a). II. quia *fovet honestatem renovando ea, quae sunt honestati contraria, non ità quòd pertingat ad perfectam rationem honestatis* (b). III. ex eo, quod docet S. Ambrosius *lib. I. de Officiis cap. 43.* „ Verecundia jacit prima temperantiae „ fundamenta „ *in quantùm scilicet incutit horrorem turpitudinis* (c). Docet insuper, quòd lex de sui ratione sit regula humanorum actuum (d); & quòd *etiam puniendo perducit ad hoc, quòd homines sint boni* (e). Et id genus ceteras exteriores gratias saepe commendat: quapropter falsissimum esse demonstrat, quod garriunt oppositores, nimirùm, eas ad hoc solùm deservire, ut cor hominis magis obduretur in malo.

Verùm ad majorem veritatis elucidationem adnotandum est, quòd longè inter se distant hae propositiones. I. sine interiori unctione in vanum ad salutem cedit exterior gratia. II. Gratia exterior absque interiore noxia est, & pernicioſa homini, cui datur. Prima catholica est, & ab omnibus Patribus tradita, Divino eloquio firmata, praecipuè illo Psalmi CXXVI. *Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui aedificant eam*. Sed satis esse solam interiorem gratiam sufficientem ad posse implere, quae exteriùs praedicantur, &c. constat ex saepiùs dictis adversùs Jansenium (f); ex eisque Quesnelliana commenta benè ventilari compertum est cunctis. At posterior thesis haeretica omninò est, & aliena à fide: quam proinde Patres omnes stigmatizarunt, adserentes idcircò vitio, rebellioni, & iniquitati hominum esse vertendum, dum obstinatiores ex correptione, doctrina, & praedicatione redduntur; nullatenus verò exteriori gratiae fore imputandam coecitatem, & duritiam eorum. Quare S. Fulgentius de utraque cognitione loquens, nimirùm, quae ex adjutorio gratiae provenit, & quae aliunde quomodocumque habetur, utriusque discrimen adsignat, & causſam malitiae in obdurati cordis iniquitatem refundit. *Per illam*, inquit, (g) *cogitationem cor coecum A' SEMETIPSO inflatur ad mortem; per hanc autem divinitùs illuminatur, & humiliatur ad vitam. Illa cogitatione cor obscuratur insipiens, DUM, QUOD DEI EST, HOMO SIBI SUPERBUS ASSIGNAT: Hac autem accipit lumen, ut hoc ipsum, quòd Deum cognoscit, ac diligit, non ex possibilitate naturae, nec ex auditu legis, neque ex sua voluntate, sed ex Dei dono sibi inesse non ambigat; semperque humilis esse meminerit, ne superbus amittat, quod indignus accepit. Cognitio illa*

(a) *S. Thom* 2. 2. *Qu. CXL. Art. I.* in corpore.
(b) *Idem ibidem* ad 3. argumentum.
(c) *Idem ibid. Art. IV. ad* 4.
(d) *Idem* 2. 2. *Qu.* XC. *Art.* 3. in corpore.
(e) *Idem ibid. Qu. XCII. Art. II. ad* 4.
(f) *Vide etiam S. Thomam* 1. 2. *q.* 109. *art.* 8. *ad* 2.
(g) *S. Fulgentius* Lib. de veritate praedestinationis, & gratiae *Cap. ultimo*.

Digitized by Google

illa peccato adjicit praevaricationis reatum, ista removet à peccatore supplicium. Illa juste damnat, ista gratis justificat. Illic SCIENTIA INFLANS nutrit, augetque peccatum, hìc charitas aedificans operit multitudinem peccatorum. Et haec satis ad damnatae thesis confutationem, cùm nimiùm me fuisse progressum conspiciam, qui tamen breviùs rem pertractare statueram: hinc ne aliquis in me cudat illud Horatii (a)

Amphora coepit
Institui, currente rota cur urceus exit?

colligo probationum vela, & confestim objectiones adversariorum, actutùm, sed non oscitanter dissolvendas, adpono.

Objiciunt Jansenìani, & multifariàm convellere nituntur catholicam veritatem hucusque probatam. I. enim dicunt: S. Augustinus non semel, sed pluries adserit gratiam Mediatoris eam esse cui nulla humana resistit voluntas (b), quandoquidem gratia Salvatoris ea est, quae sanat, elevat, & reddit actu resistentem cupiditatibus carnis (c), faciens de nolente volentem (d). Et idcircò dicitur sufficiens, quia praestat vires opportunas, & posse relativum ad oppositas concupiscentias sensus (e), nimirùm *insuperabilem fortitudinem* (f). Hoc autem non praestat gratia *Thomisticè* sufficiens, utpotè, quae solùm dat posse, quod nullimodè reducibile est ad actum: eo quia importat nudum, & merum aequilibrium cum concupiscentiis, quo posito semper ut cedat necesse est deficiente superiore delectatione victrice (g), Igitur gratia Thomisticè sufficiens non est gra-

(a) *Horatius* de arte Poëtica.

(b) *S. P. Augustinus* lib. I. Operis imperfecti c.39. Absit ut impediatur ab homine Omnipotentis Dei omnia praescientis intentio. Parùm de re tanta cogitant, vel ei excogitandae non sufficiunt, qui putant, Deum omnipotentem aliquid velle, & homine infirmo impediente, non posse. *Et* Lib.de Gratia, & libero arbitrio *C.20.* Hominum voluntates ità sunt in Dei potestate, ut eas quò voluerit, quando voluerit, faciat inclinare. *Et* Lib.de Praedestinatione Sanctorum *Capit.VIII.* Haec itàque gratia, quae occultè humanis cordibus Divina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideò quippè tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur. *Tandem* Lib.de Gratia Christi *Cap.14.* Quando Deus docet non per legis litteram, sed per spiritus gratiam, ità docet, ut quod quisque didicerit, non tantùm cognoscendo videat, sed etiam videndo appetat, volendoque perficiat ... Omnis, qui didicit à Patre, non solùm potest venire, sed etiam venit: ubi iam, & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est. *Id etiam saepiùs alibi.*

(c) *S. Augustinus praesertim* Lib. de Correptione, & gratia *Cap.XIV*, Deo volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium: sic enim velle, & nolle in volentis, & nolentis est potestate, ut Divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem ... Non est itàque dubitandum voluntati Dei humanas voluntates non posse resistere, quominùs faciat ipse, quod vult: quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult, facit ... sine dubio habet humanorum cordium, quò placet, inclinandorum omnipotentissimam potestatem. *Et in* Enchiridio ad Laurentium *cap.98.* Quis tàm impiè desipiat, ut dicat malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse converterè?

(d) *Idem S. P.* Lib.de Gratia, & liber.arbitr. *nuper laudato*, *Et* Epist. *olim* CVII. *nunc* CXXVII. ad Vitalem *data*. Voluntates hominum omnipotentissima facilitate convertit, ac volentes ex nolentibus facit.

(e) *S. Augustinus* lib. de Corrept. & Gratia *Cap.8.* Voluntas humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia libertatem, & ut perseveret, delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem.

(f) *Idem ibidem, & Cap. XII.* Subventum est infirmitati voluntatis humanae, ut Divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur.

(g) *Jansenius lib.4.* de Gratia Christi *Cap.9 ait.* Conflictus ille delectationum sopiri non potest, nisi altera delectando superaverit, & eò totum pondus vergat. Quod enim amplius delectat, secundùm id operemur necesse est. Sed utrumlibet fiat, non erit sufficiens gratia, sed vel efficax, vel ità inefficax, ex qua operatio nequidem possit sequi, nisi ejus efficacia per aliam supplestur, in medio remanebitur.

Digitized by Google

gratia, quae homini profit.

II. S. Augustinus passim docet orandum esse, ut possimus adimplere mandata (a). Signum ergò evidens est, quòd gratia *Thomisticè* sufficiens nec ipsum esse proximum, & *relativum* ad tentationes praestet: alioquin quomodo orandum foret, ut nobis hoc posse donetur, cùm ex eodem M. P. non sit orandum pro eo, quod in nostra potestate est (b)? Si autem hoc posse non praestat, quomodo haec gratia nobis favorabilis erit?

III. Eam gratiam possumus optare, qua meliores reddimur, qua peccata vitamus, qua adjuti in tentationem non cadimus. Gratia verò sufficiens quando nam hoc praestat, quum ea decoratus homo cadat, peccata non vitet, & in tentationes labatur? Potius, & citrà dubium, ex ea reddimur pejores, quando cum illa homo cadens culpae reus est, habens posse ex gratia sufficiente, & ideò reus, quia hac gratia decoratus: qui tamen si foret ea destitutus, criminis expers foret; quia potentia quam gratia praestat expoliatus, juxtà celebre axioma: *nemo peccat in eo, quod vitare non potest* (c). Igitur in praesenti statu naturae lapsae non quidem utilis, sed certè pernicioſa nobis erit gratia sufficiens; adeòque rationabiliter quis poterit ad Deum dirigere preces, & rogare: *A gratia sufficienti libera nos Domine*. Et quidem potissimùm gratiam exteriorem ex eo poterit justè detestari, quia nullum interius auxilium praestat: Haec sunt praecipua profligatae hydrae capita, quibus exciſis, alia, quae renascuntur, ejusdem sunt conditionis; ideòque eodem gladio, quo ista, poterunt liberrimè amputari.

Respondeo igitur in prima objectione plura simul ità involvi, ut vel ex involucro generetur confusio, & ex confusione pertendatur deceptio. Quapropter in primis adstruendum est falsum omninò esse, & commentitium, quòd omnis, & sola gratia medicinalis, seu gratia Salvatoris, quae hominibus post Adae lapsum confertur, sit sanativa; cùm dumtaxat haec sit gratia habitualis, seu sanctificans: si tamen nomine sanationis id usurpetur, quod idem est ac infirmum, & salute destitutum in sanitatis statu collocare. Verùm si nomine gratiae sanativae usurpetur quodcumque remedium salutare per se intentum ad sanitatem causandam, sive primitùs introducendam, sed per praeviam dispositionem; sive plenè primitùs absolutè conferendam per gratiam sanctificantem; sive etiam ad manutenendam salutem per opportuna remedia praeservativa, sive pariter ad confirmandam salutem spiritualem per gratiae augumentum; sive tandem ad perseverandum finaliter in ea per peculiare beneficium, ultrò libenterque concedimus Jansenio, & affeclis ejus gratiam Christi Salvatoris, sicut medicinalem, ità & sanativam esse;

(a) *S. Augustin.* lib. de praedestinat. SS. *cap.* 8. *ait*: quid oramus prò nolentibus credere, nisi ut Deus illis operetur, & velle?

(b) *S. Augustin* lib. de natura, & gratia, *ait*: Quid stultius, quàm orare, ut facias, quod habes in potestate?

(c) *S. P. Augustinus* lib. I. Retractationum *cap.* 9. *num.* 3. & 4. Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? *Et cap.* 10. *num.* 2. Non credant Pelagiani hoc errorem suum fovere: nemo peccat in eo, quod vitare non potest. *Vide ibid. capp.* 15. & 22. & *lib.* de fide contrà Manichaeos *c.* 10. & *alibi*.

Digitized by Google

esse; quum semper detur homini per peccatum sauciato, infirmato, debilitato, cujus languoribus per Sanguinem Christi subvenitur, dum gratia salutaris donatur: & etiam ad reprimendos exteriores hostes impetum facientes contrà regeneratos auxilium confertur, & praesidium; scutum, & gladius praestatur per gratiam, ut vincat in bello, & triumphum de hoste reportet. At quaenam ex praefato adserto prò Jansenio palma? quaenam, amabo, hinc adversùs gratiam sufficientem valida oppositio? Nulla certè; quinimò ex eodem momento adversùs eum intenditur arcus, & sagitta, scutum, gladius, & bellum.

Et nonne sanativa est gratia ea, qua primùm voluntas praeparatur à Deo? Apertissimè id ejus conditio probat, & nos suprà ostendimus. Per peccatum quidem sauciata voluntas à Deo recedens malo adhaesit, & ad mortem usque infirmata facta est nolens: praeparatur autem ad vitam, ut fiat ex nolente volens; sicut omnes, qui Catholici audiunt, una voce fatentur. Sed gratia haec, qua voluntas praeparatur à Deo, nonne est gratia illa sufficiens, quam nos vindicamus? Proculdubio: siquidem ea, S. P. Augustino teste, (a) *ad hoc valet, sicut scriptum est, si volueris conservabis mandata.* Nonne iterùm duplex famigeratum illud ejusdem M. P. adjutorium, nimirùm *adjutorium sine quo non*, & *adjutorium quo*, admittendum est in statu naturae lapsae, non secus ac in statu naturae integrae? Qui utroque oculo non caligat clarissimè conspicit prò utroque statu, absque ulla ambage, id fuisse ab Aquilino Doctore adsertum, & Adrumetinis Monachis insinuatum traditum explicatum (b). Cùm igitur adjutorium *sine quo non* idem sit, ac gratia versatilis, seu quae in statu naturae corruptae *thomisticè* sufficiens dicitur, ut etiam adstruunt, qui Augustiniani audiunt, etsi à Thomistis recedant, cùm de gratia primi hominis agunt. Citrà omnem dubietatis aleam gratia sufficiens in praesenti statu gratia Salvatoris est, gratia medicinalis, & sanativa. In hoc quippè, & dumtaxat auxilium *sine quo non* status naturae integrae differt ab eo, quod in praesenti statu naturae lapsae confertur, quòd illud erat adjutorium Dei homini innocenti collatum, hoc autem est adjutorium Christi, & medicinale homini lapso, & infirmo concessum. Sed gratia haec, ut est notum ex eodem M. P. dum praeparat voluntatem, ei vires opportunas praestat ad actu volendum, quod priùs nolens respuebat, & consequenter primò sic sanat. Completè quoque sanare incipit ad perfectam salutem disponendo, tribuendo, nimirùm, ultimum completè posse ad resistendum impugnantibus hostibus, tumultuantibus rebellibus passionibus, & ad victoriam consequendam. Igitur gratia sufficiens prò statu praesenti nimiùm utilis est nobis, utpotè gratia Salvatoris, medicinalis, & sanativa quantùm est ex se etiam completè, si voluntas mora excitata inflammata velit, & consentiat coelesti medico actu completè posse ad perfectam salutem dari;

cui

(a) *S. Augustinus* lib. de Gratia, & libero arbitrio *cap.* 15.

(b) *Idem S. P.* libro de Correptione, & gratia *pluries*.

Digitized by Google

cui tamen si non consentit, sibi culpam imputet, quia poterat, & noluit. Audiatur gratiae Coriphaeus, qui de coelesti medicinali mensa Divini Agni omnibus Adae filiis ad salutem parata, ad eamque vocatis fidelibus loquens, ait: (a) *Ad illam enim Coenam, quam Dominus dicit in Evangelio praeparatam, nec omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt; neque illi, qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itàque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt: nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantùm sibi, quoniam, ut venirent, vocati erant in libera voluntate.* Hac igitur veritate firmata adversùs vitilitigatores.

Respondeo II. perperàm ab adversariis laudari S. P. monumenta, quibus gratia Salvatoris adseritur robusta, & valida, cui nulla humana resistit voluntas, &c. In laudatis quippè monumentis S. D. solummodo gratiam efficacem, & *adjutorium quo* commendat, ex quo, nempe, velut ex limpido fonte omnis puritas actu promanat: nimirùm, actualis illa motio, qua anima plenè Deo subjecta illius mandata servat, difficultates superat, hostes vincit, cupiditates sensus reprimit; nonnisi, quod rectum, quod sanctum est, tenet, & lubens, ac gaudens currit post dilectum trahentem in odorem unguentorum suorum. Id certissimè Augustinus insinuat, docet, tradit; nec ullus, qui vel modicùm eruditus audit, inficiatus est unquam. At quid inde? fortasse ea sola est gratia Christi, quia ea solùm est charitas magna, charitas robusta? Apage commentum directè Augustino adversum. Charitatem parvam etiam S. P. admisit, & nos suprà ex ejus monumentis ostendimus. Quapropter estò myriades testimoniorum S. Patris in medium proferantur, quibus gratia victrix, seu efficax adstruatur, ex eis vel Thomistica doctrina de gratia suapte natura, & ab intrinseco efficaci firmabitur, vel quòd eadem gratia, juxtà diversos gradus producet etiam in anima incrementa quaedam coelestis dulcedinis, quibus voluptuosè, & sensibiliter adhuc vincet, & triumphabit de hoste carnales, voluptates spernens, qui ea gratia potitur, ut ex Theologorum Romanae communionis suprà indigitatorum opinione constat. Utrumque procul dubio, quod sequitur, & sponte profluit, velut ex limpido fonte purissima lympha, extensis ulnis amplector: Etsi adstruam hanc suavem, aut concomitantem, aut praecedentem voluptatem, & dulcedinem non esse de essentia gratiae efficacis: quandoquidem eadem robusta quidem charitate accensus, sed vim patiens, exclamabat Apostolus, dum adhuc de hoste triumphabat. Ad Romanos VII. *Condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, & captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio legi Dei: carne autem legi peccati.* Et iterùm: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae, angelus sa-*

(a) *S. P. Augustinus* Lib. LXXXIII. Quaestionum *Qu.* 68.

Digitized by Google

Satanae, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet à me; & dixit mihi: sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. II. Ad Corinth. XII. Suavitatem verò in eo sitam ex M. P. adstruo in gratia victrice, & auxilio efficaci, cùm per istud subdita voluntas Dei praecepto sine necessitate, absque vi, liberè trahenti consentit, & compellenti Deo, rebellis ipsa pridem, ultrò tamen, & cedens liberè obedit. Nec aliud certè Augustinus insinuat, ut ex ejus operibus constat, dum ea benè librantur. Quòd si verò suavitas ulterior, & coelestis beatitudinis participatio in gaudio redundet, ut praesertim dicitur de Apostolis, qui *ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt prò nomine Jesu contumeliam pati.* Actor. V. & de aliquibus Martyribus, qui in ipso agone veluti in deliciis positi exultabant ovantes, speciali gratiae Spiritus Sancti est tribuendum. Quidquid autem sit de hoc: parùm ad rem facit, & sufficit haec adnotasse, veluti digito indicando, ad Novatorum forsan latentes technas manifestandas, secùs verò ad carpendos, etsi obiter, Theologos Romanae communionis suprà laudatos, quibus morem gero, licèt eorum sententiae haud subscribam. Verùm quòd Augustinus gratiam sufficientem inficietur, aut eam adserat non esse medicinalem, & Christi Servatoris, quomodo possunt adversarii, vel inde probare, quòd S. Pater prò gratia efficaci, ejusque vi, nobilique effectu decertat? Etsi trochleas mille, milleque funes, totidemque robustos adhibeant gigantes trahentes, impetumque facientes: quamvis insuper quamplura bovum juga adplicent ad extendenda per remoras, replicatasque inlationes monumenta Magni Patris, incassùm cedet studium, stulto consumentur labore. Et nonne (ut decies centena millia monumentorum ejus omittam) luculentissimè S. Pater hanc gratiam sufficientem, ut distinctam ab efficaci, & ut veram gratiam medicinalem, quia gratiam Salvatoris, adseruit, dum contrà Pelagium scripsit? Tria hic distinguebat in homine, dum de laudata gratia verbum habebat. *Quantùm adtinet ad istam de Divina gratia, & adjutorio quaestionem, tria illa, quae apertissimè distinxit* (Pelagius) *adtendite: posse, velle, esse; idest possibilitatem, voluntatem, actionem*, inquit laudatus Augustinus (a). Sed quid ad haec M. Pater? Fortasse inficiatus est, procul abiit, aut alio quocumque modo ab ea distinctione recessit? Neutiquam. Solummodò iis tribus distinctè admissis in Catholico sensu expendenda forè adfirmavit. *Si ergò*, ait, *consenserit nobis non solam possibilitatem in homine, etiam si nec velit, nec agat benè, sed ipsam quoque voluntatem, & actionem: idest ut benè velimus, & benè agamus, quae non sunt in homine, nisi quando benè vult, & benè agit: si, ut dixi, consenserit, etiam ipsam voluntatem, & actionem divinitùs adjuvari, & sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nil benè velimus, & agamus, eamque esse gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, in qua nos sua, non nostra justitia justos facit, ut ea sit vera nostra justitia, quae nobis ab illo est; nihil de adjutorio gratiae Dei, quantùm arbitror, inter*

(a) *S. Augustinus* lib. de Gratia Christi *Cap. XLVII.*

Digitized by Google

nos controversiae relinquetur. Igitur Thomisticum Systema de gratia Christi, nec per volam, nec per hilum à S.Patris doctrina recedit; & insipienter nimis loquitur Jansenius, dum illud traducit. Gratia enim, etsi sufficiens, medicinalis est, sanativa est: quia dat ultimum, completè posse in ordine supernaturali ad operandum homini debilitato, & fauciato per Adae peccatum: qui utique homo absque tali adjutorio, nec ullimodè id posset, quod ex adjutorio gratiae potest. Quòd si deinde ex caussa propriae resistentiae justè destituatur ulteriori adjutorio *quo*, eo, nimirùm, quo reapse vinceret cupiditates adversas, & poneret in actu, quod sincerè volebat adjutus auxilio *sine quo non*, vitio hominis est vertendum, & rebellioni ejusdem. Hoc totum ità clarè expendit idem defensor Gratiae, & Theologorum Princeps Augustinus, ut omnis adversariorum ars, omnisque paralogismus penitùs dissolvatur. *Gratia verò Dei*. En ejus verba, luce meridiana clariora, (a) *semper est bona, & per hanc fit, ut sit homo bonae voluntatis, qui priùs fuit voluntatis malae. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quae jam esse coepit, augeatur, & tàm magna fiat, ut possit implere Divina mandata, quae voluerit. Ad hoc enim valet, quod scriptum est, si volueris conservabis mandata, ut homo qui voluerit, & non potuerit, non dum se plenè velle cognoscat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficiat ad implenda mandata. Sic quippè adjuvatur, ut faciat quod jubetur.*

Quando autem M.P. adstruit, quòd gratia faciat agere *indeclinabiliter, & insuperabiliter*, loquitur de illa peculiari gratia, quae est donum speciale, nimirùm, de gratia perseverantiae, ut constat ex eodem textu; quinimò ex verbis immediatè sequentibus relatum monumentum eluceścit. Ait enim S. D. (b) *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut Divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur; & ideò quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. Ità factum est, ut voluntas hominis invalida, & imbecilla, in bono adhuc parvo perseveraret per virtutem Dei, &c.* Quapropter nullimodè adversatur gratiae sufficienti, quam, ut vidimus, invictè propugnat Augustinus.

Verùm ad id, quod Jansenius addit, ut commentitium suum de gratia, systema confirmet, dicimus adinventum ab eo aequilibrium, & falsum omninò esse, & adversum doctrinae Patrum; quinimò injuriosum Divinae providentiae, & fidei omninò contrarium. Adstruit quippè tunc gratiam habere virtutem vincendi cupiditates sensus, quando tanta supervenerit jucunditas coelestis dulcedinis, ut ex ea superetur impetus rebellis cupiditatis: at verò aequali stante pondere utriusque, coelestis, nimirùm, & carnalis delectionis, gratiam sua virtute carere, & suspensam penitùs remanere adfirmat. Sed quis vel in eo commentum non dignoscit, non execratur, dum gratiae detractum observat? Optimè enim docuit Angelicus. (c) *Quòd effectus gratiae est reprimere concupi-*

(a) *Idem* De Gratia, & libero arbitrio *C.XV.*
(b) *S. Augustin.* Lib. de Corrept. & Gratia *Cap.XII. num.*38.
(c) *S.Thomas III.P. Qu.I.XII. art.6. ad* 3.

Digitized by Google

cupiscentiam impellentem ad peccandum : *quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiae, & mereri vitam aeternam.* Et (a) *minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiae, & vitare omne peccatum, quod committitur in transgressione mandatorum legis : minima enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri, & argenti.* Quod vel ex eo probatur evidenter, si causa peccati adtenditur, ex una parte; ex altera appendatur gratiae virtus. Causa enim peccati, ut idem Angelicus docet (b), duplex est : amor, nempe, praesentium temporalium bonorum, & timor praesentium poenarum malè humilians. Utrumque autem hoc incentivum plenè superat quaecumque vel minima gratia Dei, quae infirmum hominem sanat, roborat, illuminat, terret, inflammat, ad nobiliora charismata promovens, & praemonens. Quomodo igitur gratiae illuminanti animam claritate Divina, eamque inflammanti igne coelesti, aut terrore aeternarum poenarum deterremi non cedet quaelibet terrena cupiditas, quilibet panicus timor, quodlibet vile momentum? *Non patitur aequitatis ratio*, ad rem nostram sapienter ajebat Clarae-Vallensis Abbas (c), *ut ex aequo contendant; sed vincat, necesse est, spiritus carnem, & sit efficacior causa, cujus potior est natura.* Augustinus itidem expresè testatur consensum legi per gratiam praestitum esse condelectationem illam legi Dei, de qua Apostolus loquebatur; eamque majorem superioremque sua natura esse cuilibet rebellioni sensus, titillationi carnis, & terrenae cuicumque cupiditati dicebat (d). Nulla est igitur larvata illa comparatio cupiditatis sensualis ad gratiam Dei, unde Jansenius aequilibrium constituere pertentat.

Similiter dum Jansenius in suo quisquiliario aequilibrio ejusdem ponderis, ejusdemque virtutis adstruit, & concupiscentias carnis ex peccato primaevo surgentes, vel ab hoste antiquo suscitatas: ac delectationem spiritus per gratiam sufficientem productam: nonne in eo aequilibrio constitutus homo nullas habet vires ad resistendum sufficientes, utpotè quae cum concupiscentia sint aequalis virtutis? Nonne idcircò impotens erit ad victoriam, & inhabilis ad triumphum? Procul dubio quidem ex ejusmet principiis; quinimò absolutè, & audacter hoc ipsum Jansenius adfirmat, & blasphemando idipsum adhuc de S. Petro adseveravit (e), dum ait Petrum terrore mortis concussum non habuisse vires sufficientes ad resistendum; adeòque potentia vincendi fuisse penitùs destitutum. At nonne vel ex eo Jansenius apertissimam haeresim docet, & pessumè contrà Dei justitiam, & providentiam comminiscitur? *Quis peccat in eo*, inquit Augusti-

(a) *Idem ibidem Qu. LXX. Art. IV.* in corpore.
(b) *S. Thomas* 1. 2. *Qu. LXXVII. Art. 4. & in Cap. II.* Epistolae ad Hebreaos *Lect. IV.*
(c) *S. Bernardus* Epist. XC. ad Innocentium Papam.
(d) *S. Augustinus*, Semone CLIV. de Verbis Apostoli, *olim V. ex illo* ad Romanos VII.
(e) *Jansenius* lib. IV. de Gratia Christi C. 13. *ex S. Augustino perperam laudato loquens de S. Petro Apostolo ait*; Quibus omnibus locis .... docet ... (*Augustinus*) Petrum ..... propter defectum virium voluntatis praestare non potuisse, quod promiserat: Voluntas enim ejus, hoc est vis volendi divinitùs ei data adhuc parva erat, quam oportebat esse maximam, ne mortis oblatae terrore frangerentur ... Hinc ergò fit iterùm, ut subinde docent Augustinus quarumdam cupiditatum tentationes aliquorum hominum vires superare, itàut eas superare non possint.

Digitized by Google

nus, (a) *quod nullo modo caveri poteſt? Quis enim*, iterùm ait Aquilinus Doctor, (b) *non clamet, ſtultum eſſe praecepta dari ei, cui liberum non eſt, quod praecipitur, facere, & iniquum eſſe condemnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere?* quod & pluries repetit (c); praecipuè dum ait pertinere ad Divinam juſtitiam impoſſibilia praecipere non poſſe. (d) *Firmiſſimè creditur Deum juſtum, & bonum impoſſibilia non potuiſſe praecipere.* Quomodo inſuper citrà haereſis labem poteſt quis hanc veritatem inficiari, cùm id nedum ex Patrum concordi traditione (e), ex conſtanti definitione Conciliorum (f), verùm ex Verbo Dei ſcripto apertiſſimè habeatur, dicente Apoſtolo 1. ad Corinthios X. *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſuprà id, quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere?* Jure ſummo igitur Janſenianum hoc commentum (utpotè putida recocta crambes Calvini, & Lutheri) jam pridem rejectum, diriſque devotum ab Academiis omnibus Chriſtiani Orbis, & ab Eccleſia Catholica, fuit confixum ab Innocentio X. Imò, ne fucus ab impoſtoribus fieret ſignifero veritatis, & gratiae M. P. Auguſtino, S. Pius V. & Gregorius XIII. Bajanam ſententiam Aquilino Doctori tribuentem ſphalma de praecepto impoſſibilis executionis damnarunt, proſcripſerunt. Quare tot poſt Apoſtolicae Sedis decreta, tot poſt inſignia Patrum monumenta, utpotè haereticum rejiciendum eſt Janſenianum aequilibrium, & contrà Iprenſem, ejuſque ſectatores repetendum eſt, quod olim Pelagio per derifionem ritè objecit Auguſtinus; (g) *Libra tua vergendo in unam partem te indicat delirantem.* Cetera autem aequilibria, quae adinventa ſunt ab aliis recentioribus Theologis, cùm non ſint à S. Sede nigro theta ſignata, nulla itidem ego theologica cenſura audeo notare; verùm cùm nullam habeant authenticam adprobationem, & vel ex ipſa novitate praeſeferant falſitatis ſuſpicionem, non adprobo; & quae adversùs eadem viri docti ſcripſerunt apud alios (h) legenda remitto.

Reſpondeo III. quòd dum Auguſtinus paſſim ad orationem recurrendum eſſe docuit, ut poſſimus, nimirùm adimplere mandata, non id docuit, ut inſinuaret per gratiam ſufficientem haud praeſtari potentiam proximam relativam; ſed id dixit ut obtineamus gratiam efficacem, quae dat perfectiſſimum, & completiſſimum poſſe ſuprà expenſum, nimirùm actu facere. Idcircò enim ait prae

(a) *S. Auguſtin.* Lib. I. Retractat. *cap.* 9. *n.* 3. 4.
(b) *Idem* Lib. de fide contrà Manichaeos *c.* 10.
(c) *Idem* lib. III. de libero arbitrio *cap.* 1. & 19. lib. II. de peccatorum meritis, & remiſſion. *cap.* 3. & lib. de gratia, & libero arbitrio *cap.* 16.
(d) *Idem* Lib. de natura, & gratia *cap.* 69. *n.* 8.
(e) *Vide Patres laudatos ſuprà Exercit. II. nec non S. Baſilium* Oratione in illud Attende tibi, & *S. Hieronymum apud S. Thomam* Quodlibeto III. *pluries autem idem Angelicus de hac re agit 1. P. Qu.* 23. *art.* 2. & *Qu.* 49. *art.* 2. *ad* 3. *Et* 1. 2. *Qu.* 69. *art.* 6. *&c.*
(f) *Vidè praecipuè Concil. Tridentin. & Arelatenſ. ſuprà laudata.*
(g) *S. Auguſtin.* Lib. IV. operis imperfecti *c.* 91.
(h) *De hac re plures agunt conſulendi praeceteris ſunt Antonius Boucat Ord. Minim. S. Franciſci de Paula Thomiſta To. III.* Theolog. Patrum Dogmatic. Scholaſtic. Poſitiv. *Diſſertatione III. & N. Cajetanus Benitez de Lugo in Op. cui titulus* Vera Chriſti Gratia *Diſputat. III. Videſis reliquos indigitatos in* Bibliotheca Anti-Janſeniana.

Digitized by Google

prae ceteris idem S.Doctor, dum de debito orationis verbum habuit. (a) *Volo, ut velis, sed non sufficit, ut velis: adjuvandus es, ut plenè velis, & impleas quod velis*: quod pluries etiam repetit (b) ad insinuandum, quòd per orationem obtineatur gratia efficax, nimirùm completissimum posse, seu potentia conjuncta cum actu. Orandum etiam est ab eo, qui gratiam sufficientem habet, ut uberiorem quoque in ea linea obtineat, & deinde gradatim etiam efficacem; etiamsi hanc primitùs per orationem consequi non possimus. Dum autem Augustinus locis in objectione laudatis adstruit haud orandum prò eo, quod habemus, certè prò eo non esse orandum docet, quod habuimus à natura, secùs autem prò eo, quod habemus à Deo Gratiae authore: quod vel ex eo constat, quia ibi refellit Pelagianos naturae, & gratiae dona confundentes, simulque adstruentes naturale donum, tanquam gratiam Dei, & scientiam legis, nec non remissionem peccatorum viribus naturae obtineri; ideòque rectè eos confundit (c), unum ab altero distinguens. *Non utique id orat, ut homo sit, quod est natura, neque id orat, ut habeat liberum arbitrium, quod jam accepit, cùm crearetur ipsa creatura ..... Orat ergò, ut non peccet, hoc est ne quid faciat mali, quod vetatur, vel bonum fiat, quod jubetur.*

Respondeo IV. ad tertiam objectionem nimis perfricta fronte Patronos damnatarum thesium gratiae fucum facere, dum adserunt non fieri meliorem hominem per gratiam, vel ex eo, quòd hic Spiritui Sancto resistit. Gratia, estò sufficiens, suapte natura illuminat, excitat, movet, & non semel facit de nolente volentem, charitatem etsi modicam in eo producens: quantùm igitur est ex se donum Dei est homini collatum ad salutem. Quod verò hic cadat, non est gratiae sufficienti tribuendum, sed malitiae hominis ea insigniti, quia nimirùm restitit Deo vocanti. Poterat enim, & completè quidem, adhuc relativè ad actum, & ad rebellionem sensus, operari supernaturaliter, sed perversa sua voluntate noluit. Cur, inquam, eadem gratia insignitus non oravit, ut consequeretur, quod completissimè non poterat, quando per sufficientem gratiam erat completè potens orare, ut ex monumentis M. P. hucusque laudatis habemus? Suo ergò vitio vertat, non Gratiae, qui labitur. Ipse, quia in vacuum gratiam Dei recepit, quia restitit Spiritui Sancto, poenam mereretur aeternam, dum Dei mandata non servat, & justissimè à Deo infictam prò merito subit. *Perditio tua Israël: tantummodo in me auxilium tuum*, Oseae XIII. Et vel ex eo quidem majorem promeretur poenam, qui ità resistit Spiritui Sancto, quia adjutorium Dei contemsit. *Si quis*, inquit S. Thomas, (d) *post acceptam gratiam novi Testamenti peccaverit, majori poena dignus est, tanquam*

(a) *S.Augustinus* Serm.III. de Verbis Apostoli, *nunc ord. CLXIII. nov. edit.*

(b) *Idem S. P.* Epist. *olim* LXXXIX. ad Hilarium, *nunc* CLVII. Lib. de Sancta Virginitate *cap.*52. *& alibi.*

(c) *Idem* Epistola CLXXVII. ad Innocentium Papam *olim* XCV.

(d) *S.Thomas* 1. 2. *Qu.CVI. art.*2. *ad* 3.

Digitized by Google

quam majoribus beneficiis ingratus, & auxilio sibi dato non utens: nec tamen propter hoc dicitur, quòd lex nova iram operatur; quia quantùm est de se, sufficiens auxilium dat ad non peccandum.

Idque pariformiter dicendum est adversus eos, qui gratiae exteriori detrahunt. Numquid ne quia Deus monet per Apostolos, terret per supplicia, invitat per signa mirabilia; quinimò etiam per ceteras quasque visibiles creaturas, quae Deum nunciant, Deum praedicant, & ad Conditoris laudem, ejusque amorem incitant; ideò pejores fiunt, qui non operantur bonum? Apage blasphemam calumniam in Deum. Pejor fit utique, quia Deum audire, timere, amare recusat; non quia per exteriorem gratiam Deus hominem inducit ad culpam. Audiatur M. P. Augustinus, qui Jansenium, ceteroſque ejus assecias praedamnavit. *Perversi enim homines*, inquit, (a) *& perturbati .... mala sua Deo tribuunt, & bona sibi .... Si non est valde impius ad manum habet sathanam quem accusat. Sathanas, fecit, dicit, ipse mihi persuasit, quasi Sathanas habeat potestatem cogendi. Astutiam suadendi habet; sed si Sathanas loqueretur, & taceret Deus, haberes unde te excusares: modò aures tuae positae sunt inter monentem Deum, & suggerentem serpentem. Quare huc flectuntur, hinc avertuntur? Non cessat Sathanas suadere malum, sed nec Deus cessat admonere bonum. Sathanas autem non cogit invitum: in tua potestate est consentire, & non consentire.*

Ex quo M. Patris monumento, sicut funditus evertitur machina Jansenianorum, sic pariter momentum adsertionis Laxiorum quorundam Theologorum profligatur. Cùm enim per subtractionem gratiae non tollatur liberum arbitrium, & homo peccet liberè declinando à recto, inexcusabilis est, qui adhuc cum sola exteriori gratia Deum offendit. Et hoc ad magis magisque firmandam opinionem N. Petri à Soto Concilii Tridentini Theologi, Carolo V. à confessionibus, & Orbi Universo qua pietate, qua doctrina illustris, adserentis, (b) quòd „ subtractio gratiae non „ impedit, quominùs voluntas ad bo„ num, & malum libera sit: quoniam „ auxilium efficax semper recipere po„ test: quoniam legem voluntariè trans„ greditur: denique quoniam necessi„ tas transgressionis non oritur, nisi „ ex extrinseco impedimento; ex eo ni„ mirum, quòd gratia efficax denege„ tur „. Quam sententiam cùm ipse Sotus innumeris vallavit monumentis Patrum, & Conciliorum (c), tum nobili Apologetico à calumniis P. Duchesnii

(a) *S. P. Augustin.* Enarrat. in Psalmum XCI.
(b) *Petrus Soto* Epistola ad Ruardum Tapperum.
(c) *Propugnat Soto suam opinionem ex S. Innocentio I.* Epistola ad Carthaginense Concilium, *& altera* ad Milevitanum Concilium, *ex S. Coelestino I.* Epistola ad Episcopos Galliae *cap.* 4. *& 7. ex S. Augustino* Epistola CVI. *seu ex nova editione* LXXXVI. ad Paulinum, *& ex Concilio Arausicano II. Cap. XIII. & Cap. XXV.*

Digitized by Google

nii vindicavit (a), Cl. V. N. F. Joseph-Augustinus Orsi S. Congregationis Indicis Secretarius de Republica litteraria, & S. R. E. benemeritus, eamque haud favere Bajanis, & Jansenianis, etiam ex illustrioribus Societatis Theologis Cardinal. Bellarmino (b), nimirùm, & Dionysio Petavio (c), ostendit laudatus eruditissimus M. Orsi. Ex qua doctrina pariter evertitur laxitas quorundam molliorum Casuistarum adserentium non peccare contrà legem naturae eos, qui sine cognitione Divinum naturale jus pessumdant, ut post pauca clarius ostendetur. Ut autem res tota dilucida fiat.

Respondeo tandem, quòd dum agitur de denegatione interioris supernaturalis gratiae sufficientis, multifariàm potest institui sermo. Vel nimirùm de ea fit verbum respectu justorum: vel in ordine ad peccatores non obduratos in malo: vel tandem relativè ad obcoecatos, obduratosque; praesertim paganos, infideles aliquos bestiarum instar viventes, & hominum ferè duntaxat corpus habentes. Si enim sermo fiat de justis: Dogma fidei est ab omnibus Orthodoxis contrà Jansenii delirium propugnatum, nulli justo deesse unquam adjutorium gratiae sufficientis interioris proximè talis, etiam relativè ad cupiditates adversas: quod quidem cùm ex innumeris monumentis tàm Verbi Dei, quàm Conciliorum, & Patrum, nec non validis momentis probetur, vel ex sola definitione Concilii Arausicani II. potest ostendi, ceteris verò monumentis apud Theologos lustratis. Can. enim XXV. Sic definitur. *Hoc etiam secundùm fidem Catholicam credimus, quòd accepta per Baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, quae ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare animae voluerint, adimplere.* Idem quo-

(a) F. Josephi-Augustini Orsi Ord. Praedicatorum è Congregatione S. Marci de Petri à Soto ejusdem Ordinis, & Judoci Revesteyn de concordia Gratiae, & liberi Arbitrii cum Ruardo Tappero Epistolari Disputatione Liber Apologeticus. Quo Soti Doctrina à recentis Historici censuris adseritur. *Praefatum opus editum fuit Romae Ann. 1734. nuncupatum SS. Pontifici Clementi XII. & adprobatum à Censoribus eruditissimis, cùm Nostratibus, tum exteris: è quibus Doctissimus P. D. Petrus Aloysius Turri Abbas Cassinensis in praesentiarum Examinator Synodalis Neap. Eccles. & Theologus Em. & Rev. Card. Spinelli Archiepiscopi Neapolitani eam propugnavit in Schola, quam regit in Archiepiscopio Patrum solidam Theologiam Neapolitanae Dioecesis Clericos docens.*

(b) *Card. Bellarminus* lib. IV. de Grat. & liber. arbitr. *cap.* 15. Homo, *inquit*, ante omnem gratiam liberum habet arbitrium, non solùm ad opera naturalia, sed etiam ad opera pietatis, & supernaturalia. Docet hoc S. Augustinus in lib. de spiritu, & littera cap. 23. ubi dicit, liberum arbitrium esse vim naturalem, & mediam, quae ad fidem, & infidelitatem inclinari potest... Idem etiam probatur ratione. Nam liberum arbitrium non potest dari, nec tolli per gratiam, neque per peccatum. *Et ibid. cap.* 13. Catholici, *inquit*, agnoscunt liberum arbitrium in homine etiam antequam eum Divina gratia praeveniat, quia liberum arbitrium est res naturalis, quae per peccatum non amittitur.

(c) *Petavius* lib. IV. de Opere sex dierum c. 3. *inquit*, liberum arbitrium à gratia, non aut datur, aut eripitur, *idque probat ex S. Augustino Lib. II. de peccatorum meritis, & remissione*: Voluntatis arbitrium esse, quòd huc, atque illuc flectitur, atque in eis naturalibus bonis est, quibus, & malus malè uti potest, *ex quo M. P. Augustini monumento subdit Petavius*: Quare naturalis liberi arbitrii facultas ex se hoc habet, etiam sepositâ Christi gratia, ut ad bonum malumque indifferens sit, & huc aut illuc flecti possit: tametsi bonum absque illa gratia saltem aut constanter, aut ad aeternam vitam pertinens, non possit eligere.

Digitized by Google

quoque apertè docetur à Concilio Tridentino (a). Quapropter jure summo ab Innocentio X. in Jansenio damnata fuit, ut impia, blasphema, & haeretica haec propositio. *Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundùm praesentes, quas habent, vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.* De peccatoribus autem praecipuè fidelibus, qui non venerunt in profundum iniquitatis, idem quoque judicium est ferendum, estò nullam habeamus expressam peculiaremque Ecclesiae diffinitionem. Eruitur quippè certissimè ex Dei verbo scripto, & Patrum traditione; ex eisdemque monumentis, ac momentis adsertio probari potest, ex quibus adversùs Jansenium, sociosque catholicum dogma de interiori sufficiente gratia nuper fuit probatum.

At verò si de peccatoribus obstinatis, obcoecatisque; necnon de infidelibus *negativè* sermo fiat, quaestio merè Scholastica est, & adiaphora, quum non una eademque sit Theologorum sententia. Omnibus quidem cùm infidelibus, qui nihil de fide audierunt, tùm obduratis, excoecatisque peccatoribus universim sufficientia auxilia conferri nonnulli Theologi, etiam ex Thomistis, adfirmant; at circà qualitatem auxilii id genus hominibus collati non est eorumdem Theologorum unanimis consensio, sed ex eo varia sentiendi causa, diversaque eorum opinio, ex quo diversa sunt Scholae principia (b). E' contrà verò aliquibus cùm infidelibus *negativè*, tum obduratis, excoecatisque criminosis hominibus absolutè, & justè à Deo denegari auxilia sufficientia, sive proximè, sive remotè talia (estò omnibus sint parata) non ignobiles Theologi Romanae Communionis, & probatae eruditionis adstruunt (c). Et quamvis idem fuerit à Jansenio Iprensi Episcopo adseveratum, non ex eo carpi potest Theologorum sententia, quia in Jansenio fuit diris devota opinio, qua idem adfirmabatur, nimirùm, quòd obcoecatis, obduratisque gratia sufficiens denegatur, quae erat prior Jansenianae thesis pars, sed quia itidem Iprensis Episcopus hanc gratiam justis denegando adserebat eis impossibilia

(a) *Concil. Tridentinum* Sessione VI. *Cap. I. Legesis laudatum Apologeticum M. Orsi.*

(b) *Videsis praecipuè Cardinalem Norisium* Disser. V. Jansen. error. calumnia sublat. *cap. 1. & NN. Cajetanum, Benitez, de Lugo, in Opere cui titulus* Vera Christi gratia, &c. *Disput. I. Dub. 3. & Joseph. Augustinum Orsi in* Apologetico prò Petro Soto *Cap. VI. Art. 3.*

(c) *Hanc opinionem propugnant ex nostris Innocentius V. P. M. in* II. Sententiarum *disp.* 36. *Petr. Soto* Epist. ad Tapperum, &c. *Bannez I. P. Qu. XXII. Gonzalez ibidem, Lemos* in Panoplia Gratiae *Tom. IV. p. 2. tract.* 13. *Cap.* 8. *&c. Alvarez* Tractatu de Auxiliis *lib. II. disp* 112. *Gonet* de Reprobatione *disp. V. art. 5. Massoulié T. II. disp. ultima. Godoy* Tract. de Praedestinatione *disp.* 36. *& alii suprà laudati. Ex exteris Scholae S. Thomae addictis Estius in* Epistola ad Romanos, *& in II. Dist. II. disp. 26. Academia Lovanienſis in* Censura propositionum Lessii, *quae ad omnes Belgii Episcopos fuit transmissa die 4 Januarii an.* 1588. *& confirmata fuit ab Academia Duacensi die* 20. *ejusdem mensis, & anni. Zumel, Juenin, & alii suprà laudati. E Societate Jesu Card. Bellarminus* lib. 2. de gratia, & libero arbitrio *cap. 4. Vasquez I. P. disp. 27. n* 28. *Suarez* in opere tripartito de Gratia *p. 2. lib. 4. cap. 8. Thyrsus Gonzalez* Tract. de probabilitate *disert. 8. Descampius* lib 3. de Haeresi Jansenianа, *Elizaldus* lib. V. de recta doctrina morum *qu.* 12. *Mangot* Monita Sacra *p. 2. monit. 90. & alii. Videsis laudatos nostros Orsi, & Benitez, apud quos plura notatu digna reperies.*

Digitized by Google

bilia reddi Divina mandata ; hinc ait : (a) *Haec igitur omnia plenissimè, planissimèque demonstrant nihil esse in S. Augustini doctrina certius, atque fundatius, quàm esse praecepta quaedam, quae hominibus, non tantùm infidelibus, excoecatis, obduratis; sed fidelibus quoque, & justis volentibus, & conantibus, secundùm praesentes, quas habent vires, esse impossibilia : deesse quoque gratiam, qua possibilia fiant.* Idque advertendum adnotavit Cl. N. Antoninus Massouliè (b), & ingenuè pariter confessus est Honoratus Tournely novissimus Sorbonicus, praeter, & contrà Sorbonae morem, & doctrinam, non Molinianorum hostis, sed fautor (c): necnon cum eo pariter quamplures id adstruunt, qui Thomistis auxiliares denegant manus (d). Qua de causa, qui praefatam opinionem de denegatione gratiae id genus infidelibus *negativè*, & peccatoribus obcoecatis vellicare ausi sunt, ad palinodiam fuere coacti cùm in Congregatione *de auxiliis* (e), tum ex decreto Galliarum Episcoporum (f); & universim ab omnibus, qui Eruditi cordati, & pii audiunt, justè stigmatizantur (g).

His igitur adnotatis, facili negotio discutitur adversariorum scrupulus. Vel enim ea dumtaxat admittitur sententia, quae omnibus, etiam obduratis, excoecatisque indulget sufficientem interiorem gratiam collatam : & ex hucusque adversùs Jansenium dictis ventilatur commentitium argumentum : habent namque per eam ultimum completè posse, ideòque inexcusabiles sunt, qui peccant, quia potentes evitare crimina, noluerunt, & obdurato corde restiterunt Spiritui Sancto. Vel prò ea sententia statur, quae non omnibus praefata adjutoria concedit, & aliquibus justè à Deo denegata adfirmat : & iterùm ex ea veritas catholica firmatur (quamvis ex Systemate Jansenii extrà aleam simus, & ex damnato commento nullus suppetat de hac re agendi locus, qui tamen ad pleniorem veritatis notitiam admittitur, & indulgetur). Quandoquidem, ut alibi diximus, infideles *negativè* non ex eo peccant, aut damnantur, quia

(a) *Jansenius* lib. 3. de Gratia Christi *cap.* 13.
(b) *N. Massouliè Tom. II. disput. ult. qu. 3. art. 2.*
(c) *Tournely* De Gratia Christi *Qu. VIII. ar. 4.*
(d) *Videsis praecipuè P. Fontaine T. I.* in Propositiones Quesnellianas *propos. XXVIII. cap. 3. num. 6.*
(e) *Cùm non ignobilis quidam Theologus praesentem thesim, ut erroneam, notare ausus fuisset, ad sedandam offensionem sequente publica confessione fuit coactus* : Profiteor insuper, quantumvis mihi persuasum sit obduratos nunquam carere interiori gratia, quae ad implenda praecepta sufficiat ; haud propterea voluisse me ulla censura notare illos, qui nec pauci sunt, nec infimi nominis, Theologos è Catholicis, quos contraria in opinione, aequè in Ecclesia permissa, versari, certum est : neque cum in praedicta propositione dixi, errare illos, aliud à me intellectum esse, quàm quòd fallantur. *Vide Historiam Congreg. de Auxil. lib. 3. cap. 48. Sincera autem Historia Congregationum de auxiliis ea proculdubio, & dumtaxat habenda est, quam primùm conscripsit Cl. N. Thomas de Lemos, deinde politiori forma, uberiorique notitia confertam typis mandavit N. isidem eruditissimus Hyacinthus Serry, pridem sub nomine Augustine le Blanch, deinde proprio insignitam nomine (hanc ego laudavi) qua fabellas, & commenta Bleuterii, aliorumque confutat ex Sinceris, probatisque Actis, & monumentis rem totam edifferens, ut compertum est cunctis emunctae naris Theologis, ceterisque universim Eruditis.*
(f) *Plurimi Galliarum Episcopi Anno 1720. adprobarunt* Doctrinae corpus.
(g) *Vide prae ceteris Cl. Meldensium Episcopum in* Instructione Pastorali adversùs Institutiones Theologicas P. Juenin. *Benitez, & Orsi nuper laudatos.*

Digitized by Google

non credunt: cedit enim eis loco poenae debitae originariae labi denegatio adjutorii ad credendum; sed quia peccant contrà jus naturae, quod utique propatulum eis erat, & peccatum vitare poterant, justè à Deo gehennalibus flammis addicuntur, qui sine fide decedunt. Peccatores autem obstinati, & excoecati, quia propria culpa eam descenderunt in foveam, ex qua nequeunt prosilire, etiam dum actu non possunt, actu peccant, quia voluntariè in eo se constituerunt miseriae statu: peccant namque in caussa, ex qua talis effectus promanat, non secus, ac qui volens, & sciens, aut etiam, qui scire debebat, se inebriavit, & in ebrietate homicidium fecit, peccavit in caussa, adhuc dum crimen evitare nequivit; quinimò, vel ex eo potiùs voluntarium dignoscitur crimen horumce perditorum hominum, quia etsi gratia sufficiente destituti, liberè tamen declinant à recto, & recedunt à Deo, ut ex nuper dictis clarescit. Consule itidem monumentum S. Thomae *Lect. III. in Cap. XII. Epistol. ad Hebraeos* suprà laudatum in probationibus Catholicae veritatis, quam hucusque vindicavimus ab impostoris Novatorum.

* *
*

EXERCITATIO VI.

VII. PROPOSITIO.

Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi: Si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

VIII. PROPOSITIO.

Necesse est infidelem in omni opere peccare.

IX. PROPOSITIO.

Revera peccat, qui odio habet peccatum, merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali sine ullo ad Deum offensum respectu.

EX eodem commentitio principio tres hae damnatae theses, velut ex eodem infecto trunco tres venenati rami pullularunt: nimirùm ex Bajano confixo Systemate (quod ab orco revocavit Jansenius (a), & sopitos jam suscitando cineres, propagavit Quesnellius) de fide, & gratia requisitis ad opus quodcumque morale; ità ut opus nullum moraliter bonum adstrui possit, quod non sit supernaturali fide, & Divina charitate informatum; ideòque opera omnia, cùm infidelium, tum peccatorum, estò ex objecto, fine, ceteriscque circum-

(a) *Cornelius Jansenius Yprensis Episcopus* libr. IV. de Statu naturae lapsae *cap. I & sequ. Item* Lib. I. de Gratia Salvatoris *Cap. V. adfirmat opera omnia infidelium, etsi honesta, & digna laude videantur, revera non esse virtutes, sed vitia, & peccata: quod pridem ex professo docuerat Michaël Bajus; quinimò id primùm fuerat à Novatoribus, praecipuè à Kemnitio, eructatum, ut constat ex definitione Tridentini* Sess. VI. *Can. VII. & ex Card. Bellarmino* De Gratia, & libero arbitrio *lib. V. Cap. 9. Et ut infrà dicetur. In Johanne Hus pariter idem error priùs fuit damnatus.*

Digitized by Google

cumſtantiis bona, vel ex eo ſceleſta, & criminoſa abſolutè fore dicenda, quia fide, & charitate ſupernaturali ſunt deſtituta, ut ex theſibus in Michaële Bajo (a), & Paſchaſio Queſnellio (b), notatis videre eſt. Quare trifaucem hunc cerberum confeſtim contritum iri quilibet, vel craſſioris minervae, adſeverabit, ſi dumtaxat probavero opera, cùm infidelium, tum peccatorum, modò ex objecto, & circumſtantiis honeſta, bonitate morali praedita eſſe: Hoc autem Deo dante incunctanter implebo; quin etiam ſophiſmata adverſariorum diſſolvam. Verùm, ut clarius procedam, validiorique brachio triceps hoc monſtrum conteram, ſingillatim confixas adpoſitas theſes ventilabo, & commentum expungam. Ne autem quis, aut non benè inſtructus in errorem labatur, aut livore praeoccupatus me carpat, duplicem praenotandam, diſtinguendamque

V 2 bo-

(a) *Propoſitiones in Michaële Bajo à S. Pio V. pridem, deinde à Gregorio XIII. aliiſque RR. PP. damnatae ad rem hanc facientes ſunt iſtae* XXII. Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli ad Rom. 2 Gentes, quae legem non habent, naturaliter, quae legis ſunt, faciunt: intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus. XXV. Omnia infidelium opera ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia. XXVI. Liberum arbitrium ſine gratiae Dei adjutorio, nonniſi ad peccandum valet. XXVIII. Pelagianus eſt error dicere, quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum. (*Vide Card. Noriſium* in Vindiciis Auguſtinianis §. IV.) XXIX. Non ſoli fures ii ſunt, qui Chriſtum viam, & oſtium veritatis, & vitae negant; ſed etiam quicumque aliunde, quàm per ipſum in viam juſtitiae (hoc eſt aliquam juſtitiam) conſcendi poſſe docent. XXX. Aut tentationi ulli ſine gratia ipſius adjutoris reſiſtere hominem poſſe; ſic ut in eam non inducatur, aut ab ea non ſuperetur. XXXIV. Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut author naturae, & gratuiti, quo Deus amatur, ut Reſtificator, vana eſt, & commentitia, & ad illudendum ſacris litteris, & plurimis Veterum teſtimoniis, excogitata. XXXV. Omne, quod agit peccator, vel ſervus peccati: peccatum eſt. XXXVI. Amor naturalis, qui ex viribus naturae exoritur, eſt ſola Philoſophia per elationem praeſumtionis humanae, cum injuria Crucis Chriſti defenditur à nonnullis Doctoribus. XXXVII. Cum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex naturae ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit. XXXVIII. Omnis amor creaturae rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, quae à Johanne prohibetur: aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur. XL. In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati. LXV. Nonniſi Pelagiano errore admitti poteſt uſus aliquis liberi arbitrii bonus, ſive non malus, & gratiae Chriſti injuriam facit, qui ità ſentit, & docet.

(b) *Propoſitiones verò à Clemente XI. confixae in Bulla* Unigenitus *confirmata etiam à Benedicto XIII. ſunt ſequentes ad hanc eandem materiam ſpectantes, nimirùm* I. Quid aliud remanet animae, quae Deum, atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia, hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & omne opus bonum. XXXVIII. Peccator non eſt liber, niſi ad malum ſine gratia Liberatoris. XXXIX. Voluntas, quam gratia non praevenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum, ardoris niſi ad ſe praecipitandum, virium, niſi ad ſe vulnerandum, eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum. XL. Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem. XLI. Omnis cognitio Dei etiam naturalis, etiam in Philoſophis Ethnicis, non poteſt venire, niſi à Deo, & ſine gratia non producit, niſi praeſumtionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco effectuum adorationis, gratitudinis, & amoris. XLII. Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad Sacrificium fidei: ſine hoc nihil, niſi impuritas, niſi indignitas. XLIV. Non ſunt niſi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noſtrae naſcuntur; Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur. & amor, quo nos ipſos, ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus. XLV. Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat. XLVI. Cupiditas, aut charitas uſum ſenſuum bonum, vel malum faciunt. XLVIII. Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebrae, niſi aberratio, & niſi peccatum ſine fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine charitate? XLIX. Ut nullum eſt peccatum ſine amore noſtri, ità nullum eſt opus bonum ſine amore Dei.

Digitized by Google

bonitatem in opere, jure merito, & existimo, & adverto: etsi de eadem re non semel in decursu sim verba facturus. Prior quippe bonitas, quae in opere potest adtendi, ea est, quae undequaque perfectum hominem reddit, verè beatum, & coelestis Patriae civem: quia, nimirùm, haec ex gratia supernaturali procedens meritoria est vitae aeternae; & haec sicut in subjecto praesupponit fidem, quae totius spiritualis aedificii est basis, & fundamentum, ità secum importat charitatem, quae est forma omnium operum supernaturalium: ità ut nullum sit opus meritorium vitae aeternae, quod non sit ex gratia habituali, ut non semel adversùs Pelagium, ejusque gregales S. Sedes diffinivit. Neque de hac re verbum ullum facimus, nisi obiter, & in solutione sophismatum Authorum damnatarum harumce trium propositionum: cùm longè diversus sit horumce scopus, ut ex eisdem thesibus, vel peregrinante oculo lustratis, innotescit. Posterior verò bonitas, de qua in praesentiarum est sermo, ea est, quae habetur ex conformitate operis cum ratione, quaeque ex honestate objecti, & circumstantiarum resultat: quare ex rectitudine practici dictaminis honestum est opus, & laude dignum. Sed num haec bonitas seorsim à charitate, gratia, & fide possit haberi? hic punctus, hic labor est, hic difficultatis cardo adversùs proscriptos authores. Ad veritatis tamen triumphum, quod modò adserui, probabo, impugnando primam confixam thesim.

Concilium Constantiense (a) in Johanne Hus hunc articulum ordine XVI. diris devovit. *Quòd nulla sunt opera indifferentia, sed haec sit divisio immediata humanorum operum, quòd sint vel virtuosa, vel vitiosa: quia si homo est vitiosus, & agat quicquam, tunc agit vitiosè: quia sicut peccatum inficit universaliter omnes actus hominis vitiosi; sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.* Similiter Tridentina Synodus expresè (b) declarat peccatores, estò charitate expoliatos, gratia tamen praeveniente, & excitante illuminatos, atque à Spiritu Sancto movente actos, plura bona opera facere, quae etsi non sint meritoria vitae aeternae, dispositiva sunt ad gratiam justificantem, quod pariter alibi (c) confirmat: hinc ità adversùs Novatores, diffinivit. (d) *Si quis dixerit opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sunt, verè esse peccata, vel odium Dei mereri; aut quantò vehementiùs quis nititur se disponere ad gratiam, tantò eum graviùs peccare: anathema sit.* Igitur dogma fidei est, quòd dentur opera aliqua bona, quae non sint ex charitate Patris; & dogma fidei iterùm est, quòd dentur aliqua opera honesta, & moraliter bona, quae nullimodè sint ex gratia, nec propterea meritoria vitae aeternae; sed dumtaxat talia, quia digna laude, ut suprà expendimus.

Similiter cùm ex doctrina omnium Theologorum praeter virtutes Theologicas, & morales infusas, dentur etiam virtutes morales acquisitae, utpotè quae ha-

(a) *Concil. Constantiens. coact. Ann.* 1414. Sessione XV.
(b) *Tridentinum* Sessione VI. *Cap.V.*
(c) *Trident.* Sessione XIV. *Cap.IV.*
(d) *Tridentin.* Sessione VI. *Can.VII.*

Digitized by Google

habent, & communem, & peculiarem quidditatem virtutis, procul dubio harumce virtutum ſpeciem praeſeferunt opera humana, quae illarum conditione pollent. Atqui opera bona moraliter, & honeſta ex ſe, nimirùm, ratione objecti, & finis, etiam ſine charitate, revera induunt rationem virtutum moralium, utpotè quae etiam ſeorſim à charitate Patris ſunt revera virtutes, juxtà definitionem Ariſtotelis, (a) ex quo *Virtus eſt habitus, qui bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit.* Et iterùm: *Virtus eſt habitus electivus in mediocritate conſiſtens, & prout ſapiens, & prudens dictaverit.* Qua de cauſſa etiam peccator, qui dat eleemoſynam pauperi dumtaxat ob finem naturalem honeſtum, bonus & ipſe redditur, & opus ejus laude eſt dignum; nec non in medio ſiſtens, prudentum judicio commendatur, dum & avaritiam, & prodigalitatem devitans opus à natura dictatum facit, pauperem, videlicet, à miſeria ſublevando. Falſiſſimum igitur eſt, quòd praeter opus ſupernaturale bonum, & meritorium, aliud non detur opus virtutis moralis; ſed univerſim omnia opera, quae ex charitatis imperio non procedunt, peccaminoſa ſint, & obnoxia gehennae. Ideòque Angelicus Doctor ait: (b) *Virtutes morales prout ſunt operativae boni in ordine ad finem, qui non excedit facultatem naturalem hominis, poſſunt per opera humana acquiri; & ſic acquiſitae ſine charitate eſſe poſſunt, ſicut fuerunt in multis Gentilibus, ut etiam infrà oſtendetur.* Similiter idem Angelicus ex eo probat haſce virtutes morales (eſtò à charitate ſeparatas, & idcircò nullius meriti ad vitam aeternam) eſſe veras virtutes, quia ex ſe tendunt ad bonum honeſtum, quod eſt objectum ſpecificativum virtutis; & dumtaxat ex defectu charitatis non eſſe perfectas virtutes: adeòque eo ex momento directè praefocavit damnatum commentum. En ejus verba luce meridiana clariora. (c) „ Reſpondeo „ dicendum, quòd virtus ordinatur ad „ bonum, ut ſuprà habitum eſt: (1.2. „ qu. LV. art. 3.) Bonum autem princi„ paliter eſt Finis. Nam ea, quae ſunt „ ad finem non dicuntur bona, niſi in „ ordine ad finem. Sicut ergò duplex „ eſt finis, unus ultimus, & alius pro„ ximus, ità etiam duplex bonum: „ unum quidem ultimum, & univer„ ſale; aliud proximum, & particulare. „ Ultimum quidem, & principale bo„ num hominis eſt Dei fruitio, ſecun„ dùm illud Pſalm. XXXVII. *Mihi ad„ haerere Deo bonum eſt*; & ad hoc ordi„ natur homo per charitatem. Bonum „ autem ſecundarium, & quaſi parti„ culare hominis poteſt eſſe duplex. „ Unum quidem, quod eſt verè bonum, „ utpotè ordinabile, quantùm eſt in ſe, „ ad principale bonum, quod eſt ulti„ mus finis. Aliud autem eſt bonum „ apparens, & non verum, quia ab„ ducit à finali bono. Sic ergò patet, „ quòd virtus vera ſimpliciter eſt illa, „ quae

(a) *Ariſtoteles* II. Ethicorum *Cap. IV. Cicero* Lib. II. de Inventione *ità definit virtutem.* Virtus eſt animi habitus, naturae modo, atque rationi conſentaneus. *Quam definitionem exſipit, & adprobat S. P. Auguſtinus* Lib. IV. contrà Julianum *Cap. 3. n. 19.*

(b) *S. Thomas* 1. 2. *Qu. LXIII. Art. 2.* in corpore.

(c) *S. Thomas* 2. 2. *Qu. XXIII. Art. VII.* in C.

„ quae ordinat ad principale bonum „ hominis: Sicut etiam Philosophus in „ VII. Physicorum dicit, quòd *Virtus* „ *est dispositio perfecti ad optimum*. Et sic „ nulla vera virtus potest esse sine cha„ ritate. Sed si accipiatur virtus secun„ dùm quòd est ad aliquem finem par„ ticularem, sic potest aliqua virtus di„ ci sine charitate, in quantùm ordina„ tur ad aliquod particulare bonum „: „ sed si illud bonum particulare non „ sit verum bonum, sed apparens, „ virtus etiam, quae est in ordine ad „ hoc bonum, non erit vera virtus, sed „ falsa similitudo virtutis. Sicut non „ est *vera virtus avarorum prudentia, qua* „ *excogitant diversa genera lucrorum: &* „ *avarorum justitia, qua gravium damno*„ *rum metu contemnunt aliena: & avaro*„ *rum temperantia, qua luxuriae, quae* „ *sumtuosa est, cohibent appetitum: & ava*„ *rorum fortitudo, qua, ut ait Horatius:* (a)

Per mare pauperiem fugiunt, per saxa,
per ignes.

„ ut Augustinus dicit. Si verò illud bo„ num particulare sit verum bonum „, „ ut puta conservatio Civitatis, vel ali„ quid hujuscemodi, erit quidem vera „ virtus, sed imperfecta, nisi referatur ad finale, & perfectum bonum.

Cùm autem ità res se habeat, quomodo possunt eò usque progredi Oppositores, ut etiam lethalis criminis labem in eisdem operibus virtuosis adstruere pertentent? Ut hac macula conspurcata ea opera dicantur, oportet, ut sint dicta, vel facta, vel concupita contrà legem Dei aeternam, ut ex M. P. Augustino, ceteriisque universim Theologis fuit observatum. Sed, quaeso, numquid concupiscet contrà Dei legem filius, qui estò gratia careat, Patri ex momento filialis amoris, & debitae observantiae illius salutem exoptat? Numquid ne contrà Deum verbum faciet destitutus charitate, qui ignorantem, non ex typo superbiae, sed ex misericordia docebit, aut errantem corriget? Forsan aget contrà Dei legem, qui videns fratrem suum necessitatem habere, ad misericordiam motus, ut illi subveniat, panem esurienti dat, nudum operit, carnem suam non despicit? Fortè fortuna etiam novo innodatus crimine adstruetur, qui estò Deo non sit conjunctus per charitatem, quia tamen fide credit Deum supremum provisorem, in necessitatibus ad eum confugit, & orationes ad eum effundit? Nefas procul dubio est, vel somniare id genus errorum monstra. Certo certiùs igitur nedum haud peccat, qui praefata opera exercet, sed insuper laude est dignus.

Reponunt tamen adversarii. Vel ex eo novi criminis reus erit peccator, quia, inimicus cùm sit Dei, ad Deum supplex orando adcedere praesumsit. *Oratio ejus fiat in peccatum*, de id genus hominibus locutus est David Psalm. CVIII. & Salomon Proverb. XXVIII. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus execrabilis erit*. Utique ea ex causa opus,

(a) *Quintus Horatius Flaccus Venusii in Apulia natus Lyricorum, & Satyrarum Scriptor, tempore Octaviani Augusti ante Christum natum Ann. XXXVI. clarus*, Lib. I. Epistolarum, Epistola I. *Verùm in textu paulò aliter, & plenius inquit:*

Impiger extremos curis mercator ad Indos-Per mare pauperiem fugiens, per saxa per ignes. *At S. Thoma ità refertur uti ab Augustino* Lib. IV. contrà Julianum Cap. 3.

Digitized by Google

opus, aliàs ex objecto bonum, pravum erit in eo, qui charitatis est expers, quia fit ab eo, qui est inimicus Dei: quandoquidem fermento iniquitatis commaculatum, & vitiatum corrumpitur opus, & fit criminosum. Quapropter M. P. Augustinus ajebat. (a) *Ubi non est dilectio, nullum opus bonum imputatur à Deo*: & iterùm. (b) *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas*. S. Leo M. itidem inquit: (c) *Duo amores sunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates, ità diversæ qualitatibus, sicut distinguuntur auctoribus. Rationabilis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi. In dilectione Dei nulla nimia, in dilectione autem mundi cuncta sunt noxia*.

Sed perperàm nimis; &, quae congerunt monumenta, procul abeunt à scopo; etsi per vim trahantur ad illum. Utique Deus non exaudit peccatores humili corde haud recurrentes ad eum; rejicit insuper eos, novoque peccato illaqueatos repudiat, qui sub pallio religionis scelera committunt, & akaria, dum venerantur fucata devotione, evertunt scelere manifesto: in Templo Domini faciunt abominationes pessimas sub specie pietatis, non secùs ac milites, qui flexo poplite Christo spinis coronato illudebant. Oratio autem, quam convertendam in peccatum imprecatur Psalmista, ea quippe erat, quae à Juda fuisset effusa, quia non facta *per Christum, quem noluit sequi, sed persequi*, ut Aquilinus Doctor expendit (d). Sed quòd universim, quae effunduntur preces, etiam à peccatoribus, sint crimen eo, nimirùm, ex capite, quòd extrà charitatem fiunt, ità falsum est, ut directè adversetur Verbo Dei scripto, & tradito. Et nonne si criminosae eae forent preces, Deus procul dubio non exaudiret orantes? Certissimè. Atqui Deus innumeros id genus homines extrà charitatem constitutos, dum ad eum humili corde confugerunt, exaudivit. Angelus Domini ad Agar loquens, ait ei Genesis XIV. *Vocabisque nomen ejus Ismaël, eo quòd audierit Dominus afflictionem tuam*. I. Regum IX. exauditae dicuntur preces Hebraeorum, dum adhuc erant peccatores; ideòque adstruitur ibidem à Domino constitutus, quem petierant contrà Dei voluntatem, Rex Saul, qui eos salvaret de manibus Philistinorum. *Salvabit populum meum de manu Philistinorum, quia respexi populum meum; venit clamor eorum ad me*. Saepius itidem Israël adstruitur à Domino liberatus, dum ad Dominum supplex adcessit, estò criminibus illaqueatus. Psalmo CV. *Ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo, humiliati sunt in iniquitatibus suis: Et vidit cùm tribularentur, & audivit orationem eorum*. Et id genus innumera passim in Divino eloquio monumenta occurrunt, quae ultrò libenterque omitto, ne ex prolixitate legenti taedio fiam: sicut eodem ex momento abstineo à reliquis Patrum monumentis, uno contentus Primipilo Augustino, qui ab adversariis velut antesignanus proprii erroris (per fraudem tamen, & per calumniam) laudatur. Hic namque solus prò mille Patribus computatur, à quo tamen ejus discì-

(a) *S. Augustin.* Lib. de Gratia Christi *C. XXVI.*
(b) *Idem Lib. IX.* de Trinitate *Cap VII.*
(c) *S. Leo I.* Serm. V. de Jejunio Septimi mensis *cap.* 7.
(d) *S. P. Augustin.* Enarrat. in Psalm. CV.

Digitized by Google

ſcipulum S. Thomam non ſegregabo, ut clarius M. Patris doctrina ab Angelico expenſa clareſcat. Totus enim eſt S. Pater in exhortandis peccatoribus, ut ad Deum per orationem confugiant, etiam dum ſunt ab eo averſi, ſicque per preces Dei tandem miſericordiam conſequantur, & ex inimicis fiant amici Dei. *Quandò autem*, inquit, (a) *non agunt, ſive omninò non faciendo, ſive non ex charitate faciendo, ORENT, ut, quod non dum habent, accipiant.* Ne autem ex hac doctrina, aut malè intellecta incautus aliquis erret, aut invidus ex fraude quis me adcenſeat hoſt bus gratiae, mentem S. P. ex Angelico expendere lubet; ex ejuſque doctrina veritatem ediſſerere. Inquit enim S. Thomas: (b) *Orationem verò peccatoris ex bono naturae deſiderio procedentem Deus audit, non quaſi ex juſtitia, quia peccator non hoc meretur; ſed ex pura miſericordia.* Cetera verò, quae fortaſsè ad ulteriorem explicationem veritatis deſiderantur, alibi ſunt expenſa, quare conformiter ad illa ſit haec quoque doctrina inſinuata.

Ad reliqua verò teſtimonia cùm M. P. Auguſtini, tum S. Leonis I. Roman. Pontificis, aliorumque Patrum, qui poſſunt nobis ab adverſariis opponi, reſpondeo, quòd non ex eo, quòd duo ſint amores, unus Dei, alter mundi: ſeu charitas, & cupiditas, ſequitur univerſim omnia opera moralia peccatorum peccaminoſa fore dicenda: quum etiam in peccatoribus opera ex objecto honeſta, nullaque prava exteriori circumſtantia vitiata adhuc à charitate procedant: non quidem à charitate perfecta, ſive habitualis ea ſit, ſive actualis; ſed à charitate latè dicta, quae eſt amor veri, & boni, omniumque virtutum, ut non ſemel docuit Auguſtinus: quare ſapienter ſubjunxit, quòd *charitas ſit bona voluntas* (c); neve fucus fieret ejus doctrinae, aut aliter contorqueretur per fraudem, duplicem diſtinxit charitatem, Divinam unam, humanam alteram; hancque poſteriorem licitam eſſe adſeveravit (d). Idipſum clariſſimè etiam docuit S. Patris fidiſſimus interpres, & diſcipulus Magnus Aquinas, qui ità rem totam luculenter expendit, ut praedamnaſſe videatur Janſenianam, Queſnellianamque novitatem. *Amor*, inquit Angelicus (e) *eſt quaedam vis unitiva, & omnis amor in unione quadam conſiſtit. Undè ſecundùm diverſas uniones diverſae ſpecies amicitiae diſtinguuntur. Nos autem habemus duplicem conjunctionem cum Deo. Una eſt quantùm ad bona naturae, alia quantùm ad Beatitudinem. Secundùm primam communicationem ad Deum eſt amicitia naturalis; Secundùm verò communicationem ſecundam eſt amor Charitatis.* Clarè igitur patet nimium erraſſe, fallaciterque ſcripſiſſe, qui aut M. Patris, aut Angelici doctrinam detorquere ſtuduerunt ex illo duplici toties concrepantibus buccis decantato amore. Idque inſuper magis, magiſque clareſcet, dum poſt pauca de operibus infidelium agemus.

Non

(a) *S. Auguſtinus* Lib. de corrept. & gratia Cap. 2.

(b) *S. Thomas* 2. 2. *Qu. LXXXIII. Art. XVI.* in corpore.

(c) *S. Auguſtinus* Lib. XIV. de Civitate Dei Cap. VII.

(d) *Idem* Serm. CCCXLIX. de Charitate, & de coeco illuminato, *aliàs* de Tempore LII.

(e) *S. Thomas* In Lad Corinthios C. XIII.

Digitized by Google

Non inficias eo, quòd M. P. Auguſtinus, ceterique Patres non ſemel in ea fuerint ſententia, quòd opera omnia, quaecumque ea ſint, dumtaxat ex charitate ſuam ſortiantur bonitatem; ac proindè, quòd nulla ſit ſtatuenda bonitas in opere ex objectiva ratione, cùm ea patrat peccator, qui culpae deſervit. Verùm, ut ex eorundem met Patrum ſcriptis conſtat, & ex unanimi calculo Theologorum, haec fuit Patrum dilucida propatula mens, & doctrina, nimirùm, quòd nonniſi ex charitate ea bonitas operis profluit, quae ad vitam perducit aeternam, ut vel ex ſolo textu Auguſtini ab adverſariis contrà nos laudato colligi poteſt. Inquit enim S. P. (a) *Tunc enim rectè, tunc juſtè, tunc piè fit, cùm opus bonum in ejus laudem fit, cujus gratia donatur, ut fiat.* Quum enim hoc, quod neceſſariò ex gratia fieri debet, opus rectum illud ſit, quod ad pietatem ſpectat, quia *piè fit*, procul dubio opus meritorium vitae aeternae eſt; ſecùs autem quodcumque opus moraliter bonum, & ex objecto honeſtum. Idque clariùs evincitur ex ſcopo, & intento Epiſtolae laudatae, necnon ex titulo ejus (b), quae tota à capite ad calcem uſque commenta Pelagianorum ventilat, evertit, & nonniſi illorum deliria caſtigat. Ad majorem autem veritatis clarificationem ſubdere lubet pauca ex eadem Epiſtola verba paulò poſt jam laudatam ſententiam à M. P. adpoſita. *Haec juſtitia, qua ejus fideles juſti ſunt, interim viventes ex fide, donec perfecta juſtitia perducantur ad ſpeciem, ſicut ſalute perfecta etiam ad ipſius corporis immortalitatem, gratia eſt Novi Teſtamenti:* Hanc autem Patrum ſententiam, quae Eccleſiae dogmatica definitio eſt, ſicut flexo poplite excipimus, anathema Pelagianis idcircò dicentes; ſic ex ea nullum nobis praejudicium inferri clariſſimè demonſtramus: quum ex operibus moraliter bonis, à peccatore, ſive fideli, ſive infideli patratis, meritum nullum, nullumque jus ad Regnum reſultare Catholici omnes una voce teſtentur: laude ea opera digna adſeruntur, quae nullo pravo fine operantis ſunt vitiata, & dumtaxat meritoria ſunt temporalis praemii, ut protinùs ex Divino eloquio, & Patrum doctrina oſtendemus de infidelium operibus bonis verba facturi.

Impugnatur ergò II. Theſis, qua adſtruitur infideles in omni opere peccare. Ea quippe opera peccaminoſa non ſunt, quinimò laude digna, quae in Sacris Litteris, vel à Deo praecepta, vel à Deo commendata leguntur. Id genus ſunt omnia opera ex objecto, & fine honeſto, vel ab Ethnicis ipſis patrata. Igitur commentitium eſt ſphalma Janſenianum. Nabucdonoſori namque viro Pagano Daniel ex Divino conſilio mandatum indixit, ut eleemoſynas erogaret. *Conſilium meum*, inquit Propheta Cap. IV. *placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime.* Eleemoſyna igitur, vel in Ethnico, laudabilis eſt, eique in-

(a) *S. Auguſtinus* Epiſtola CXL. *olim* CXX. *Cap.* 29. *num.* 7.

(b) *In Noviſſima editione Oper. S. P. Auguſtin. Hic eſt titulus laudatae Epiſtolae.* De Gratia Novi Teſtamenti Liber, ſive Epiſtola CXL. *Argumentum verò.* Auguſtinus Honorato reſpondens ad illius quinque quaeſtiones, praeter quas ſextam ſibi ipſe proponit, de gratia Novi Teſtamenti adversùs Pelagianos tractandam, & Pſalmum viceſimum primum ad eam rem totum interpretatur.

Digitized by Google

dicta fuit, ut opus moraliter bonum: non quòd hoece naturalis ordinis opus sit disposítio ad gratiam, sed ea ratione, quòd duritiei tóllat impedimenta; necnon per restitutionem alienae rei satisfiat debito justitiae commutativae. Innumera itidem extant id genus opera, ea nimirùm, quae Decalogi lege praecipiuntur, omnibus universim hominibus, sive ad fidem sint conversi, sive in errore persistant, sunt indicta; ab eisque ex Divino mandato sunt adimplenda. Similiter II. Regum XVII. & XVIII. laudantur Berzellai Galaadites, ejusque Socii, qui Davidi, & exercitui ejus necessaria praestiterunt: qua ex causa David eis benedixit, gratesque rependit. III. Reg. XXI. commendatur humiliatio Acabi, cujus ex momento ab illo Deus iram avertit (a). Quid insuper? Vel ex eo dignoscitur honestas horumce operum ab infidelibus patratorum, modò ea pravo fine non vitientur, quia D.O.M. (qui nonnisi prò bono opere mercedem retribuit) non solùm commendavit quamplura hujusce conditionis opera à Gentilibus facta, verùm copiosa temporali mercede remuneravit. Quapropter ditavit Aegyptias obstetrices, quae ex misericordiae momento, adhuc contrà feralem edictum Pharaonis incolumes servarunt Hebraeorum masculos (b). Rahab cum tota familia per Josue Dei servum, ducemque Israëlitici populi in Jericuntina obsidione ab incendio fuit erepta, quia Israëlitis exploratoribus Terrae promissionis gratiam praestitit (c). Cyrum Persarum Regem, qui Hebraeorum captivitatem solvit, & Templi restaurationi operam praestitit, Victorem fecit, eique adversantium Regum fasces, & dorsa subjecit (d); hisque similia non pauca prostant in Divino Eloquio exempla, quibus ostenditur, quàm procul à vero abeant hostes rationalis naturae, & Divinae Gratiae vituperatores, qui & Dei Conditoris opera pessumdant, & Redemtoris dona labefactant.

In Novo quoque Foedere Christus Dominus apertè enunciat bona opera Ethnicorum, quibus proinde solùm ex defectu gratiae, & consectanei meriti supernaturalis aeternam mercedem non respondere, secùs autem ea esse labe aliqua vitiata ex defectu fidei operantis, diserté manifestat. Matth. V. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? Nonne, & Ethnici hoc faciunt?* Ut nimirùm agnoscant Apostoli se se adctos ad nobiliorem vivendi for-

(a) *III. Reg. XXI.* Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus.

(b) *Exodi I.* Timuerunt autem obstetrices Deum, & non fecerunt juxtà praeceptum Regis Aegypti, sed conservabant mares'... Benè ergò fecit Deus obstetricibus: & crevit populus, confortatusque est nimis. Et quia timuerunt obstetrices Deum, aedificavit eis domos.

(c) *Josue VI.* Urbem autem, & omnia, quae erant in ea, succenderunt, absque auro, & argento, & vasis aeneis, ac ferro, quae in aerarium Domini conlecrarunt. Rahab verò meretricem, & domum patris ejus, & omnia quae habebat, fecit Josue vivere, & habitaverunt in medio Israël usque in praesentem diem, eo, quòd absconderit nuntios, quos miserat, ut explorarent Jericho.

(d) *Esdrae lib. I. Cap. I. ità laudatus Esdras scribit*: In Anno primo Cyri Regis Persarum, ut compleretur verbum Domini ex ore Jeremiae, suscitavit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum, & traduxit vocem in omni regno, etiam per scripturam, dicens. Haec dicit Cyrus Rex Persarum: Omnia regna terrae dedit mihi Dominus Deus Coeli, & ipse praecepit mihi, ut aedificarem ei domum in Jerusalem, &c.

Digitized by Google

formam, eamque perfectionem, quae Dei ministros deceat, aeterno proemio coronanda in Coelis. Quòd si nobilior ea est forma, ad quam promoveantur, haud damnabilis ea est vivendi conditio, suprà quam operari debent; sed bona quidem est, & intrà naturalis rectitudinis cancellos clausa: laude digna, sed non aeterna mercede. Ad hanc ergò, ut perveniant, additur eis. *Estote ergò vos perfecti, sicut & Pater vester Coelestis perfectus est.* Apostolus itidem Ad Rom. II. commendat aliqua ejusdem rationis opera à Gentilibus patrata, utpotè conformia legi naturae scriptae in cordibus eorum. *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt* (a), ea, nimirùm, quae solis viribus naturae fieri possunt absque fide. Optimè enim ait Angelicus: (b) *Quòd per infidelitatem non corrumpitur totaliter in infidelibus ratio naturalis, quin remaneat in eis aliqua veri cognitio, per quam facere possunt aliquod opus de genere bonorum*: quod ante eum docuerat M. P. Augustinus ità expendens laudatum Apostoli textum. (c) *Gentes, quae legem non habent, hoc est legem Dei, naturaliter, quae legis sunt faciunt; & quia hujusmodi homines ipsi sibi sunt lex, & scriptum opus legis habent in cordibus suis, idest non omni modo deletum est, quod ibi per imaginem Dei, cùm crearentur, impressum est.*

Ostenditur eadem Catholica veritas ex constanti traditione Patrum adversùs Jansenium, ejusque gregales. Origenes quippè expendens ea verba Apostoli ad Rom. II. *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum, Judaeo primùm, & Graeco*: ità ad rem nostram loquitur: (d) *Graecus, idest Gentilis, qui cùm legem non habeat, ipse sibi est lex: ostendens opus legis in corde suo, & naturali ratione immotus: (sicut videmus nonnullos in Gentibus) vel justitiam teneat, vel castitatem servet, vel prudentiam, temperantiam, modestiamque custodiat.* Hieronymus pariter idipsum adstruit dicens. (e) *Multi absque fide, & Evangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sanctè: ut parentibus obsequantur.* Chrysostomus in eadem quoque est sententia, dum adstruit. (f) *Deum sic hominem finxisse, ut posset per se virtutem eligere, & vitium declinare.* Et iterùm dum docet (g), quòd *Nemo est usque adeò malus, qui non habeat aliquid boni, cujus ratione mereatur aliquod bonum temporale.*

Quia verò res est Jansenius in adsciscenda sibi, estò adparenter, S. P. Augustini sententia, ut facilius liberiusque opinari possit, è re catholica futurum existimo, si M. P. monumenta, eaque non pauca, nec levia, in medium producam, quibus apertissimè falsitas opinantis detegatur; eisque ad majorem

(a) *Ne erres, confer hanc doctrinam à nobis traditam cum reliquis suprà expensis, & cum iis, quae habet Angelicus* 1. 2. *Quaest. XCI. Art.* 2. & *Qu CIX. art.* 4. & *alibi, ubi duntaxat aliqua facilia legis praecepta posse sine gratia Salvatoris impleri in statu naturae lapsae, secùs autem, aut totam Legem, aut difficiliora praecepta, vel etiam levia urgente gravi tentatione aperte docet. Consule etiam Thomistas, illustresque ceteros Theologos de hac re fusè agentes.*

(b) *S. Thomas* 2. 2. *Qu. X. Art.* 4. *ad* 3.

(c) *S. Augustinus lib.* de Spiritu, & littera *Cap. XXVIII.*

(d) *Origenes* Lib. II. in Epistol. ad Romanos *Cap.* 2.

(e) *S. Hieronymus* Commentar. in C. I. Epist. ad Galatas.

(f) *S. Joban. Chrysostom.* Homil. XXXVII. in Matth. & primis V. Homiliis in Cap. 2. Epistol. ad Romanos.

(g) *Idem* Homil. LXVII. ad Populum Antiochenum.

Digitized by Google

veritatis triumphum addam S. Thomae monumenta, quum firmum, & ineluctabile sit argumentum S. Patrem in ea fuisse sententia, quam Angelicus tuetur, quippe, qui fidissimus Aquilini Magistri discipulus, remis, velisque contendit, ut illius sententiam sartam tectam servaret. Laudat enim in primis Doctor Maximus Polemonis Ethnici continentiam, eamque ab ea labe, qua Jansenius foedare studuit, repurgat. Et quamvis ex dono Dei admirabilem in eo conversionem ex impudico in continentem demiretur; eam quippe ex auxilio Dei, ità admisit, ut non ad perfectam conversionem faciens Dei donum adseruerit (quod solùm Yprensis admittit, ut infrà iterùm explicabitur) adeòque etiam sine perfecta charitate: imò absque fide stare posse, adhuc in Ethnicis, praefata opera bona Augustinus adfirmavit. Quod cùm ità sit, nonne ex eo firmius catholica doctrina munitur, dum etiam in Pagano donum continentiae absque fide, sine charitate, & suspicitur, & laude dignum praedicatur? Inquit enim S. Doctor. (a) *Polemo ergò si ex luxurioso continens factus ità sciret cujus esset hoc donum, ut cum, abjectis superstitionibus gentium piè coleret, non solùm continens, sed etiam veraciter sapiens, & salubriter religiosus existeret: quod ei non tantùm ad praesentis vitae honestatem; verùm ad futurae vitae immortalitatem valeret.* Idem luculenter tradit alibi (b), dum etiam in schismaticis digna laude ea enunciat opera, quae in ceteris fidelibus charitate insignitis meritoria sunt insuper vitae aeternae. *Si quis*, inquit, ... *in aliquo schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationem, angustias, famem, nuditatem, persecutionem, pericula, carceres, vincula, tormenta, gladium, vel flammas, vel bestias, vel ipsam crucem timore gehennarum, & ignis aeterni, nullo modo ista culpanda sunt; imò verò, & haec laudanda patientia est.* Similiter alibi (c) docet etiam ab impiis, infidelibusque non semel ea patrari opera, quae laude sunt digna, utpote conformia rectae rationi hominis, & legi impressae in corde ejus. *Si enim hi*, ait, *qui naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, non dum sunt habendi in numero eorum, quos Christi justificat gratia; sed in eorum potiùs, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter, justèque colentium, quaedam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quae secundùm justitiae regulam non solùm vituperare non possumus, verùm etiam meritò, rectèque laudamus: quamquam si discutiantur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quae justitiae debitam laudem, defensionemve mereantur. Verùmtamen, quia non usque adeò in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla ei velut lineamenta extrema remanserint, undè meritò dici possit etiam in ipsa impietate vitae suae facere aliqua legis, vel sapere; si hoc est, quod dictum est quia „ gentes, quae „ legem non habent, „ hoc est, legem Dei, „ naturaliter, quae legis sunt, faciunt „, & quia hujusmodi homines „ ipsi sibi sunt „ lex, & scriptum opus legis habent in „ cordibus suis „, ideò non omni modo deletum*

(a) *S. Augustinus* Epistola *olim* CXXX. *nunc* CXLIV.

(b) *Idem* Libro de Patientia *Cap. XXVI.*

(c) *Idem* Libro de Spiritu, & littera *Capit. XXVII. & XXVIII.*

Digitized by Google

tum est, quod ibi per imaginem Dei, cùm crearentur, impressum est. Tandem ut ab aliis, quae laudari possunt, S. Patris dilucidis monumentis, abstineam, nonne Aquilinus Doctor evidentissimè etiam in Ethnicis ea commendavit opera moraliter bona, quae laude sunt digna, estò haud meritoria coelestis coronae? Procul dubio, vel firmissimè id probat, quia perpendens, (a) *quos Romanorum mores, & quam ob caussam Deus ad augendum imperium adjuvare dignatus est, in cujus potestate sunt etiam regna terrena*, quamplura in Quiritibus, estò Paganis, opera moraliter bona commendat, quorum momento Deus temporalem eis mercedem retribuit, eorum imperio adaucto. Quum ergò ex M. P. doctrina Deus temporalem rependerit Romanis mercedem prò laudatis operibus, quis unquam, nisi dilucidae veritatis sit hostis infestus, audebit adserere ex Augustino omnium infidelium opera esse peccata, quae certissimè Deus non praemiat, sed punit? Quis ex Aquilino Doctore ea damnabit opera, quae ipse commendat? Fucum ergò faciunt Magno Ecclesiae luminari, qui suas in partes trahere conantur Theologorum Principem, ut ex eo damnent cuncta infidelium opera, eaque omnia vitii, & culpae fuligine adspersa declarent.

Non me latet saepissimè Augustinum ab Ethnicorum operibus laude dignis eliminasse rationem verae, perfectaeque virtutis. Sed quid inde? Fortè fortuna, vel ex eo diris devovet ea Sanctissimus Praesul? Minimè gentium. Qui vel ejus operum dumtaxat umbilicum conspexit, S. Patrem ab ea injuria vindicat, & ex eo contrà Jansenium sentit. Quum enim Gratiae Propugnator totus sit in enervandis paralogismis Pelagianorum naturae operibus omnem vim tribuentium, etiam in ordine ad quaecumque difficilia facinora; & idcircò in medium proferentium nonnulla id genus opera (quae & nos in Ethnicis demiramur, & Historici saepè commendant) propter quae gratiam conferri contendebant; jure summo Augustinus ab eisdem operibus eam ablegat rationem virtutis, propter quam gratia conferatur, & cui aeterna merces prò merito respondeat. Vera namque perfectaque virtus ea est, quae ex vera Justitia consurgit; & quia haec sine fide, absque gratia Christi Redemtoris subsistere nequit, idcircò Augustinus non absolutè virtutis substantiam in eisdem operibus Ethnicorum inficiatur, sed verae, perfectaeque virtutis rationem ab eisdem excludit. *Quomodo enim est in eis vera justitia, in quibus non est vera sapientia?* inquit (b) M. P. redarguens Julianum ad praefata Gentilium opera confugientem, ut gratiam enervaret. Idque non semel alibi reperit S. Doctor (c), ut ex ejus operibus constat, & norunt Eruditi nullo praejudicio erroris detenti.

Similiter quum Augustinus etiam in Ethnicis virtutes reprehendere videtur, easque vitiosa sorde conspurcatas adserere; qua de caussa docuit non virtutes esse dicendas, sed vitia: procul dubio id non adseruit ex defectu fidei pro-

(a) *S. Augustinus* Lib. V. de Civitate Dei *Capit. XII. & XV.*

(b) *S. Augustinus* Lib. IV. contrà Julianum *Cap. III. num. 17.*

(c) *Idem* Lib. V. de Civitate Dei *Cap. XIX. & XX.* & Lib. XIX. *Cap. XXV.*

Digitized by Google

proveniſſe, ferè ac (ut comminiſcuntur Janſeniani) ex hac infecta radice truncus totus, ramus quilibet ſit infectus, omniaque proinde infidelium opera ex eo ſint peccaminoſa, quia ab infideli procedunt; ſed dumtaxat in ea fuit ſententia, quia Ethnici ex φιλαυτία ſeu ex amore proprio moti, prava circumſtantia finis opus ſuapte natura bonum commacularunt, honoris fumum, & gloriolae humanae auram intendentes in operibus iſtis: quod certè etiam in ipſis fidelibus damnabile eſt, & ut M. Gregorius, inquit (a), theſaurum bonorum operum diſperdit.

At etiam dato, quòd M. P. id de omnibus Paganorum operibus adſtruat (b), qui revera id univerſim haud adfirmat (c), quaenam prò damnatae theſis Patronis palma, quinam prò Janſenianis triumphus? Factum ex circumſtantia pravi finis vitiatum reprehendit Africanus Doctor, ſed falſum dogma non adſtruit. Non quidem impoſſibile adſtruit opus moraliter bonum in iis, quibus deficit fides, eſtò generatim Gentiles omnes ex eo pravo fine devictos commaculaſſe opera praefata adſeveret; quinimò, vel ex eo opus honeſtum in iis etiam vindicat, quia ab eiſdem corruptum illud dicit ex vitioſa circumſtantia vanitatis intentae. Ex adverſo Janſeniani, nedum cum Auguſtino *veras virtutes* in infidelibus inficiantur, ſed inſuper omnia, & quaecumque illorum opera peccaminoſa decernunt, quod certè nunquam Auguſtinus effutivit, ut prae ceteris adnotavit Cl. Cardinalis Noriſius (d), eſtò inſignis Purpuratus totus ſit in adſtruenda ex S. Patre ſola vera virtute in habentibus fidem. Similiter in eo diſcrepant ab Auguſtino Hipponenſi Pſeudo-Auguſtini, ſeu Iprenſis diſcipuli, quia hi una cum eorum Magiſtro Cornelio nullam in infidelibus gratiam ad quodcumque opus admittunt, qui dumtaxat gratiam ſuperioris ordinis victricem neceſſitantem, & actu ab infidelitate ad fidem, à culpa ad virtutem meritoriam convertentem agnoſcunt; eamque praeter, quodcumque aliud Dei donum inficiantur; nullam itidem aliam gratiam naturalis ordinis, eamque ſpecialem in natura lapſa, confitentur. At ex adverſo S. P. Auguſtinus, qui longè diverſam gratiam ſuapte natura efficacem admiſit, nedum gratiam Mediatoris ſufficientem ad opera pietatis cùm fidelibus, tum infidelibus collatam adſeruit; verùm, & ipſis Ethnicis in infidelitate perſiſtentibus quoddam Dei donum efficax ad bona opera honeſta naturalis ordinis patranda apertè conceſſit, adſeruit, probavitque. Ex innumeris autem S. Auguſtini monumentis, quae praeſtant in ejuſdem operibus, duo dumtaxat ſeligo ad oſtendendum, quàm procul abeant à M. P. novelli Pſeudo-Theologi. Primum eſt illud, quo S. D. lenitatem in Aſſueri Regis animo natam gratiae adſcribit. (e) *Antequam mulieris ſermonem poſcentis audiſſet, occultiſſima, & efficaciſſima poteſtate convertit, & tranſtulit ab indignatione ad lenitatem,*

hoc

(a) *S. Gregor. M.* Homil. II. in Evangel.

(b) *Vide Cardin. Noriſium* Vindiciae Auguſtinianae *Cap. I. §. IV.*

(c) *Vide monumenta M. P. à nobis laudata.*

(d) *Card. Noriſ.* Vindiciae Auguſtinianae *ibidem.*

(e) *S. Auguſtinus* Lib. I. ad Bonifacium *C. XX.* & lib. de Gratia Chriſti *Cap. XXIV.*

Digitized by Google

hoc est de voluntate laedendi ad voluntatem favendi. Alterum est illud, quo continentiam Polemonis Philosophi Divinae gratiae deputandam scribit. (a) *Tamen ne idipsum quidem, quod meliùs in eo factum est, humano operi tribuerim, sed Divino*. Et ne in peculiari dumtaxat casu, particularique causſa id solùm ex M.P. adsertum comminiscantur Oppositores, lubet tertium ex eo depromere monumentum, veluti generalem thesim, qua ex adverso Jansseniana universalis falsa propositio enervetur. Loquens enim S. P. de Schismatico, qui timore gehennae poenas sustinet, ne Christum neget, id evenire adserit ex dono Dei, etsi citrà meritum vitae aeternae. (b) Quinimò idipsum universim adserit in cereris quibuscumque, sive fidelibus peccatoribus, sive Judaeis, sive Haereticis, qui illustria honesta opera exercent. (c) „Neque enim hoc non est bonum, ut credat homo aeterno supplicio se esse „ puniendum, si negaverit Christum, „ ut prò ista fide qualecumque supplicium perferat, & contemnat humanum. -- Proindè sicut negandum non „ est hoc etiam esse donum Dei, ità intelligendum est, alia esse Dei dona „ filiorum illius Hierusalem, quae sursum libera est Mater nostra. (Haec „ sunt enim quodammodo haereditaria, „ in quibus sumus *haeredes Dei, cohaeredes autem Christi.*) Alia verò possunt „ accipere etiam filii concubinarum, „ quibus Judaei carnales, & Schismatici, vel Haeretici comparantur. Quamvis enim scriptum sit: *Ejice ancillam,* „ *& filium ejus: neque enim haeres erit* „ *filius ancillae cum filio meo Isaac*. Et „ Abrahae dixerit Deus: *In Isaac vocabitur tibi semen*, quod sic est Apostolus interpretatus, ut diceret: *Ideſt*, „ *non qui filii carnis, hi filii Dei, sed filii promissionis deputantur in semine*; „ ut intelligeremus semen Abrahae secundùm Isaac propter Christum ad „ Dei filios pertinere, qui sunt Corpus „ Christi, & membra, ideſt, Ecclesia Dei una, vera, germana, Catholica tenens piam fidem: non eam, „ quae per elationem, vel timorem, „ sed eam, quae per dilectionem operatur: tamen etiam filios concubinarum, quando à filio suo Isaac dimisit „ Abraham, nonnulla eis largitus est „ munera, ne relinquerentur omni modo inanes, non ut tenerentur haeredes. Sic enim legimus: *Dedit autem* „ *Abraham omnem censum suum Isaac filio suo, & filiis concubinarum suarum* „ *dedit Abraham munera, & dimisit eos* „ *ab Isaac filio suo*. Si ergò filii sumus „ liberae Hierusalem, alia dona exhaeredatorum, alia intelligamus haeredum. *Hi enim haeredes sunt*, quibus „ dicitur, *Non enim accepistis, spiritum* „ *servitutis iterùm in timorem, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*, „ *in quo clamamus, Abba, Pater*. „ Cum ergò ex Theologorum vertice laudata infidelium opera honesta sint ex dono Dei, quomodo fas est Jansenio, & affectis peccato obnoxia ea decernere, & decantare? Quum insuper haec dona prò eisdem Ethnicis sint reservata, ne-

filii

(a) *Idem* Epistola CXLIV. *novae editionis*. *Vide suprà*.
(b) *S. P. Augustin.* Lib. de Patientia *Cap.* 26.
(c) *Idem ibid. Capp.* XXVII. & XXVIII.

Digitized by Google

filii concubinarum prorsùs sint sine munere, qui sunt absque haereditate: qua fronte damnati erroris Patroni possunt adseverare infideles semper peccare, & in quolibet opere ex necessitate deficere? Errant, mentiuntur, qui ità gratiae, & naturae detrectant.

Quum autem Angelicus Doctor inter selectissimos S. Augustini discipulos primorem obtineat locum, utpote qui penitius M.P. mentem perscrutatus, clarius cuncta distinxit, luculentiùsque expressit, ex eodem Aquinate calculum addere ad confirmationem adsertionis praesentis non abs re erit. Et quamvis ex hìc adnotatis, superiùsque laudatis Sancti Thomae monumentis clarissimè evincatur cùm peccatorum, tùm infidelium opera non ideò universim criminosa fore, quia elicita ab homine, aut gratiae, aut fidei experte; tamen, ut adversarii plenius ventilentur, non taedet alia ejusdem Angelici monumenta laudare. Quaerens enim S. Doctor. *Utrum omnis actio infidelis sit peccatum?* ità ad rem dubium resolvit. (a) „ Respondeo dicendum, quòd, sicut suprà dictum est (1.2. „ q.85. art.1. & 2.) peccatum mortale „ tollit gratiam gratum facientem, non „ autem totaliter corrumpit bonum naturae. Undè cùm infidelitas sit quoddam peccatum mortale, infideles quidem gratia carent: remanet tamen „ in eis aliquod bonum naturae. Undè „ manifestum est, quòd infideles non „ possunt operari bona opera, quae „ sunt ex gratia, scilicet opera meritoria: tamen bona opera, ad quae sufficit bonum naturae, aliqualiter operari possunt. UNDE NON OPORTET QUOD IN OMNI SUO OPERE PECCENT. Sed quandocumque „ aliquod opus operantur ex infidelitate, tunc peccant. Sicut enim habens „ fidem potest aliquod peccatum committere in actu, quem non refert ad „ fidei finem, vel venialiter, vel etiam „ mortaliter peccando: ità etiam infidelis potest aliquem actum bonum „ facere in eo, quod non refert ad finem infidelitatis. „ Hoc ipsum pluries Angelicus alibi tradit (b), & ità dilucidè, ut sufficiat solummodo illum indigitare: praesertim quia nec vel unus quidem S. Doctoris sententiam in dubium revocavit.

Opponunt tamen adversae partis Patroni quaedam monumenta, ac momenta, quibus Catholicae veritati fucum facere pertentant. I. Est illud celebre Apostoli ad Rom. IV. *Omne, quod non est ex fide peccatum est*; quod quidem nedum Augustinus, verùm, & innumeri alii PP. laudati à Cardinale Norisio (c) expendunt de operibus extrà fidem factis; ac proinde idcircò omnia infidelium opera, ut peccata adstruantur, oportet. II. est illud ex eodem Apostolo Ad He-

(a) *S. Thomas* 3.2. *Qu. X. Art. IV.* in corpore.
(b) *S. Thomas* in Epistola ad Rom. *Cap. XIV. circà finem.* 1.2. *Qu.*109. *art.*5. *in O. & alibi. Et* Qu. VII. de Malo.
(c) *Card. Noris.* Vindiciae Augustianae *C. II. §. V. id probat nedum ex Augustino* Lib. I. de Nuptiis, & concupiscentia *Cap. III. & alibi pluries, verùm ex S. Leone M.* Serm. II. de Jejunio Pentecostes, & Serm. VIII. de Quadragesima. *S. Bonifacio II.* Epistola ad S. Caesarium Arelatensem. *Ex Synodo Byzacena, & Ecclesiae Ritibus, & Rituali Romano ex S. Prospero* Epistola ad Rufinum. *S. Fulgentio* Lib. II. de peccat. remission. *c.* 1. *S. Isidoro* lib. de Summo Bono *c.* 2. *S. Bernardo* Sermon. XXX. & LI. in Cantica, *aliisque, quos legesis apud laudatum Norisium.*

Digitized by Google

Hebr. XI. *Sine fide impossibile est placere Deo*: necesse est ergò, ut infidelis, quia fide caret, Deo semper displiceat; adeòque quòd omnes ejus actiones sint peccati fuligine adspersae. III. Idem Gentium Doctor ad Titum I. ait: *Omnia munda mundis, inquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum*. IV. Matth. VII. Christus aic: *Non potest arbor mala fructus bonos facere*. Atqui infidelis est arbor mala. Ergò nullum bonum fructum, nimirùm, nullum opus bonum facere potest. V. Tandem Patres universim detestantur opera infidelium, etiam ea, quae videntur ex objecto bona, quia dumtaxat larva quadam virtutis ea tecta adserunt, & revera scelesta eadem esse ex fidei defectu adseverant. Ambrosius enim virtutes infidelium comparat foliis arboris corruptae radicis (a). Hieronymus ità adserit (b) *nullum absque Christo vivere, ut sine eo omnis virtus in vitio sit.* S. Prosper *justitiam infidelium non esse justitiam, & sordere naturam sine gratia*, constanter adfirmat (c). Id ipsum docet S. Fulgentius (d), cui subscribunt etiam Primasius (e), Prudentius (f), Lupus Servatus (g), Remigius (h), Bernardus (i), & alii non pauci, praecipuè V. Beda (k), qui disertè fatetur, quòd *Omnis infidelium vita peccatum est*. Igitur, concludunt adversarii, ex Dei Verbo Scripto, & Tradito, necesse est adserere, quòd infidelis in omni suo opere peccet. Quandoquidem cùm ea certè sint crimina, quae nec in ordine naturali habent bonitatem, quomodo poterunt malitia expoliari opera infidelium, quorum vita peccatum est, quorum actiones nullam bonitatem, nisi adparentem, & fucatam habent, nec ullimodè in Deum, quem verè infideles non colunt, possunt referri?

Perperàm tamen haec objiciunt Bajani, & Jansenianí, quorum proinde sophismata facillimè deteguntur, & profligantur, dum viritim omnes eorum objectiones enodantur, ac dissolvuntur. Ad I. igitur monumentum Apostoli dicimus, quòd, estò aliam, eamque germanam pariter subeat interpretationem (l), adhuc tamen juxtà laudatorum Patrum intelligentiam nullum nobis faceſſat negotium. Quandoquidem, ut optimè advertit Angelicus: (m) *Verbum illud* (nimirùm *omnis infidelium vita peccatum est*, ut dicit Glossa (n) super illud ad Romanos XIV. *Omne quod non est ex fide peccatum est*, ab eodem Angelico laudata) *est intelligendum, vel quia infidelium vita non potest esse sine peccato, cùm peccata sine fide non tollantur; vel quia quidquid*

(a) *S. Ambrosius* in Psalmum I.
(b) *S. Hieronymus* in Cap. 3. Epist. ad Galatas.
(c) *S. Prosper* Epistola ad Ruffinum *cap.* 7.
(d) *S. Fulgentius* lib. 2. de veritate praedestinationis *cap.* 5.
(e) *Primasius Episcopus Africanus circà dimidium VI. Seculi clarus* in epist. ad Rom. XIV.
(f) *Prudentius* adversùs Joh. Scotum *cap.* 4.
(g) *Lupus Servatus* lib. de tribus quaestionibus *q.* 1.
(h) *Remigius* Lib. de tribus epistolis *cap.* 22.
(i) *S. Bernardus* Serm. de Annunciatione.
(k) *Beda in* XIV. Cap. ad Romanos.
(l) *Interpretatio etiam legitima illius textus est ista*, quod non est fide, quòd non est ex conscientia, *nimirùm, quod non est juxtà dictamen practicum rationis*, peccatum est.
(m) *S. Thomas* 2. 2 *Qu. X Art. IV. ad I.*
(n) *N. Johannes Nicolai ad notam marginalem S. Thomae ibidem haec habet*: Non Glossa tantùm, sed Augustini apud Prosperum lib. Sententiarum ex Augustino collectarum Sent. 105. Et apud Bedam in Epitolam ad Romanos. Additamentum autem sequens neuter habet, sed colligitur ex lib. IV. contrà Julianum cap. 3. ubi plenius hoc explicat; etsi nec locum notet Glossa.

Digitized by Google

agunt ex infidelitate peccatum est. Unde ibidem subditur, quia omnis infideliter vivens, vel agens, vehementer peccat. Et ex hac S. Thomae responsione, ut constat, dissolvitur argumentum ex authoritate V. Bedae, aliorumque Patrum petitum, quod mox clarius, firmiùsque profligabitur.

Ad alterum ex Apostolo pariter petitum argumentum dico, quòd nullatenus adversatur catholicae veritati Apostolicum monumentum, quin potius confirmet: praecipuè si Apostoli scopus, & contextus non peregrinante oculo ab homine nullo praejudicio detento spectetur. Quum enim Apostolus totus sit in insinuando adcessu ad Deum authorem supernaturalem, cui ut anima adhaereat, à fide initium sumere debet, quum ex fide laudatus adcessus originem sortiatur, jure summo ad fidei basim confugit. Ideòque dum inquit: *Sine fide impossibile est placere Deo*, protinùs subjunxit: *Credere autem oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*: quinimò, & actutùm quamplura adposuit exempla Heroum Veteris Testamenti, qui formatae fidei illustria exantlarunt facinora. Igitur Apostolus ibi loquitur de actione meritoria, & ordinis superioris, quae à fide originem sumit, spe procedit, & charitate crescit: adeòque ex adverso nullam actionem meritoriam esse, nullam ad aeternam vitam conducere ostendit, quae non sit ex fide. Hoc, inquam, Apostolus docet, & nos ultrò libenterque excipimus, aperto capite veneramur, & sonora voce confitemur. Sed quid inde? Numquid ne ex eo legitimè infertur, quòd quaelibet actio infidelium sit prava, & Deo dispicens, estò ex objecto, & fine rationi conformis? Neutiquam, certè. Conclusio est inepta, insulsa, illegitima, & contrà omnes regulas artis syllogisticae: quandoquidem nullimodè Deo displicet, quod est juxtà lumen naturae, quodque idcircò Deus praemio donat. Hujusce conditionis sunt aliqua infidelium opera à nobis hucusque vindicata. Igitur ea ex caussa praefata opera non repelluntur à Deo. Quinimò ad Deum etiam referuntur eadem opera, utpotè ad primam caussam, primumque scopum naturalis honestatis. Quapropter Angelicus discrimen adsignans inter opera pietatis à fideli elicita, & honesta moraliter opera ab infideli patrata, sic ait: (a) *Fides dirigit intentionem finis ultimi supernaturalis; sed lumen etiam naturale rationis potest dirigere intentionem respectu alicujus boni connaturalis.* Et per haec dissolvitur sophisma postremo loco adpositum.

Ad III. Apostoli monumentum respondeo, quòd nimis violenter illud pertrahitur ab adversariis, & directè quidem contrà mentem Doctoris Gentium, qui in laudato loco dumtaxat probare contendit peccare eos, qui legem Mosaica prohibitas carnes comedebant, dum adhuc in ea erant sententia, quòd viguerit lex per Moysen data: non quia reapse legem violabant, sed quia contrà conscientiam agebant: ex adverso innoxii erant, qui dignoscentes jam cessasse Legalia, sine ulla discretione, cibis iis vescebantur, à quibus abstinebant Hebraei ideò-

(a) *S. Thomas 2. 2. qu. 10. art. 4. ad 2.*

Digitized by Google

ideòque non esse eosdem cibos Christianis immundos rectè subjungit, quia sine ullo scrupulo eos comedebant; & dum emundati per baptismum, & exemti ab onere legali eisdem vescebantur, nullâ, vel legali macula conspurcabantur. *Omnia munda mundis.* Quod autem immediatè subdit Apostolus: *Coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatae sunt eorum mens, & conscientia*, nec adversariorum cauffae favet: quandoquidem ex eodem Apostoli scopo tantummodò indigitatur, quòd dumtaxat infideles illi, qui ex mala fide operantur, & peccatores, qui contrà rationis regulam, & contrà conscientiam agunt, semper peccant: qua de cauffâ etiam, quae suapte natura sunt munda, malè operantibus, seu contrà rationem, & conscientiam agentibus fiunt immunda. Verùm etiam ad duriciem dato, quòd ibidem Apostolus carpat infideles, eos nimirùm, qui fide carent, numquid ne ex eo omnia infidelium opera peccaminosa adferere fas est, quia eis deficit fides? Minimè gentium, sed tunc solùm, cùm ex principio infidelitatis operantur; sicut & peccatores in omni opere peccant, cùm ex momento aversionis à Deo operantur: quod certè dici, nequit de operibus ex objecto bonis, nullaque alia circumstantia depravatis. *Quando ergò*, optimè ibi concludit Angelicus, (a) *peccator facit aliquod secundùm quòd est peccator, & infidelis, totum est peccatum ex radice. Sed si quid facit ex principio alicujus boni, quod habet, vel fidei informis, vel naturae, non est immundum. Et ideò signanter dicit coinquinatis, & infidelibus, ideſt in quantùm sunt hujusmodi. Comedebant enim contrà conscientiam, & errabant in fide. Et ideò, quod de natura sua est mundum, fecerunt sibi immundum. Cujus causa est, quia causa actuum eorum est immunda, scilicet voluntas, & intellectus, qui sunt in eis depravati.*

Ad monumentum Matthaei respondemus, quòd utique arbor mala nequit bonos fructus facere; ideòque nec infidelis facere potest opera pietatis meritoria vitae aeternae, quia deficit eis radix boni operis supernaturalis, videlicet fides. Verùm quia in linea honestae operationis non est penitùs in infideli corrupta natura; quinimò liberum arbitrium, & naturalis ratio vigent in eo, adeòque in ea ratione arbor bona dicendus est Judaeus, Paganus, & quilibet infidelis, ut ex Angelico pluries est adnotatum, potest utique in ea ratione honesta aliqua opera patrare, utpotè quae sunt conformia legi naturali, & dictamini rationis, nec ullimodè ex pravo fine sunt vitiata; & consequenter ex praefato honestatis momento sunt laude digna. Quapropter idem met veritatis Magister, qui in praefato Matthaei loco objectam nobis propositionem docuit, eandem ad rem nostram, non verò juxtà commentum Jansenianorum, explicavit. Et nonne ipsemet Christus laudavit, quaedam scelestorum parentum opera, naturalem, videlicet, adfectionem, & providentiam ergà filios? Dubio procul: quinimò ex eisdem operibus, ut laude dignis, argumentum efformavit ad ostendendam maximam Divini Patris charitatem ergà homines ad se confu-

(a) *S. Thom.* Lect. IV. in Cap. I. Epist. ad Tit.

Digitized by Google

gientes. *Si ergò*, inquit, *vos cùm sitis mali nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester, qui in Coelis est, dabit bona petentibus se?* Potest igitur etiam infidelis, qui mala est arbor, quia sine fide, sed non omninò malus in esse naturae (quae penitùs in eo non defit) aliqua moraliter bona opera patrare, quae commendatione sunt digna, & temporalem promerentur mercedem, ut pluries est explicatum.

Laudatas tandem Patrum authoritates nil obesse catholicae, quam tuemur, veritati vel ex eo perspicuum est, quia ex Patribus quoque vindicavimus nostram assertionem à calumniis Novatorum; & pariformiter, quia non semel Patrum legitimum sensum expendimus. Quare iterum adversùs Patronos confixi erroris dicimus, quòd non immeritò Patres, & Concilia reprobarunt infidelium vitam, & statum, quia cùm sine fide vivant, immundi sunt, & quia peccatores, longè abeunt à Regno, ad Tartara properant infelices. Verùm, quòd adhuc eorum hac misera conditione stante omnia illorum opera, etiam quae ex objecto, & fine moralem sortiuntur bonitatem, sint dicenda scelesta, asseri non potest absque injuria Creatoris. Cùm enim liberum eorum arbitrium donum Dei sit, effulgeatque in eis pariter imago Dei causa rationalis naturae, possunt utique opera digna laude patrare; estò ex defectu fidei, & charitatis nullum valeant opus supernaturale facere. Quapropter S. Fulgentius (qui ex adverso laudatur) dum de eisdem verbum facit, ità subdit: (a) *Quibus aliqua quidem bona, quae ad societatis humanae pertinent acquitatem, inesse possunt; Sed quia non fide, & charitate fiunt, prodesse non possunt*; quod infrà iterùm amplificat, explicatque ad pleniorem nostrae assertionis vindiciam, & confutationem adversi erroris, dicens: (b) *Justitiam, quae ex lege est, esse ex homine: justitiam verò, quae ex fide Christi est, non esse, nisi ex Deo.*

Et quamvis infideles, sicut etiam & peccatores, sint aversi à Deo; quia tamen habitualiter sunt tales, benè possunt actus aliquos moraliter bonos elicere: cùm non semper, & in omni opere sint actualiter à Deo aversi, etiam qui colunt idola: etenim actum hunc bonum non ex momento falsi cultus eliciunt, sed ex motivo honestatis, non secùs ac peccatores fideles, qui etsi persistant in crimine, aliquem tamen virtutis moralis actum elicere possunt, qui utique ex fine operis saltem refertur in Deum, ut constat; quum actus iste sit in bonum, quod à Deo omnium bonorum authore descendit, & à Deo, vel generali, vel peculiari etiam Provisore est; nimirùm, vel per generalem concursum, vel per speciale adjutorium, ordinis tamen naturalis, ut suprà ex M. P. Augustino observavimus. Idque praecipuè, quia cùm per originale peccatum non sit extinctum, estò debilitatum, infirmatum, & sauciatum sit liberum hominis arbitrium, ut non semel est probatum, benè potest homo ex viribus naturae aliqua honestatis opera, saltem

(a) *S. Fulgentius* Lib. de Incarnatione, & Gratia *cap.* 26.

(b) *Idem ibidem Capite* 27.

Digitized by Google

tem leviora patrare; majora autem non ſine ſpeciali auxilio naturali. Et quamvis etiam PP. non ſemel adſtruant (a) homini poſt lapſum nil aliud ineſſe, quàm propenſionem ad malum, & de ſuo nil aliud habere, quàm mendacium, & peccatum, quod etiam Arauſicana II. aliaeque Synodi diffinierunt (b): (hinc ex eo principio Janſenius omninò perdere hominem pertentat, dum expers hìc eſt gratiae, & fidei, & non ſemel Queſnellius concrepantibus buccis eodem ferme ex momento, idem repetit) tamen, ut compertum eſt, nonniſi per fucum id agunt, quia PP. & Synodi, id dumtaxat adſerere intenderunt, (quod ſaepiùs diximus, & nos) nimirùm, liberum hominis arbitrium ſine gratia ad opera ſalutis iners, & invalidum eſſe, pronumque ad malum cauſſa originariae labis; non autem, quòd ità ſit malo addictum, ut ſemper in malum inclinet, malumque eliciat, impos, vel leve honeſtum moraliter opus patrare. Hoc enim cùm non ſemel fuerit probatum, dumtaxat hìc confirmare lubet ex M. P. Auguſtino, qui diſertè ad hoc modicum ſufficere libertatis arbitrium dicit: quod tamen neceſſariò eget gratia Mediatoris, ut ad ſupernaturale bonum pertingat. (c) *Liberum arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum parum eſt, niſi adjuvetur ab omnipotenti Bono.* Et ratio ex eodem M.P. in promtu eſt. (d) *Quia non uſque adeò in anima humana Imago Dei terrenorum affectuum* (idem dicas de infidelitatis labe, quum eodem modo hìc loquatur Auguſtinus de peccatoribus, & de infidelibus) *labe detrita eſt, ut nulla in ea, velut lineamenta extrema remanſerint, unde meritò dici poſſit in ipſa impietate vitae ſuae facere aliqua legis, vel ſapere.*

Tertia damnata theſis ex eodem confixo principio, velut ex eadem corrupta radice, procedit. Quum enim novitatis amatores docuerint omne opus, quod non procedit ex charitate Patris, damnabile fore, & peccato haud carere, conſequenter etiam adſeruerunt odium peccati ob ſolam ejus deformitatem, & diſconvenientiam naturae rationali abſque ullo ad Deum offenſum reſpectu, eſſe peccatum, novaque macula animam conſpurcare. Quapropter cùm ex dictis jam ſit in principio confixo profligatus error, pauca ad impugnationem commenti addere oportet.

Et quidem quomodo adſtrui poteſt peccaminoſum opus, quod rationali naturae eſt conforme, ideſt menti, & lumini in mente ſignato ab authore naturae? Certiſſimè, qui ità operatur conformiter ad rationis normam, nedum criminis eſt expers, ſed inſuper honeſtè agit, quia ductum rationis ſequendo, & conformiter ad dictamen rationis agendo, virtuosè operatur. Peccatum enim nedum eſt adverſum Deo, illiuſque bo-

(a) *Patres, qui ità loquuntur, ſunt Auguſtinus, qui paſſim id adſtruit, & accipuè* Tract. V. in Johannem, *Zoſimus Papa* Epiſtola ad Epiſcopos Galliae, *apud Coeleſtinum Cap.* 9. *Coeleſtinus eadem* Epiſtola *Cap.* 7. & 8. *Leo M.* Sermone V. de Jejunio ſeptimi menſis *Cap.* 3. *Gregorius M.* Homil. IX. in Ezechielem, *Nicolaus I.* Ep. XXIV. ad Egilonem.

(b) *Concil. Arauſican. II. Can. XXII.* Nemo de ſuo habet niſi peccatum, & mendacium. *Ità etiam Synodus Valentina III.* Can. *VI. Lingonienſis, & Tullenſis.*

(c) *S. P. Auguſtinus* Lib. de Correptione, & Gratia *Cap. XI.* & Lib. de perfectione juſtitiae *Cap. II. Vide etiam ejus* Librum de natura, & gratia contrà Pelagium *cap.* 69. & 70.

(d) *Sanct. Auguſtin.* Lib. de Spirit. & litter. *Cap. XXVII.*

Digitized by Google

bonitati repugnans, omnimodè charitatem Divinam laedens, & majestatem offendens; verùm etiam est contrarium naturae rationali, adhuc si nullus in eo respectus ad Deum laesum adtèndatur: quum omne peccatum, qualecumque illud sit, sive de re mala, quia prohibita, sive de prohibita, quia mala, sit contrà naturam hominis, utpotè vitium virtuti adversum, quod sine dubio est contrà naturam hominis, ut homo est, juxtà dilucidam, probatamque S. Thomae, omniumque Theologorum doctrinam (a). Igitur sicut contrà naturam rationalem agit, qui peccat; & ideò criminis est reus, quia contrà regulam rationis operatur: ità virtuosè agit, qui detestatur peccatum eo ex momento, quia contrarium legi naturali. Oppositorum enim eadem est ratio, & disciplina, ut ex constanti, communique regula, & axiomate Philosophorum est notum. Quare sapientissimè idem Angelicus docuit: (b) *quòd de jure naturali est, quòd aliquis poeniteat de malis, quae fecit, quantùm ad hoc, quòd doleat ea fecisse,* quod pertinet ad detestationem criminis jam commissi: adeòque pariformiter recedere licet à peccato, ne committatur ex eodem naturali jure, & momento. Ex quo enim licet detestari crimen jam patratum, ex eo fas est illud abominari, ne committatur. Conformiter ergò ad naturae jus, & consequenter virtuosè aget, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam, quam habet ad naturam rationalem, etiam sine ullo ad Deum offensum respectu, idest praescindendo ab offensa Dei. Et nonne ab Augustino, ceteriisque Patribus laudantur Ethnici, qui detestati sunt culpam, vitiisque terga verterunt ex momento capessendae virtutis, & consequenter ex causa declinandi ab eo, quod contrà rationem erat, & adversum humanae, seu rationali naturae? Nonne pluries à laudatis Patribus in medium proferuntur monumenta Gentilium, qui vel detestanda dixerunt crimina, quia contraria sunt legi insculptae in cordibus hominum, & adversa honestae vitae? Ità sunt dilucida testimonia Patrum, ut solus ea in dubium vertat, qui tenebrio, & lucifuga luminaris majoris radios inficiatur. Ea autem omnia, vel hìc in compendium redigere, idem est, ac ex maris aquas in angustam colligere scrobem: quare sat est ea, vel digito, monstrare. Quum igitur laudati Ecclesiae Doctores commendent acta, & doctrinam Paganorum ad detestationem criminum facientia, dubio procul innoxium, imò, & honestum declarant recessum à culpa, etiamsi dumtaxat ex causa

(a) *S. Thomas* 1. 2. *Qu. LXXI. Art. II. in O. ait:* Considerandum est, quòd natura uniuscujusque rei potissimè est forma, secundùm quàm res speciem sortitur; homo autem in specie constituitur per animam rationalem: ideò id, quod est contrà ordinem rationis, propriè est contrà naturam hominis, in quantum est homo. Quod autem est secundùm rationem, est secundùm naturam hominis in quantum est homo. „Bonum „autem hominis est secundùm rationem esse, „& malum hominis est praeter rationem esse„ ut Dionysius dicit 4. C. de divinis nominibus. Unde virtus humana, quae hominem facit bonum, & opus ipsius bonum reddit, in tantum est secundùm naturam hominis, in quantum convenit rationi: vitium autem in tantum est contrà naturam hominis, in quantum est contrà ordinem rationis. *Idque etiam probat ibidem Angelicus in* Argum. sed contrà, *ex M. P. Augustin.* lib. 3. de libr. arbitr. *cap.* 14. *dicente*: Omne vitium eo ipso, quòd vitium est, contrà naturam est.

(b) *S. Thomas* 3. *p. Qu. LXXXIV. art. VII. ad I.*

Digitized by Google

cauſſa diſconvenientiae cum natura rationali, nullo habito reſpectu ad Deum offenſum, ſeu praeſcindendo ab injuria ipſius.

Et mirum ſanè eſt, quòd rigidiores Theologi ità loquantur, quum reapſe laxonibus victas dent manus, &, vel nolentes, in eorum caſtra deſcendant. Nonne idcircò etiam ipſi eo ex momento exſibilant paradoxon peccati Philoſophici, quia impoſſibile eſt, vel ſomniare opus hominis rationis compotis adverſum naturali juri, quod, vel ſaltem implicitè, non ſit contrarium Deo ejuſdem legis authori? Quomodo igitur in praeſentiarum hanc procudunt theſim, qua adſeritur culpabilis fuga peccati ea ex cauſſa, quia non vitatur ut offenſa Dei, eſtò vitetur ut contrarium naturae rationali? Eo ipſo, namque quòd peccatum eſt contrarium naturae rationali, & legi inſculptae in cordibus hominum, eſt pariformiter contrà ſupremum Conditorem hominum, & legis Authorem; adeòque offenſivum Dei: Quapropter ſic ad hominem eos arguo. Implicat in terminis dicere, quòd vitetur peccatum, ut laeſivum juris naturae, &, vel ſaltem implicitè, non vitetur, ut offenſivum Authoris naturae: quum non poſſit, vel concipi peccatum diſconveniens naturae rationali, quin etiam, ſaltem implicitè, non concipiatur adverſum hujuſce naturae Conditori. Atqui odio habere peccatum, utpotè laeſivum Divini juris, honeſtum eſt, & commendabile, ut conſtat etiam ex terminis damnatae theſis. Igitur etiam ſi nullus ſit ad Deum reſpectus (explicitus, nimirùm, alioquin foret implicantia in adjecto) dum tamen odio habetur, quia repugnans naturae rationali, honeſtas ſervatur in actu. Lubet S. Thomae verba repetere, & colligere vela. *Dicendum*, inquit Angelicus, (a) *quòd quidquid eſt contrà rationem artificiati, eſt etiam contrà naturam artis, qua artificiatum producitur: lex autem aeterna comparatur ad ordinem rationis humanae ſicut ars ad artificiatum. Undè ejuſdem rationis eſt, quòd vitium, & peccatum ſit contrà ordinem rationis humanae, & quòd ſit contrà legem aeternam. Unde Auguſtinus dicit in 3. de liber. arbitr. cap. 13. quòd à Deo habent omnes naturae, quòd naturae ſunt: & in tantùm ſunt vitioſae, in quantùm ab ejus, qua factae ſunt, arte diſcedunt.*

EXERCITATIO VII.

X. PROPOSITIO.

Intentio, qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, merè ut coeleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens.

ITerùm cum Phariſaeis imponentibus onera gravia, & importabilia ſigna conferre fas eſt (quamvis jam eorum arma fuerint nuper detrita) ut nimirùm firmiùs profligetur audacia ſuperbientium, & confundatur rigor, non ex charitate procedens, etſi charitatis ſpecimen praeſeferat; revera tamen larva charitatis contectus, & reapſe faevitiae, ac erroris nota inſignis. Pſeudo-Theologi

(a) *S. Thomas 1. 2. Qu. LXXI. Art. 2. ad 4.*

Digitized by Google

logi quidam Bajani Commenti(a), quinimò Luthero-Calviniani ſphalmatis propugnatores (b), (quod mirùm eſt ſi non adverterint) duce Janſenio, ut vidimus (c), ut charitatis Divinae terminos dilatarent, Divinae charitatis jura peſſumdarunt. Quandoquidem, ut inſinuarent Deum eſſe ſolùm ex momento ſuae bonitatis amandum, diris devoverunt amorem concupiſcentiae coeleſtis, & obſervantiam mandatorum ejus ex motivo retributionis Divinae. Hinc è cathedra peſtilentiae falſa fundentes oracula dixerunt pravam eſſe, & peccaminoſam intentionem fugiendi malum, & agendi bonum ex fine obtinendi coeleſtem gloriam. Idque praeſertim fuit momentum nebulonum (quod renovavit Queſnellius (d)) quia, nimirùm, cùm nonniſi duo ſint amores, unus Dei Patris, alter mundi; & ut mundi ſit amor oportet, qui non eſt Dei Patris charitas, ea, videlicet, qua Deus propter ſeipſum diligitur; neceſſariò mundana dilectio, & carnalis amor dicenda eſt quaecumque concupiſcentia, etſi ea tendat ad coeleſtis Patriae conſecutionem. Eſtò enim, inquiunt, intentio retributionis Divinae objectivè non ſit mala; quia tamen à charitate non elicitur, mala eſt: quia quicquid non procedit ex charitate elicitivè malum eſt.

Verùm, quàm ineptè garriant Vitilitigatores, quàm perversè ſentiant Novelli Phariſaei imperviam ſemitam Paradiſi reddentes, vel ex eo patet, quia Divinam Scripturam conculcant, Divina Oracula contemnunt, Sanctorum Acta conſpurcant, Conciliorum decreta peſſumdant, & adversùs Deum ipſum intenderunt arcum ſuum.

Et nonne Sanctus erat David, Deoque intimè conjunctus, *& homo ſecundùm cor Dei*, & tamen ajebat Pſal.CXLVIII. *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem*? Nonne San-

(a) *Michaël Bajus* lib.de Charitate *cap.15. &* lib.I. de virtutibus impiorum *cap.5. & alibi docuit nullam in ſtatu naturae lapſae dari in homine virtutem, quae non ſit per charitatem infuſam, ideoque in eo damnata fuit à S. Pio V. & Greg.XIII. ceteras inter Propoſit.XXXVIII. Recole ſuperiùs adnotata.*

(b) *Lutherus in* Commentariis Epiſt.ad Galatas *Cap. 4. damnat omne opus, quod ex charitatis fine non agitur.* Cùm autem nullum opus ſine charitate bene fiat, patet omnem legem, quae opus bonum praecipit, bonum opus, ideſt charitatis ſignificare, & requirere: *Apertiùs commiſcitur Calvinus in* Homil.LXXX. in Cap. XXII. Lib.I. Samuelis, *dicens*. Nos ad ſe Deus etiam propoſita mercede pellicit, ſed tamen quam non vult eſſe ſcopum noſtrum, & finem. Quod ad aeternam vitam attinet, certum eſt ibi nobis mercedem promitti. Verumtamen ſi ſpe mercedis tantùm illius cultui, & honori Divino nos dedamus, ingratum illi futurum eſt, quicquid eo fine praeſtiterimus, & ab ipſo rejicietur.

(c) *Janſenius locis ſuprà relatis. Vide etiam propoſitiones I.II.III.IV.V.VI.XXI.XXII.& XXIII. damnatas ab Innoc.XII. A.MDCXCIX. in confixione libri, cujus titulus* les maximes des Saints, &c. *cujus tamen Author* Franciſcus de Salignac Fenelon *Archiepiſcopus, & Dux Camaracenſis errore pietatis deceptus, & falſa devotione hallucinatus non fuit ſtigmatizatus, quinimò ipſemet acceptis literis Sum.Pontificis è Throno Pontificio palinodiam cecinit: definitionibus S. Sedis ut par erat continuò acquieſcens. Nonſic autem ſpurciſſimus Nebulo Michaël Molinos Hypocrita peſſimus, & Gnoſticorum pice infectus, qui Propoſit.VII. damnatam ab Innocentio XI. docuit:* Non debet anima cogitare nec de praemio, nec de punitione, nec de Paradiſo, nec de Inferno, nec de Morte, nec de Aeternitate.

(d) *Propoſitiones in Paſchaſio Queſnellio notatae ad eum praeſentem ſpectantes ſunt. LIV.* Sola Charitas eſt, quae Deo loquitur; eam ſolùm Deus audit. *LV.* Deus non coronat, niſi charitatem; qui currit ex alio impulſu, & ex alio motivo, in vanum currit. *LVI.* Deus non remunerat niſi charitatem: quoniam charitas ſola Deum honorat. *Vide ſuperiùs adnotata, necnon ejuſdem Queſnel. Propoſit.XLVI. XLVII. XLIX. &c.*

Digitized by Google

Sanctus erat Moyses, *& electus Dei*, qui, Apostolo ad Hebraeos XI. commendante, *aspiciebat ad retributionem*? Nonne, inquam, charitate magna flagrabant simul cum Sanctissima Matre septem filii, quos omnes Scriptura commendat II. Machabaeorum VII.? Certissimè quidem, *& majorem* Christo teste Divinam fovebant dilectionem, utpote qui animam suam posuerunt prò fratribus, & amicis, prò legis, & prò fidei decore. Sed quis tam hospes est in Divina historia, qui nesciat illustres hosce Heroes ex momento aeternae retributionis properasse ad agonem, stetisse tortos torquentibus fortiores, & gloriosa morte reportasse palmam triumphi? Peregrinus insuper oportet, ut sit in Ecclesiastica Historia, quem lateat Viros excelsissimos, quorum memoria in benedictione est, & quorum nomen manet in aeternum cum laude, Heroes, nimirùm, insignes, Pugilesque praeclaros fidei, qui spe coelestis gloriae, nedum mundo, & pompis ejus vale dixerunt, sed insuper ludribria, & verbera, vincula, & carceres experti, afflicti, angustiati, quorum dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in speluncis, & cavernis terrae testimonio fidei probati, tentationibus, & tormentis non cesserunt, sed fortes facti in bello castra verterunt exterorum, multifariàmque laureati ad superos evolarunt. Horumce dubio procul tam ingens est numerus, ut dicere fas sit: suspice Coelum, & numera stellas si potes. Quomodo ergò audent nuperi Ascetici Magistelli, & devotuli Pseudo-Theologi, eò usque garrire, ut ex momento promovendae charitatis Divinae, crimini vertant desiderium coelestis Patriae, ejusque momento exantlata à Sanctis facinora? Fucum procul dubio faciunt, nedum Sanctissimis hisce doctissimisque Viris, verùm etiam, & Apostolis ipsis *primitias spiritus habentibus*, qui ut ad virtutem promoverent, & ad charismata meliora excitarent fideles, spe coelestis Patriae, & retributionis aeternae ad servanda mandata, & tenenda consilia eos hortabantur, & impellebant? Paulus quidem ad tolerantiam passionum exhortans credentes spe coelestis retributionis eos in sancto proposito firmabat. Ad Romanos VIII. *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis, &c.* Et iterùm I.Corinth.IX. Christianos promovens ad terendam salutis viam, bravium gloriae eisdem proponit, ad quod, ut intendant, hortatur. *Sic currite, ut comprehendatis. Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam, &c.* Idemque pluries repetit, ut omnibus, qui Paulinas Epistolas lustrarunt, perspicuum est: ideòque ab ulterioribus monumentis laudandis abstineo. Apostolorum vertex Petrus in sua II. Canonica Cap.I. pariformiter ad opera bona hortatur fideles, ut coronam promereantur in Coelis. *Fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis: haec enim facientes non peccabitis aliquando.* Quid ultrà? fucum etiam faciunt veritatis Magistro, & insimulant Divinam veritatem, dum ità delirant phanatici Novatores. Quid enim saepius, aut inculcavit agendum, aut sanctum esse docuit Sapientia Patris,

Digitized by Google

quàm vitam aeternam, ejusque momento virtutum opera patranda? Id apertissimè pluries in Evangelio est legere: Idipsum etiam in ceteris Novi foederis codicibus passim offenditur: ne autem omnia simul id genus monumenta laudem, unum ex Apocalypseos Cap. II. depromam, ab Evangelista Johanne, ut à Domino Jesu adceptum, & traditum Episcopo Ecclesiae Smyrnensis. *Haec dicit primus, & novissimus, qui fuit mortuus, & vivit: ..... Estò fidelis usque ad mortem: & dabo tibi coronam vitae.* Jure summo igitur Tridentina Oecumenica Synodus in Spiritu Sancto congregata diris devovit Acatholicorum sphalma; in eisque praedamnavit Bajano-Jansenisticos Theologastros. (a) *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis operatur, anathema sit.* Nec non quampluribus Divini eloquii monumentis ad praesens, quod tuemur, dogma firmandum, laudatis, ità concludit. (b) *Unde constat eos Orthodoxae Religionis doctrinae adversari, qui dicunt justum in omni opere bono, saltem venialiter, peccare, aut, quod intolerabilius est, poenas aeternas mereri: atque etiam eos, qui statuunt in omnibus operibus justos peccare, si in illis suam socordiam excitando, & sese ad currendum in stadio cohortando, eum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur aeternam.*

Ratione autem probatur, quod hucusque diximus, & argumento manifestatur veritas, quo etiam omnia Vitilitigatorum sophismata profligantur. Id certè vitio caret, quod tàm ex parte agentis, quàm ex parte objecti, & finis bonum est, & honestum. Atqui fuga mali, & prosecutio boni suapte natura honesta est actio, rationi conformis, & ad virtutem spectans: finis autem in hypothesi, nimirùm, gloria aeterna, cujus intuitu actio fit, honestissimus itidem est; quinimò divinus: cùm gloria beata aliud secum non importet, quàm facie ad faciem Deum videre, immobiliter in aeternum Deo adhaerere, intimè cum eo conjungi, Deiformem reddi, & perfectè supernaturali gaudio potiri, juxtà illud Scripturae. *Cùm apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* I. Johannis III. Et iterùm. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* PLXVI. Et tandem. *Ego ostendam omne bonum tibi.* Exodi XXXII. quibus concordant cetera Divini Eloquii monumenta, quibus apertissimè manifestatur Summum, Divinumque Bonum in Patria praestari Beatis, nihilque aliud esse coelestem gloriam, quàm bonum omnibus numeris absolutum, supernaturale, Divinum. Qua de causa Gentium Doctor (qui loco compendii Scripturarum omnium erit) charitate fervens ajebat ad Philippenses I. *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum .... Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, multò magis melius.* Et II. ad Timotheum IV. *In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus justus judex.* Igitur quicumque intuitu coelestis gloriae operatur, vel declinando à malo, vel faciendo bonum, nedum expers criminis erit, verùm laude dignus, ejusque

(a) *Tridentinum* Sessione VI. de Justificatione *Can. XXXI.*

(b) *Idem ibidem Capite XI.*

Digitized by Google

que opus in gratia factum ex praefato momento meritorium erit aeternae vitae.

Confirmatur haec veritas. Actus suapte natura à virtute Theologica procedens, nonnisi blasphemando, & insaniendo, adstrui potest vitio scatens, & culpa maculatus. Atqui efficaciter optare gloriam Paradisi, seu ex ejus intuitu fugere malum, & operari bonum est actus procedens à spe Theologica. Igitur ità bonus ex propria natura est praefatus actus, ut nonnisi per impostoram, calumniam, & insaniam adstrui possit vitiosus, & culpabilis. Audiatur Theologorum Princeps S. Thomas, qui rem totam scholastico ratiocinio edisserit. Ut enim ostendat S. Doctor spem esse virtutem Theologicam à fide, & charitate distinctam, ità loquitur. „(a) Respondeo dicendum, quòd virtus aliqua dicitur esse Theologica ex hoc, quòd habet Deum prò objecto, cui inhaeret. Potest aliquis alicui inhaerere dupliciter: Uno modo propter seipsum, alio modo in quantùm ex eo in aliud devenitur. Charitas ergò facit hominem Deo inhaerere propter seipsum, mentem hominis uniens per affectum amoris. Spes autem, & fides faciunt hominem inhaerere Deo, sicut cuidam principio, ex quo aliqua nobis proveniunt. De Deo autem proveniunt nobis, & cognitio veritatis, & adeptio perfectae bonitatis. Fides ergò facit hominem Deo adhaerere in quantùm est nobis principium cognoscendi veritatem. Credimus enim ea vera esse, quae nobis à Deo dicuntur. Spes autem facit Deo adhaerere, prout est nobis principium perfectae bonitatis, in quantùm, scilicet, per spem Divino auxilio innitimur ad Beatitudinem obtinendam.„ Et ad tertium argumentum respondens, inquit. „Dicendum, quòd spes facit tendere in Deum, sicut in quoddam bonum finale adipiscendum, & sicut in quoddam adjutorium efficax ad subveniendum. Sed charitas propriè facit tendere in Deum uniendo affectum hominis Deo, ut, scilicet, homo non sibi vivat, sed Deo.„ Ex qua S. Thomae doctrina evertitur tota babelica turris adversariorum oggannientium, & confundentium fidem, & spem cum charitate; ità ut charitate infusa deficiente pereant omninò fides, & spes: quas propterea ante justificationem dicunt esse actus pravos, & peccaminosos: quem intolerabilem errorem, à Luthero (b), & Calvino (c) prius expressum, Tridentina Synodus (d) anathemate

(a) *S. Thomas* 2. 2. *Qu. XVII. Art. VI. in O.*

(b) *Lutherus* in assertione Articuli VI. *inquis.* Christum audiamus, qui palmitis excisi ponit quinque perditionis gradus, quibus ostendit eum se non modò non posse ad bonum parare, sed necessariò pejorem fieri. *Et iterùm* in Postilla in Dominica post Nativitatem *fol.* 94. Dominus in suis litteris definit, quaecumque opera justificationem praecedunt, mala esse, nulliusque momenti.

(c) *Calvinus* in Antitodo Concilii Tridentini Sess. 6. cap. 9. *T. VIII. pag.* 143. *col.* 2. *edit. Amstelodam. An.* 1662. Quae nobis hic opera committuntur justificatione priora? Posteris vix persuadebitur, tantum fuisse stuporis in Papatu, ut justificationi ullum opus praeponerent, etiamsi negarent esse tanti boni meritum. *Et iterùm* Lib. III. Institut. *cap.* 14. *num.* 7. Quid pariant peccatores à Deo alienati, nisi illius judicio execrabile?

(d) *Tridentinum* Sess. VI. de Justificatione *Can. XXVIII.* Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti, aut fidem, quae remanet, non esse veram fidem, licèt non sit viva; aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.

Digitized by Google

mate perculit; Sed renovare illum studuerunt, quàmplures Novitatum amatores, quos omnes repetito jaculo Romana Cathedra veritatis solium confodit, & noviſſimè tot post decreta, iterùm eadem renovata commenta in Quesnellio damnavit (a).

Sed advertendum hìc, quòd ibi S. Thomas loquitur de charitate spectata secundùm objectum primarium, quod per se, & primò respicit; secùs verò secundùm objectum secundarium: seu loquitur Angelicus immediatè de charitate, prout unicè Deum respicit, tanquam objectum *quod* solitariè acceptum. Quis enim ignorat eodem charitatis praecepto, eodemque formali actu diligi Deum, & proximum? Hoc quidem ex utroque foedere ità perspicuum est, ut monumenta ejus laudare sit frustrà terere tempus. At cùm eodem charitatis actu teneamur diligere Deum, tanquam objectum primarium, ipsum solùm propter suam bonitatem amando, & proximum propter Deum, optando eidem proximo Divina: quis potest in dubium revocare, quod universim ex Divino eloquio tradunt cum Angelico Theologi omnes, nimirùm, quòd priùs teneamur diligere nos ipsos, deinde ceteros alios à nobis, & ordine suo? Charitas enim ordinata est, ut dicitur Canticorum II. *Ordinavit in me charitatem*: ideòque priùs nos ipsos, deinde nobis conjunctiores, debito servato ordine, quem mirè S. Thomas expendit, tenemur amare. At cùm ità res se habeat, clariſſimè dignoscitur actum praefatum, quo nos ità diligimus, ut faciamus bona, & vitemus mala propter Paradisi gloriam, elicitivè quoque à charitate procedere: ità ut hic idem meus actus, qui originativè à spe dimanat, proximè ab amore eliciatur; & ità tamen, ut nos simus objectum, *cui* Divinum, aeternum immutabile bonum, Deum, nempe, velimus: Deus verò, quem nobis intimè immobiliter in gloria conjunctum volumus, sit objectum, *quod* optamus. Ideò enim propter gloriam Paradisi bona patrantur, & fugiuntur mala, ut sic agendo fidelis viator nullatenùs in terris à Deo sejunctus tandem ei perpetuò adhaereat in Coelo. Est utique, nec inficias eo, hic amor non amicitiae, sed concupiscentiae: sed quaenam est concupiscentia, quaeso? fortasse illa, quae est concupiscentia mundi, & carnis, quam detestatur Deus? Apage commentum. Est concupiscentia sancta, charitas vera, quae nos Deo conjungit in terris, propter quam Deus nos coronat in Coelis. Illa dumtaxat est concupiscentia mala, quae ad terrena, & per se inspecta, tendit; quae Deum creaturis postponit. Audiatur iterùm Angelicus, qui rem totam ediſſerit, & profligat sophismata Novatorum. Quaerens enim S. D. (b) *Utrùm homo debeat seipsum ex charitate diligere?* affirmativè respon-

der,

(a) *Propositiones in Quesnellio notatae sunt praecipuè LI.* Fides justificat quando operatur, sed ipsa non operatur, nisi per charitatem. *LV.* Deus non coronat, nisi charitatem: qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit. *LVI.* Deus non remunerat nisi charitatem, quoniam charitas sola Deum honorat. *LVII.* Totum deest peccatori, quando ei deest spes, & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei. *LVIII.* Nec Deus est, nec Religio, ubi non est charitas.

(b) *S. Thomas* 2. 2. *Qu. XXV. Art. IV.*

Digitized by Google

det, & ità rem totam expendit. Prius quidem in argumento: *sed contrà* inquit „ Dicitur Levitici XIX. *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*. Sed amicum „ ex charitate diligimus. Ergò, & nos „ ipſos ex charitate diligere debemus. „ Deinde *in corpore* ait: „ Reſpondeo dicendum, quòd cùm charitas ſit quaedam amicitia, ſicut dictum eſt, dupliciter poſſumus de charitate loqui. „ Uno modo ſub communi ratione „ amicitiae: & ſecundùm hoc dicendum eſt, quòd amicitia propriè non „ habetur ad ſeipſum, ſed aliquid majus amicitia, quia amicitia unionem „ quandàm importat. Dicit enim Dionyſius *de Divinis nominibus cap.* 4. quòd „ *amor eſt virtus unitiva*. Unicuique „ autem ad ſeipſum eſt unitas, quae „ eſt potior unione ad alium. Undè ſicut unitas eſt principium unionis, ità „ amor, quo quis diligit ſeipſum, eſt „ forma, & radix amicitiae: In hoc „ enim amicitiam habemus ad alios, „ quòd ad eos nos habeamus, ſicut ad „ nos ipſos. Dicitur enim in IX. *Ethicorum*, quòd *amicabilia, quae ſunt ad* „ *alium, veniunt ex his, quae ſunt ad ſe-* „ *ipſum*. Sicut etiam de principiis non „ habetur ſcientia: ſed aliquid majus, „ ſcilicet intellectus. Alio modo poſſumus loqui de charitate ſecundùm propriam rationem ipſius, prout ſcilicet „ eſt amicitia hominis ad Deum principaliter, & conſequenter ad ea, quae „ ſunt Dei. Inter quae etiam eſt ipſe „ homo, qui charitatem habet. Et ſic, „ inter cetera, quae ex charitate diligit, quaſi ad Deum pertinentia, etiam „ ſeipſum ex charitate diligit „. Et reſpondens ad objectionem ex illo II. ad Timotheum 3. *In noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines amantes ſeipſos*: ità paralogiſmum Novatorum evertit. „ Ad ſecundùm dicendum, quòd amantes ſeipſos vituperantur, in quantùm amant ſe ſecundùm naturam ſenſibilem, cui obtemperant: quod non eſt verè amare ſeipſum ſecundùm naturam rationalem, „ ut ſibi velint ea bona, quae pertinent „ ad rationem rationis. Et hoc modo „ praecipuè ad charitatem pertinet diligere ſeipſum.

Quia autem Patroni damnati furfuris ad M. P. Auguſtinum, etſi non ſine injuria tanti Magiſtri, confugere ſolent: ex eodem M.P. lubet eos arguere, ut veritas clariſſimè pateat, & fraus undequaque detecta profligetur. In primis enim S. P. expendit in quo charitas, in quo cupiditas conſiſtat, & ſophiſma retundit: Ait enim. (a) „ Charitatem „ voco motum animi ad fruendum Deo „ propter ipſum, & ſe atque proximo „ propter Deum. Cupiditatem autem „ motum animi ad fruendum ſe, & proximo, & quolibet corpore non propter Deum. Quod autem agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum, & corpus ſuum, Flagitium „ vocatur. Quod autem agit, ut alteri noceat, Facinus dicitur. Et haec „ ſunt duo genera omnium peccatorum. „ .... Quod agit charitas, qua ſibi profit, Utilitas eſt: quòd autem agit ut „ proximo profit, Beneficia nominatur. „ Quantò autem magis regnum cupi-

„ di-

(a) *S. Auguſtinus* Lib. III. de Doctrina Chriſtiana *cap.* X.

Digitized by Google

„ ditatis destruitur, tantò charitatis augetur. „ Deinde idem S. D. expendens illud Johannis VI. *Nemo venit ad me, nisi quem Pater adtraxerit* (a): ad rem nostram loquitur, ostendens hominem ad nobiliora charismata excitatum praemio coelestis gloriae, Dei dono, divinitùsque ad Deum adtractum. „ Noli „ inquit „ (b) te cogitare, te invitum trahi, trahitur animus, & amore .... Parum est voluntate, etiam voluptate traheris. Quid est trahi voluptate? „ *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Est quaedam voluptas cordis, cui panis est dulcis ille coelestis. Porrò si Poëtae dicere licuit: (c) *Trahit sua quemque voluptas*, non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delectatio: quantò fortiùs nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est? An verò habent corporis sensus voluptates suas, & animus deseritur à voluptatibus suis? Si animus non habet voluptates suas, unde dicitur. *Filii autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt: inebriabuntur ab ubertate domus tuae, & torrente voluptatis tuae potabis eos: quoniam apud te est fons vitae, & in lumine tuo videbimus lumen?* Da amantem, & sentit, quod dico. Da desiderantem, da esurientem, da in ista solitudine peregrinantem, atque sitientem, & fontem aeternae patriae suspirantem, da talem, „ & scit, quid dico: „ Quum igitur, ità loquatur Augustinus, nonne M. P. omnes intendit nervos contrà falsitatis Patronos? Verbum, vel minimum, addere tàm lucidis, efficacibusque monumentis, decerpsisse est; hinc finem impono Exercitationi ad ulteriora confestim gressum faciens.

IX. PROPOSITIO.

Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quae per dilectionem operatur, peccatum est.

Affatim, & pluries errorem hunc ventilavi, etiam ejusdem Patronis derectis ad majorem ophalmatis confusionem: Quare dumtaxat hìc praenotandum existimo, quòd nimiùm, nimiùmque hallucinati sint authores confixae falsitatis commiscentes simul mortua opera cum mortiferis. Mortua quidem opera, seu quae à peccatore non dum justificato fiunt, nil prodesse ad vitam certum est ex Apostolo I. Ad Cor. XIII. dicente. *Si tradidero corpus meum, ità ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* At quòd eadem opera facta ab homine charitatis experte mortifera sint, eique cedant ad culpam, falsissimum est, & contrà Patres Tridentinae Synodi sic decernentes. (c) *Si quis dixerit opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quantò vehementiùs quis nititur se disponere ad gratiam, tantò gravius peccare,*

ana-

(a) *Ità in textu S. Augustini, in nostra Vulgata legitur*: Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.

(b) *S. Augustinus Tract. XXVI. in Johannem.*

(c) *Virgilius* Ecloga II.

(d) *Concil. Tridentin.* Sessione VI. *Can. VII.*

Digitized by Google

anathema sit. Momenta autem, & monumenta ad rem hanc firmandam saepiùs hic fuere laudata, idcircò ab omni alio labore consultò abstinendum censeo.

EXERCITATIO VIII.

XII. PROPOSITIO.

Quando in magnis peccatoribus deficit omnis Amor, deficit etiam fides; & etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed humana.

CUjusnam fermenti sit, & ex qua corrupta massa fuerit depromta damnata haec thesis, facillimè ex iis, quae sunt adnotata, claresci. Ortum procul dubio habuit ex Calvino (a), Musculo (b), aliisque prioribus Protestantibus, quibus etsi universim haud subscribunt recentiores, fidem tamen ferè generatim in voluntate, velut in propria sede constituunt, & cum fiducia confundunt (c). Calvinianum systema renovarunt, quotquot diris devoverunt quaecumque opera extrà charitatem facta, utpotè peccato obnoxia, & pestifera labe infecta, de quibus non semel sermo fuit institutus. At hujusce praesentis sphalmatis Patroni strictiùs quidem locuti sunt, dum solùm à magnis peccatoribus Theologicam fidem eliminarunt; quorum tamen terminos tot post dogmaticas definitiones dilatare non dubitavit Quesnellius, qui etiam à quolibet fideli, quomodocumque extrà charitatem existente, ceteras Theologales virtutes Spem, nimirùm, & Fidem relegavit (d). Contrà hos omnes igitur Catholica veritas propugnatur, sed brevitate servata, cùm pluries de hac re fit actum.

Verumtamen ne in limine haeremus: id, quod probandum adsumimus, explicandum prius occurrit, ex quo pariter omnis paralogismus evertetur, & Catholicum dogma firmius stabilietur. Quod enim universim Catholici docent, utpotè fidei dogma, est, quòd bifariàm fides dividitur, in *formatam*, nempe, & in-

(a) *Joban Calvinus* Lib. III. Institutionum *Cap.* 2. *sect.* 8. Fides in Christi notitia sita est. Christus nisi cum Spiritus sui sanctificatione cognosci non potest. Consequitur igitur fidem à pio affectu nullomodo esse distrahendam. *Et sect.* 29. & 30. *docet* fidem respicere omnes Verbi Dei partes, ac proinde, etiam jussa Dei obedienter excipere, licèt propriè in Evangelii promissione acquiescat, quatenus per eam justificamur, &c.

(b) *Wolfgangus Musculus Dusanus Lotaringus ex Monacho Catholico Apostata gregalis Buceri, Titul* de dispensatione salutis per Christum. Sine obedientia credentis non solùm verbum frustrà auditur; sed & frustrà, quod auditum est, creditur. Haec obedientia respiscentiam, & innovarsonem vitae includit. *Et Tit.* de fide *cap.* 10. *ait*: Fides inefficax est opinio quaedam: *inde addit* fidem sine vera respiscentia, tam non esse veram fidem, quàm ignis sine calore non est verus ignis: *quod & pluries repetit. Idem docuit Olevianus in* Notis suis ad Ephesios V. 26. 27. *Systema hoc diversimodè à Reformatis recentioribus explicatum, videri praesertim potest in* Epistolis Virorum illustrium, *praecipuè Davidis Paraei* ad Conradum Vorstium *fol. mihi* 44. *& sequ. & Conradi Vorstii* ad Theologos Heidebergenses *fol. mihi* 46. *& sequ.*

(c) *Ità prae ceteris Arnoldus Poelenburg* Epistol. CCCLVII. *fol. mihi* 605. *contrà verò fidem à fiducia distinxit Jacobus Arminius cum suis* Epistol. LXXI. ad Johannem Vytenbogardum *fol. mihi* 139.

(d) *Propos. Quesnellian. LII.* Omnia alia salutis media continentur in Fide, tanquam in suo germine, & semine, sed haec fides non est absque amore, & fiducia. *Vide alias ejus propositiones superiùs in notulis depictas, necnon in Constitutione Clementis XI. ceteras notatas hùc facientes.*

Digitized by Google

informem (quam distinctionem dirè flagellat Calvinus (a), sed nimiùm ineptè.) Illa sic dicitur, quia conjuncta charitate, quae est forma, & perfectio virtutum: haec autem *informis* ex adverso dicitur, & mortua, quia sine charitate. Neque in hoc dissentiunt ceteri Novatores. Quod ulteriùs addunt Theologi Romanae communionis, & in praesentiarum est cardo difficultatis, quodque nobis probandum incumbit, est, quòd utraque fides, formata, nimirùm, & informis, viva, & mortua, eadem genere sit (b), & utrique eadem definitio, vis, & ratio competat, ut loquitur Concilii Tridentini Catechismus. In hoc autem dissentiunt Novatores, omnesque, qui eis auxiliares porrigunt manus. Contrà quos.

Probatur primò Catholica veritas ex Verbo Dei scripto, in quo apertissimè traditur, quòd etiam fides mortua, & informis sit verè, & propriè fides Theologica, estò infructuosa. Johannis XII. dicitur: *Ex Principibus multi crediderunt in eum* (Jesum). *Sed propter Pharisaeos non confitebantur, ut è Synagoga non ejicerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei*. Ubi, ut constat, Evangelista veram fidem Theologicam in peccatoribus adstruit, quia firmiter ex Divina revelatione credentes Christum esse Deum, vano timore detenti à confessione fidei destiterunt. Apostolus itidem I. Corinthiorum XIII. *Si habuero omnem fidem, itàut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*. Quid est enim habere omnem fidem, qua transferantur montes, nisi illa, quae in Evangelio fides vera, & Theologica dicitur? Dubio procul: sat est non alienato oculo Evangelium lustrare, ut res acu tangatur. Et tamen hanc etiam à charitate sejunctam adstruit Paulus posse manere, ut ex sensu obvio ejusdem verborum perspicuum est. Quinimò ad cavillum omnem evertendum, idem Apostolus cum fidei Theologicae definitionem adhibuisset ad Hebr. XI. dicens: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, in quibus haec fides subsisteret, ostendit: nec quidem à justis separavit peccatores, quapropter contexto fidelium Catalogo, inter Heroës Veteris Testamenti etiam Rahab meretricem, adhuc corporis sui copiam aliis facientem, adnumerat. *Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace*. Idque ità certum erat Apostolico aevo, ut hinc delirandi ansam adceperit Simon Magus, garriendo fidem sine operibus prodesse ad salutem. Quia, nimirùm, eam uti veram Theologicam virtutem juxtà Catholicum dogma ab omnibus tunc

(a) *Calvinus lib.* 3. Institution. *c.* 2. §. 8. At primò refutanda est, quae in Scholis volitat: nugatoria fidei formatae, & informis distinctio. Imaginantur enim eos credere, quidquid cognitù necessarium est ad salutem, qui nullo timore Dei, nullo pietatis sensu tanguntur. Quasi verò Spiritus Sanctus corda nostra in fidem illuminando, non sit nobis adoptionis nostrae testis.

(b) *Ità expressè S. Thomas* 2.2. *Qu.IV. Ar.IV.*

Digitized by Google

tunc receptum dignoscebat, eam solùm sufficere ad vitam aeternam adfirmavit (a); (quem errorem quidam nostri temporis haeretici revocarunt ab orco (b)). Quapropter ad evertendam haeresim Simonis Samaritae (c) S. Jacobus Apostolus suam scripsit Epistolam (d), in qua dum spurcissimum, sacrilegumque Nebulonem impugnat, sarta Tecta verae Fidei extrà charitatem servat; sed sufficere eam solùm ad aeternam vitam promerendam omninò inficiatur. Ait enim Capit. II. *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides salvare eum?... Fides sine operibus mortua est.* Fidem ergò veram dixit, estò informem; secùs autem opinionem, ut constat ex contextu, & ex occasione erroris, quem confutavit. Et ut ad hominem ex eodem met textu arguantur Oppositores. Si ex eorum commento fides informis Theologica non foret, sed tantùm humana, ut quid Apostolus hoc fuisset argumento usus, qui etiam abstinendo à ceteris, quae defert, exemplis, deridere potiùs debuisset, quàm impugnare recèns natum errorem? Sat ei fuisset ostendere adsertam fidem opinionem esse, totumque in ea re esse congruebat. Dum ergò non aërem verberat, sed commentum impugnat, citrà omnem dubietatis aleam eam fidem insufficientem ad salutem adstruit, quae verae fidei vim habet, & rationem; ideòque rectè argumentatur. Etenim quamvis genere eadem sit fides informis, & formata, tamen perfectione eadem non est; ideòque ad vitam

(a) *Simon Magus inter ceteros, hunc quoque fudit errorem, ut tradunt omnes Eruditi. Vide praesertim N. Natalem Alexandrum* Hist. Eccles. Sec. I. *& Balthasarem Paës* Commentario in Epistolam B. Jacobi. *Vide etiam, & potissimum S. P. Augustinum, qui* Lib. de fide, & operibus *adjerit, nedum Jacobum, sed etiam Petrum, & Paulum Apostolos suis Epistolis confutasse hunc errorem Apostolico Seculo natum. Idem è Reformatis tradiderunt Guillelmus Cave* Historia Litteraria Seculo Apostolico, *& Samuel Basnagius* Annal. Polit. Ecclesiast. *Tom. I.* ad An. *LVIII. qui etiam addunt Jacobum Apostolum ad confutandam Simonianorum haeresim suam scripsisse Epistolam.*

(b) *Hunc errorem, quem primitùs recoxit Eunomius IV. Ecclesiae Seculo, ut scribit S. Augustinus* Haeresi LIV. *posteà renovarunt omnes Primores Lutherani, ut videre est apud Cl. Jacobum Benignum Bossuet* Histor. Variat. Eccles. Protestan. Lib. *VIII. Et quamvis ab hoc crimine aliquando se purgare studuerint Lutherani, ut prae ceteris videre est in* Confessione Augustana *Cap. XX. Brentio in* Cathechismo, *Kemnitio in* Examine Concil. Tridentini Sess. *VI. aliisque, imò in ipsomet Luthero* lib. de Visitatione Saxonica; *quibus tamen in locis adhuc implexè loquuntur. Quis tamen, nisi talpa coecior, non videt id cautionalibus litteris à Luthero expressum? Sic enim loquitur* lib. de libertat. Christiana: Bona opera non faciunt bonum virum, nec malum mala: *& paulò post*: Ut infideli nullum bonum opus prodest ad salutem, & justitiam: sic è diverso nullum malum opus facit malum; & damnatum. *Et in* sermone sic Deus dilexit mundum, *inquit*: Ubi fides est, nullum peccatum nocere potest. *Idipsum adstruit* lib. de Captivit. Babylonic. Cap. de Baptismo. *Ex eo igitur id exsuxerunt primores ejus discipuli praecipuè Illyricitani, sive Saxonici, hoc est rigidi Lutherani, ut videre est in* Altemburgensi Colloquio. *Sapienter igitur locutus est Bossuetus; hae Vindiciae Lutheranorum adhibitae ab ipsis fuerunt ad fugiendum opprobrium ex commento redundans; secùs ad denegandum factum, quod celare non poterant, cùm ex historia sincera, tum ex operibus relatis. Vide etiam Card. Bellarminum* Controv. de Justificatione Lib. I. & IV.

(c) *Simon Magus natione Samaritanus à Philippo Diacono baptizatus, sed quia Spiritus Sancti virtutem pretio comparare volebat ab Apostolis rejectus, primam basim Simoniacae haeresi statuit, & adscita sibi quae stuaria meretrice* Helena, *quam primam suae mentis conceptionem effutiebat, variis seminatis erroribus, plures reliquit suae sectae gregales, novorumque errorum auctores Menandrum, Saturninum, &c.*

(d) *Ità auctores suprà laudati. Vide etiam Cardin. Baronium, & ejus abbreviatorem Spondanum ad An. Christi LXIII. necnon NN. Franciscum Vanrast* Historia Haereticorum, & Haeresum *Sec. I. Hyacinthum Graveson* de Sacra Scriptura, *& passim alios de eodem argumento tractantes.*

Digitized by Google

non prodeſt : *cujus cauſſa utitur exemplo corporis vivi, & extincti, ut clarificet, quod dicit*. Sicut enim corpus anima deſtitutum verum eſt corpus, eſtò mortuum; ſic fides mortua vera eſt fides, eſtò informis. *Sicut enim*, ait, *corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ità & fides ſine operibus mortua eſt.* Ità, inquam, id dilucidum eſt ex Divino Verbo, ut vel leviter de eo ambigere ſit delirare.

Probatur II. idem dogma ex Patribus, qui una voce idem confitentur, & conſtanti traditione Divini Verbi ſcripti veritatem aperiunt, ac confirmant contrà Novatores, paſſim ad Patrum monumenta confugientes, ut fucum faciant veritati. At quia prolixus nimis forem, ſi omnium monumenta vellem laudare, ſat eſt indigitare id fuiſſe unanimi conſenſu traditum à Hieronymo (a), Chryſoſtomo (b), Cyrillo(c), Gregorio M.(d), Beda (e), Oecumenio (f), aliiſque paſſim. Qui proinde etiam ad declarandam hac veritatem duplici utuntur Evangelica Parobola : nimirùm, de virginibus fatuis, quae acceptis lampadibus non ſumſerunt oleum ſecum : & de homine ingreſſo ad Convivium nuptiarum non habente veſtem nuptialem (g). Cum & Virgines quidem, adhuc fatuae, *Virgines* fuerint ad ſponſi occurſum paratae: & homo ille etiam ad Convivium Chriſti invitatus cum ceteris accubuerit, ut notum fieret omnes fuiſſe fide praeditos, & Eccleſiae adgregatos; ſed quia charitate deſtitutae leguntur fatuae, utpotè ſine oleo: & amore expoliatus adſcribitur, qui nuptiali veſte carebat : ideòque, & hic, & illae repelluntur à Coeleſti Convivio Sponſi Divini. Hos, inquam, omnes Patres ſat eſt digito monſtraſſe. Primipilos dumtaxat ſeligo duos Theologiae Duces, Auguſtinum, & Thomam. S. Pater quidem, ità viriliter prò hac veritate decertat, ut vel ſolus computetur prò mille, qui omnes Novatorum turbas evertat. In primis in lib. *De Fide, & operibus* totus eſt in hac veritate variis Divini Eloquii monumentis, pluribuſque ſolidis momentis probanda. Similiter alibi paſſim idem docet. *Ipſa fides*, inquit (h) *definita eſt, quae per dilectionem operatur. Tolle fidem, perit, quod credis : tolle charitatem, perit, quod agis. Fidei enim pertinet, quòd credas : charitati, ut agas. Si enim credis, & non amas, non te moves ad bonum opus : & ſi moves, ut ſervus, non ut filius, timendo poenam, non amando juſtitiam. Illa ergò fides mundat cor, quae*

per

(a) *S. Hieronym.* in Cap. IV. Epiſtol. ad Galatas.

(b) *S. Joban. Chryſoſtom.* Homil II. in Geneſim; & Homil. II. in Epiſt. ad Philemonem.

(c) *S. Cyrill. Alexandr.* Lib. X. in Johannem.

(d) *S. Gregor. M.* Homil. XII. in Evangelia.

(e) *Beda* in I. ad Corinthios XIII. *ex S. P. Auguſtino, & in* Caput I. Jacobi *v.* 14.

(f) *OEcumenius in* Epiſtolam S. Jacobi.

(g) *Parabolam de Virginibus fatuis ità expendunt Origenes, qui* Tract. XXXIII. in Matth. *eam adplicat iis*, qui fidem Chriſti profitentur, ſed bonis operibus non ſe praeparant ad ſalutem. *S. Gregor. M. loc. cit. & alii paſſim. Parabolam autem de non habente veſtem nuptialem ad rem noſtram expendunt S. Pater Auguſtinus* Sermon. XC. *aliàs* XIV. ex editis à Sirmondo, & *Gregorius M.* Homil. XXXVIII. in Evangel. *ubi ait*. Ad nuptias igitur intrat, ſed ſine veſte Nuptiali, qui fidem habet in Eccleſia, ſed charitatem non habet. *Vide Theologos de hac re agentes, Bellarminum ubi ſuprà, Eſtium* in III. Sententiar. *Diſt. XXIII. §. VII. N. Natalem Alex.* Theolog. Dogmatic. Moral. Lib. I. de Fide, & Symbolo *T. I. N. Card. Gotti* Theolog. Scholaſtic. Dogmatic. *Tract.* de Fide, *univerſim Thomiſtae in eodem Tractat. Lege etiam N. Johan. Nicolai* ad marginem textus S. Thom. 1.2. Qu. LXV. Art. IV.

(h) *S. Auguſtinus* Lib. de Octo Dulcitii Quaeſtionibus *cap. I.* Serm. *XLIII. aliàs XIV.* ex editis à Pariſienſibus.

Digitized by Google

per dilectionem operatur. Idipsum etiam pluries repetit Aquilinus Doctor (a), praesertim dum contrà Semi-Pelagianos ostendit, nedum perfectam fidem, sed etiam fidem inchoatam esse donum Dei. At si Dei donum, & ex gratia, quomodo ex adversariis humana est fides, & quae viribus naturae habetur? Si insuper inchoata fides est verè donum Dei, quomodo vera Theologica fides non erit, quae remanet in peccatore firmè credente, quaecumque Deus revelavit? Non credet quidem ex impulsu Spiritus Sancti inhabitantis, sed moventis, ut infrà ex Tridentino expendetur. Interim M. P. monumentum laudamus, quo ex Apostolo I. ad Corinthios IV. reprimit Massilienses: (b) *Reprimitur omninò his apostolicis verbis tota hujus responsionis elatio. Sed ne hoc quidem potest dici. Quamvis non habeam perfectam fidem, habeo tamen initium, quo in Christum primitùs credidi. Quia, & hìc respondetur. Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem, & accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* idque prosequitur Augustinus expresè ostendens fidem informem donum Dei esse, & ex Spiritu Sancto; quod, & fusius alibi repetit (c), nec lubet ejus verba transcribere, sed dumtaxat laudare locum, ne propositos mihi fines transgrediar, aliisque fastidium ingeram.

Angelicus Doctor autem, qui fideliter M. Patris vestigia secutus, illius doctrinam vindicavit, omniumque haereseon, aut profligator, aut praedamnator fuit, ità clarè distinctè rem hanc scholastico more expendit, ut omnem paralogismum cavillantium evertat. Quaerens enim ex professo. (d) *Num fides, & spes possint esse sine charitate?* ità suam sententiam exprimit, & catholicum dogma declarat. „ Respondeo di-
„ cendum, quòd fides, & spes, sicut
„ & virtutes morales, dupliciter consi-
„ derari possunt. Uno modo secundùm
„ inchoationem quandam. Alio modo
„ secundùm perfectum *esse* virtutis.
„ Cùm enim virtus ordinetur ad bo-
„ num opus agendum, virtus quaedam
„ (e) perfecta dicitur ex hoc, quòd potest
„ in opus perfectè bonum, quod qui-
„ dem est, dum non solùm bonum est,
„ quod fit, sed etiam benè fit: alioquin
„ si bonum sit, quod fit, non autem
„ benè fiat, non erit perfectè bonum.
„ Unde nec habitus, qui est talis ope-
„ ris principium, habebit perfectè ra-
„ tionem virtutis. Sicut si aliquis ope-
„ retur justa, bonum quidem facit, sed
„ non erit opus perfectae virtutis, nisi
„ hoc benè faciat, idest secundùm
„ electionem rectam, quod est per pru-
„ dentiam; & ideò justitia sine pruden-
„ tia non potest esse virtus perfecta. Sic
„ igitur fides, & spes sine charitate
„ possunt quidem aliqualiter esse:

(a) *Idem S. P.* Serm. *CLVIII. aliàs XVI.* de Verbis Apostoli. Sermone *CLXVIII. aliàs XVII.* ex Homiliis quinquaginta, & Tract. X. in epistolam S. Johannis.

(b) *S. P.* lib. de Praedestinatione Sanctorum *Cap. IV.*

(c) *Idem* Lib. de Spiritu, & Littera *Capit. XXXIII.*

(d) *S. Thomas* 1. 2. *Qu. LXV. Art. IV. in O.*

(e) *Ità ex* nota marginali N. Johan. Nicolai. *Nam in exemplaribus legitur* virtus quidem. *Ea causam ideni adjugnat.* Sic legi malim, quàm *virtus quidem*, etsi exemplaria passim omnia posteriori modo (*nempe virtus quidem*) legant. Perfecta porrò virtus quaedam dicitur, ut ab illis intelligatur distincta esse, quae perfectum aliquid non faciunt, quia tametsi bonum facere videantur, non tamen benè, ut explicatur in adjunctis.

Digitized by Google

„ perfectae autem virtutis rationem si-
„ ne charitate non habent. Cùm enim
„ fidei opus sit credere Deo: credere
„ autem sit alicui propria voluntate as-
„ sentiri: si non debito modo velit, non
„ erit fidei opus perfectum: quòd au-
„ rem debito modo velit, hoc est per
„ Charitatem, quae perficit voluntа-
„ tem. *Omnis enim rectus motus voluntа-*
„ *tis ex recto amore procedit*, ut Augusti-
„ nus dicit in XIV. de Civit. Dei cap. 9.
„ Sic igitur fides est quidem sine chari-
„ tate, sed non perfecta virtus „ &c.
Quod etiam infrà repetit, & confirmat (a) dicens. „ Et hoc dico propter fidem,
„ & spem, quarum habitus manent in-
„ formes post peccatum mortale. „

Alia quidem, & innumera penè extant Angelici monumenta ad rem hanc firmandam, sed ad praefixam mihi brevitatem servandam, omitto, & tandem ad Sectarios, ceterosque Novatores penitùs conterendos lubet solùm laudare Decretum Sacro-Sancti Concilii Tridentini in Spiritu Sancto congreti. Laudata, inquam, Oecumenica Synodus ità prius rem nostram declarat. (b) *Adversùs etiam hominum quorundam callida ingenia, qui per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium, asserendum est non modò infidelitate, per quam ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam gratiam amitti.* Et tandem contrà Sectarios, fidei decretum finale formans, babelicam turrim evertit. (c) *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul fidem semper amitti, aut fidem, quae remanet, non esse veram fidem, licèt non sit viva: aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum: anathema sit.*

Ad vindicandum autem laudatum Tridentini decretum, & propugnandam catholicam hanc veritatem, praestò sunt valida monumenta ex Verbo Dei scripto, & tradito depromta, ut nuper, & ubertim ostensum est. Sed breviter ea potiùs indigitabo, quàm in medium producam. Fides destruitur per solam infidelitatem, quae est privativè opposita fidei. Sed non omne crimen est peccatum infidelitatis, ut Tridentina Synodus definivit (d), & ratione constat; cùm non omne peccatum sit contrà Divinam revelationem, quae est objectum fidei, ex quo species sumitur, & constituitur habitus. Igitur non omne peccatum destruit fidem; adeòque ex solo defectu charitatis fides non perit, sed est vera Theologica virtus, etsi non perfecta, ut jam dictum est.

Nec quidem ex eo, quòd imperfectio haec in praefato habita adstruitur, hinc licet tenebrionibus paralogizare, quod è peccatore exulet fides, quoad substantiam: argumento, nimirùm, desumto ex illo Apostoli I. ad Corin. XIII. *Cùm venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est*: ex quo videtur adstrui talem esse imperfectionem fidei informis, ut haec procul abigatur adveniente fide formata; & consequenter, quòd fides illa informis vera fides non sit,

(a) *S. Thomas* 1. 2. *Qu. LXX. Art. IV. in O.*
(b) *Tridentin.* Sessione VI. de Justificatione *Cap. XV.*
(c) *Idem ibidem* Canone XXVIII.
(d) *Idem ibidem* Canone XXVII. Si quis dixerit nullum esse peccatum mortale, nisi infidelitatis . . . anathema sit.

Digitized by Google

ſit, ſed adparentia quaedam, & umbra, digna proinde dumtaxat nomine opinionis, & fidei humanae. Quandoquidem, ut optimè obſervat Angelicus: (a) *Verbum Apoſtoli eſt intelligendum, quando imperfectio eſt de ratione imperfecti. Tunc enim oportet, quòd adveniente perfecto, imperfectum excludatur: ſicut adveniente aperta viſione excluditur fides, de cujus ratione eſt, ut ſit non apparentium. Sed quando imperfectio non eſt de ratione rei imperfectae, tunc illud numero idem, quod erat imperfectum, fit perfectum: ſicut puericia non eſt de ratione hominis, & ideò idem numero, qui erat puer, fit vir. Informitas autem fidei non eſt de ratione imperfectae fidei, ſed per accidens ſe habet ad ipſam, ut dictum eſt. Undè eadem fides informis fit formata.* Quid enim eſt de ratione eſſentiali fidei, niſi ut certè, & ſine caeſpitatione adhaereat revelatis à Deo, quae non videntur, & ex momento Divinae veracitatis? Id porrò ex Apoſtolo, & Patribus dilucidum eſt (b). Quodnam ejus ſubjectum, niſi intellectus (c)? Nil ergò prohibet, quòd habitus hic fidei quoad ſuam ſubſtantiam remaneat ſine charitate, quae aliud habet diſtinctum objectum formale; & in alia potentia, nempe in voluntate, velut in propria ſede, manet; unde eſt diſtincta Theologica virtus. Quod ſi ità non foret, citrà omnem dubietatis aleam ex commento Novatorum, una ſolummodo adſtruenda eſſet Theologica virtus, nimirùm charitas: quum, ea amiſſa, pereant omninò fides, & ſpes, ſolummodo harumce umbratili nomine permanente. Sed adhuc admiſſo, tàm intolerabili ſphalmate, rogo Patronos damnatae theſis: Quomodo vocaretur homo cum reatu culpae mortalis, & abſque ulla retractatione, ad baptiſmum adcedens? Judaeus ne? Paganus, Haereticus, an Atheus? Niſi velint omninò, aut nugari, aut blaſphemare, ut dicant eum *Chriſtianum*, oportet: quum reapſe, ità eum diſtinguant Patres omnes, & quicumque Fideles audiunt, & in Eccleſia manent. Sed, amabo eos, quomodo *Chriſtianus* dicetur, qui fidem amiſit? Fortaſsè ex charactere? Sed remanet hic quidem in haeretico, qui remanet etiam in damnatis. Igitur operae pretium eſt, ne tam multifariàm delirent, ut peccatorem hunc revera adſtruant fidelem, & habitum fidei habentem; eſtò fidei opera, nempe, quae ad vitam ducunt, negligentem.

Non inficior quidem ad actum fidei concurrere etiam voluntatis imperium, quo inclinetur, ſeu adplicetur intellectus ad adſentiendum veritati revelatae ex momento Divinae infallibilis veracitatis ſupernaturali medio adtractae. Ultrò, libenterque concedo piam motionem hanc voluntatis praerequiri ad credendum. Sed quid inde? Fortè fortuna haec omninò deerit deficiente charitate infuſa, & diffuſa in cordibus noſtris per inhabitantem ſpiritum, qui datur in juſtificatione? Commentum hoc

eſt

(a) *S. Thomas* 2. 2. *Qu. IV. Art.* 4. *ad* 3.

(b) *Vide S. Thomam* 2. 2. *Qu* 1. *& ſequ. Apoſtolus ad Hebraeos XI. ait* · Fides eſt argumentum non apparentium. *Vide S. Greg. M.* Homil. XXVI. in Evangel. *Vulgatus Dionyſius Cap. VII.* de Divinis nominibus: Fides eſt circà ſimplicem, & ſemper exiſtentem veritatem, *ſeu juxtà graecum textum* ὑπερούσιον ſuperſubſtantialem *veritatem*.

(c) *Ità S. Thomas* 2. 2. *Qu. IV. Art.* 2. *& univerſim Theologi*.

Digitized by Google

est Acatholicorum, quos Sacrosancta Tridentina Synodus fulgurivit (a). Quamvis enim pia motio non sit à Spiritu Sancto inhabitante, est tamen à Spiritu Sancto movente, ut eadem Tridentina Synodus definivit (b), & longè ante cum Augustino Angelicus adnotavit (c), docens etiam fidem informem esse donum Dei. Evidentissimè igitur, vel ex objectionibus adversariorum conspicitur in peccatoribus charitate destitutis manere habitum fidei.

Evanescunt itidem cetera, quae Novatores conflant sophismata, ut impetum faciant in veritatem, & Soli tenebras obfundant. Quandoquidem, quae conglobant monumenta Patrum, solummodo insinuant non prodesse quidem ad vitam aeternam fidem sine charitate; Sed sine charitate non manere fidem in peccatoribus, nec per vim quidem ex Patrum dictis colligi potest. Et dum vel ex eo, quòd fides haec informis mortua dicatur, inferre pertentant fidei substantiam deesse, pessumè hallucinantur; seseque longè abire à Theologica notitia manifestant. Audiant ergò Aquinatem Magistrum rem totam edisserentem, ut intelligant, quid sit Charitatem esse formam fidei, sicut, & ceterarum virtutum, aliorumque habituum. Inquit enim ad rem nostram S. Doctor. (d) *Actus fidei ordinatur ad objectum voluntatis, quod est bonum, sicut ad finem: hoc autem bonum, quod est finis fidei, scilicet bonum Divinum, est proprium objectum Charitatis: & ideò charitas dicitur forma fidei, in quantùm per charitatem actus fidei perficitur, & formatur.* Ideò charitas est tantùm forma, & perfectio extrinseca, nullimodè pertinens ad quidditatem illius, ut ipse met Angelicus expendit dissolvens objectionem desumtam ex quditate formae, quae est ratio constitutiva rei. (e) *Ad secundum dicendum, quòd objectio procedit de forma intrinseca. Sic autem charitas non est forma fidei, sed prout informat actum ejus, ut suprà dictum est:* nimirùm, prout reddit actum fidei perfectum, & proficuum ad salutem. Ideò autem dicitur mortua fides informis, quia virtutem non habet producendi opera vitae. *Nam fides*, inquit Tridentina Synodus, (f) *nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque unit perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit, qua ratione verissimè dicitur, Fidem sine operibus mortuam esse, & otiosam.*

XIII. PRO-

(a) *Vide Tridentinum* Sess. VI. de Justificatione *praecipuè Capp. IV. V. & VI.*

(b) *Vide laudata Tridentini Capitula, & Canones sequentes, praecipuè III. & IV. Similiter* Sessionem IX. *Cap. IV.* de Contritione.

(c) *S. Thomas* 2. 2. *Qu. VI. Art. II. in arg.* sed contrà *ait*: quaedam Glossa dicit I. Corinth. 13. quòd fides, quae est sine charitate, est donum Dei. Haec autem est informis. Ergò fides informis est donum Dei. *Glossa haec est desumta ex S. Augustino* Sermone de Miraculo quinque panum, *cujus fragmentum extat T. X. veteris editionis, & T. V. editionis BB. laudatur etiam praefatum Augustini monumentum à V. Beda* in I. ad Corinth. Cap XIII. *Vide quae superiùs ex aliis libris S. P. Augustini adnotavimus.*

(d) *S. Thomas* 2. 2. *Qu. IV. Art.* 2. *in O.*

(e) *Idem S. Th. ibidem ad* 2.

(f) *Tridentin.* Sess. VI. de Justificatione *C. VII.*

Digitized by Google

XIII. PROPOSITIO.

Quisquis etiam aeternae mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur.

EX hucusque dictis absque alio labore prosternitur haec confixa thesis. Quandoquidem cùm non minùs fides, quàm spes possit esse informis, & utriusque habitus verè possit esse talis, nimirùm, supernaturalis ex objecto, & tendentia: citrà omnem dubietatis aleam tàm actus spei, quàm fidei informis erit expers criminis; etsi ex defectu charitatis neuter actus sit proficuus ad salutem. Ejusdem quippe conditionis ac est habitus, opus est, ut sint actus ejusdem habitus. Operari autem bonum, seu famulari Deo intuitu mercedis ex spe Theologica procedit, ut suprà est dictum. Igitur, qui sic Deo infervit, adhuc si charitatis sit expers, non peccabit; estò fructum nullum, quod ad aeternam gloriam spectat, ex famulatu percipere possit. Optimè enim ait Angelicus, ex quo evertitur fundamentum hujusce confixae thesis. (a) *Spes, & omnis appetitus sensitivus ex amore provenit aliquo, quo scilicet aliquis amat bonum expectatum. Sed non omnis spes provenit à charitate, sed solùm motus spei formatae, quia scilicet aliquis sperat bonum à Deo, ut ab amico.* Cetera hùc facientia clarescunt ex superiùs dictis.

EXERCITATIO IX.

XIV. PROPOSITIO.

Timor gehennae non est supernaturalis.

XV. PROPOSITIO.

Attritio, quae gehennae, & poenarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus, & supernaturalis.

UNo avulso non deficit alter: & dum commento succedit error, novus exigitur labor, estò in idem sit exercendus. Post tot confixas theses jam profligatas binae hae adpositae sequuntur, quae dubio procul, estò diversam praeseferant speciem, ejusdem sunt naturae, ac ceterae pridem impugnatae, ex eadem infecta radice pullulantes. Et quamvis sub larva sanctitatis à Rigidioris Theologiae Professoribus fuerint procusae, pejorem tamen omnis laxitatis, omnisque erroris fontem, à quo procedunt, indicant Protoparentem, non secùs ac ceterae ejusdem furfuris, quas nuper impugnavimus. Lutherus quippè primus, ac primùm ogganivit timorem Gehennae, & dolorem ex momento poenarum conceptum esse actum malum, qui homines redderet hypocritas,

(a) *S. Thomas 2. 2. Qu. XVIII. Art. VIII. ad 2.*

Digitized by Google

critas, & magis peccatores (a). Et quamvis in hac adsertione sectatores non habuerit ceteros, quos in aliis benè multis habuit discipulos (b); eos etiam (quod revera dolendum est nimis) sortitus est assectas, qui reapse laxitatem ejus, ceterorumque Sectariorum execrati, rigorem dumtaxat coluerunt; ejusque, sicut, & Calvini (c), systema de duplici dumtaxat amore, vel Dei, vel mundi retinuerunt, estò contrà fas, & jus, ut saepiùs fuit ostensum. Michaël Bajus quidem, qui primus adprobavit commentitium illud solemne Sectariis principium, ceteros ultrà errores, hunc praesentem disertè adseruit (d). Post eum Jansenius in eundem descendit ex eodem saepiùs repetito momento, ut non semel est observatum: quem tamen errorem, estò pluries à S. Sede fulguritum, venditarunt iterùm quidam durioris, seu asperioris Scholae Pseudo-Theologi, qui Belgium semper S. Sedi, & veritati addictum novitatibus perturbarunt, docentes proinde hunc timorem Gehennae non esse supernaturalem; & dum Socium non habet amorem Dei, malum esse, ut constat ex duabus hisce praesentibus thesibus, quas jure summo Alexander VIII. confixit. Sed numquid tot post repetita jacula quievit error? O utinam! Quesnellus porrò, aut personatus larva devotionis, aut deceptus specie purioris doctrinae, exsuxit venenum, quod vomuit primò Lutherus, & Calviniano-Bajano-Jansenistica toga indutus in Ecclesia turbas excitavit novitate erroris (e), ut norum est cunctis.

Ad-

(a) *Lutherus initio suae defectionis omninò inficiatus est omnem contritionem, seu dolorem omnem de peccatis; eumque ad Poenitentiam haud facere adfirmavit: hujusce tamen conditionem, seu substantiam dumtaxat in novitate vitae consistere adseruit, ut videre est in* Sermone de Indulgentiis: *praecipuè tamen divis devovit gehennae timorem, tanquam exitialem, & mortiferum; eisdemque porrò terminis id expressit, ut damnatur in* Bulla Leonis X. *& in diffinitione* Concilii Tridentini *post pauca laudandi. Verùm quia restiterunt ei ejus met discipuli, ceterique Novatores, temperare studuit sphalma, dicens nil prodesse timorem absque fide; sive juxtà ejus systema, sine fiducia, vel potiùs certitudine obtentae veniae per Christum, ut scripsit* Adv. Exeer. Antichristi Bull. *Tom. II. fol.* 19. *Videsis Polemicos praecipuè S. R. E. Cardinalem, & Martyrem Rossensem* Confutat. Assertionis Lutheri Artic. 6. *Cl. Card. Bellarminum* In Controvers. Lib. II. de Poenitent. c. 17. *& insignem Bossuetum* Histor. Variat. Eccles. Protestant. *T. I. fol. mihi* 24.

(b) *Defecerunt hac in re à Luthero ceteri Sectarii praecipuè Calvinus* Lib. III. Institution. *cap.* 4. §. 7. *& Kemnitius* II. P. Examinis Concil. Trid. *pag.* 954. *docentes timorem per utilem esse peccatori, & ab eodem initium habere poenitentiam.*

(c) *Calvinus in* Antitodo Concil. Trident. Sess. VI. *docuit*: Dei judicio nihil est sincerum, & probum, nisi quod ex perfecto ejus amore manet. *Adtende hìc candide Lector Calvini antilogiam; & qui contrà Lutherum senserat, nunc Luthero in eodem errore consentit. Adtende itidem Lutheri inconstantiam, qui, quem revocaverat errorem temperando sententiam, modò recoquit dicens*: Omnia enim, quae extrà charitatem fiunt, nihil, vana, & falsa sunt. *Videsis laudatum C. Rossensem, & quae suprà diximus.*

(d) *Propositio in Bajo damnata est illa ordine LXIII.* Sed & illa distinctio duplicis justitiae: alterius, quae per spiritum charitatis inhabitantem: alterius, quae fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad poenitentiam excitantis, sed non dum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua Divinae Legis justificatio impleatur, similiter rejicitur. *Ejusdem furfuris est sequens LXIV.*

(e) *Propositiones in Quesnellio confixae sunt. LX.* Si solus supplicii timor animat poenitentiam, quò haec est magis violenta, eò magis ducit ad desperationem. *LXI.* Timor nonnisi manum cohibet, cor autem tandiù peccato addicitur, quandiù ab amore justitiae non ducitur. *LXII.* Qui à malo non abstinet, nisi timore poenae, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo. *LXIII.* Baptizatus adhuc est sub Lege, sicut Judaeus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore. *LXIV.* Sub maledicto legis numquam fit bonum, qui peccatur, sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando.

Digitized by Google

Adversùs igitur binas hasce theses calamum acuere ad vindiciam, & triumphum veritatis, operae pretium est in praesentiarum. Et quamvis lapidem hunc ipsum non semel moverimus, ut multifariàm objectum pluries averteremus: quia tamen iterùm adponitur in scandalum, eundem revolvere abs re non erit, sed proficuum nimis: ut petra offensionis omninò remota veritatis semita pateat, & error penitùs exturbetur. Servabimus quidem ordinem in thesibus hisce ventilandis, estò prior iterùm, iterùmque esufflanda occurrat in confutatione posterioris.

Verumtamen ne, aut actum iterùm agamus, aut praeposterè procedamus, ad examen priùs revocare oportet varias timorum species: ut quinam sanctus, quinam innoxius, quinam verò malus sit, dignoscatur; sicque segregetur pretiosum à vili, & lolium à frumento secernatur: quod quia non adnotarunt, non adverterunt rigidioris Scholae discipuli, in damnatos descenderunt errores. Quatruplex ergò timor ab Angelico distinguitur, ex qua distinctione, vel gordianus ipse nodus dissolvitur, & sub initium damnatarum Thesium conditio inspicitur; ideòque ejusdem S. D. verba referre satius est, ac doctrinam ex eodem depromere: praecipuè cùm rem ediserat breviter, & distinctè. „Respondeo „ inquit (a) „ dicendum, „ quòd de timore nunc agimus secundùm quòd per ipsum aliquo modo ad „ Deum convertimur, vel ab eo avertimur. Cùm enim objectum timoris „ sit *malum*, quandoque homo propter „ mala, quae timet, à Deo recedit; & „ iste dicitur timor *humanus*; vel *mundanus*. Quandoque autem homo propter mala, quae timet, ad Deum „ convertitur, & ei adhaeret. Quod „ quidem malum duplex est, scilicet „ *malum poenae*, & *malum culpae*. Si ergò aliquis convertatur ad Deum, & „ ei inhaereat propter timorem poenae: „ erit timor *servilis*. Si autem propter „ timorem culpae: erit timor *filialis*. „ Nam filiorum est timere offensam „ Patris. Si autem est propter utrumque: est timor *initialis*, qui est medius inter utrumque timorem -- Praedicti tres timores „ (scilicet serviles) „ respiciunt poenam, sed diversimodè. „ Nam timor mundanus, sive humanus respicit poenam à Deo avertentem, quam quandoque inimici Dei „ infligunt, vel comminantur. Sed timor servilis, & initialis respiciunt „ poenam, per quam homines attrahuntur ad Deum, divinitùs inflictam, „ vel comminatam: quam quidem poenam principaliter timor servilis respicit: timor autem initialis secundariò.„ At „ Timor filialis, & castus ad idem „ pertinent, quia per charitatis amorem Deus *Pater noster* efficitur secundùm illud Rom. VIII. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater*. Et secundùm eandem charitatem dicitur etiam *sponsus noster*, secundùm illud 2. ad Corinth. II. *Despondi enim vos uni viro Virginem castam exhibere Christo*. Timor autem servilis ad aliud pertinet, quia „ charitatem in sui ratione non inclu-

(a) *S. Thomas* 2. 2. *Qu. XIX. Art.* 2.

Digitized by Google

„ dit. „ Haec, inquam, docet Angelicus Doctor, quae pariter disertissimè M. Augustinus tradit, ut post pauca ostendetur: ex quibus pervia fit semita ad profligandas binas hasce damnatas theses; quin mò quilibet, vel tardioris minervae, primò adspectu conspicit eas ab Angelico praedamnatas. Ut autem firmiori brachio elidantur, ex eadem doctrina argumenta desumo.

Et primùm quidem ostendendo timorem gehennae esse supernaturalem. Talis est timor, quale est objectum, nempe, malum, quod timetur, ut ex Angelici doctrina constat, ex qua itidem quatruplex est timor, nec ullus, qui Theologus audit, inficias ire pertentat. Atqui gehenna est malum poenae ab Authore supernaturali inflictae, nimirùm, à Deo justo vindice puniente delicta contrà Majestatem suam, divinamque legem patrata. Insuper poena haec gehennalis (nimirùm ignis inextinguibilis, quo nedum corpora post Judicii diem cruciabuntur in aeternum; sed animae itidem ante resurrectionem, & post finalem sententiam Judicis, *miris, sed veris modis*, torquebuntur (a)) nonnisi per Divinam revelationem cognoscitur, cùm dumtaxat ex Verbo Dei scripto (b), & tradito (c) habeatur haec notitia aeternalis praefixae poenae hinc, qui vel Athei audiunt (si revera Athei adsint), vel qui infideles, ad quos Divina haec revelatio non pervenit, praefatas poenas nec sciunt, nec pertimescunt: quinimò de Epicureis Divinam providentiam inficiantibus legitur in Divino Eloquio Sapientiae II. *Dixerunt enim cogitantes apud se non rectè: exiguum, & cum taedio est tempus vitae nostrae, & non est refrigerium in fine hominis, & non est, qui agnitus sit reversus ab inferis ... Venite ergò, & fruamur bonis, quae sunt, &c.* Igitur cùm ex revelatione, & poena, & qualitas gehennalis poenae supernaturalis sit: utpote quae infligitur à Deo Authore supernaturali operante suprà naurae leges, & elevante vim, & activitatem ignis, ut ex fide constat; citrà omnem dubietatis aleam timor hujusce poenae supernaturalis erit. Qua de causa Tridentina Synodus (d), timorem hunc adstruit *esse bonum motum, Dei donum, & Spiritus Sancti impulsum*; aliisque sententialibus diffini-

(a) *S. P. Augustinus ità loquitur* Lib. X. de Civitate Dei *Capite X.*

(b) *Monumenta Scripturarum, in quibus exprimitur aeterna* gehennalis *poena, ea praesertim laudare lubet, quae in Novo Testamento extant, quum ex M. P. Augustino* Enarratione in Ps. CV. *in Veteri Testamento Gehenna non legatur expressa. Quare ex traditione Seniorum, & ex doctrina Synedrii fuit explicatum, quod post pauca de* Gehenna *dicemus. Extant autem innumera monumenta in antiquo Foedere, quibus adstruitur poena* Infernalis, *& loci sub terram constituti, ut prae ceteris observavit Parthenopaeus Presbyter Michaël Amato* Dissertatione II. *adversùs somnia cujusdam Anonymi Angli delirantis inferni locum in globo Solari. Monumenta autem Novi Foederis sunt. Matth. V.* Qui dixerit fatue: reus erit gehennae ignis. *Cap. X.* Timete eum, qui potest corpus, & animam perdere in gehennam *Matth. VII.* Omnis arbor, quae non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur *Mat. XX.* Discedite à me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus. *Apocalypsis XXI.* Qui non inventus est in Libro Vitae, scriptus, missus est in stagnum ignis. *Id genus innumera est legere testimonia in Novo Foedere, ut notum est cunctis.*

(c) *Patres omnes universim id adseruut. Consulendi praecipuè sunt, qui scripserunt contrà errorem Origenis delirantis inferni poenas non esse aeternas; sed prae omnibus M. P. Augustinus pluribus in locis praecipuè* Lib. XXI. de Civitate Dei *Cap. XII. & XIII.*

(d) *Tridentin.* Sessione VI.

Digitized by Google

finitivis decretis post pauca laudandis timorem hunc supernaturalem esse diffinit.

Non me latet, nec inficior quidem, Gehennam fuisse vallem propè Jerusalem, aquis torrentis Cedron riguam, cadaveribus damnatorum, canum, aliarumque bestiarum comburendis addictam (a), quum Gehenna hebraicè גי הנם *Ge himòm* dicatur, duobus verbis vocabulum componentibus, videlicet גי *Ge*, & הנם *Himòm*, quòd latinè redditur *Vallis Himòm*, cujus meminit Josue cap. XV. v. 8. & capit. XVIII. v. 16. ubi latinus Interpres vertit *Vallem Hennòm*, & *Gehennam*, ex quo graecum γέεννα: de qua Rabbi Kimchi: (b) *Erat autem locus Urbi Hierusalem proximus contemptissimus, in quem projiciebantur sordes, & cadavera, eratque illic* אש תמיד *Esc Tamid, ignis continuus ad comburendum cadavera, ossa, & reliquas sordes.* Quae, inquam, vallis dicta prius fuerat Vallis תפת *Tophet*, idest *vallis tympani*. Hebraicè enim תפת, latinè *tympanum*; Et certo certius ad denotandum crudele facinus Hebraeorum, qui Cananaeorum errore seducti Idolo Moloch (c) filios suos, & filias suas ibi sacrantes, & ferali saevitia eosdem lactentes lento igne exustulantes, ex occasione delicti nomen loco dederunt: quandoquidem parvulis illis, tàm dira poena cruciatis, & ejulantibus, eorumque gemitu, strepentique vagitu reboante in concavo vallis, veluti tympani rumor resonabat, non sine audientium horrore (d). Quod, inquam, facinus detestaturus piissimus Rex Josias, & plenè deleturus reliquias superstitionis adhuc vigentis in igne servato in honorem Idoli Moloch, ibidemque adcensò, in eam vallem projici mandavit mundicinia cuncta hebraeis immunda, sicut, & ceteras spurcitias, è quibus vermes innumeri cum foetore erumpebant; unde ignis ad purgamentum adhibebatur: ideòque ex eo postmodùm dicta est *gehenna*.

Haec quidem scio, sed benè calleo, quod notum est cunctis, qui vel leviter sapiunt, nullum inde posse argumentum desumi ad probandam Gehennae poenam esse naturali lumine, aut adquisita naturali scientia notam; quod nec ipsi quidem damnati sphalmatis Patroni possunt adseverare. Quando-

(a) *Istà tradunt de Valle Gehinnom, quotquot de rebus hebraicis scripserunt: praesertim ex hebraeis R. Salomon* in Esaiam Cap. *XIV. Paraphrastes Chaldaicus in* Isaiae *XXVI.* Cap. *Midras Misle fol.* 69. *Targum* in Ruth C. *II.* & *R. Kimchi modò laudandus. Ex Catholicis Franciscus Lucas Brugensis* in Cap. V. Matthaei, *Carolus Sigonius* de Republica Ebraeorum lib. *VI.* Cap. *VII. Augustinus Calmet* in Dictionario Biblico V. Gehenna. *NN. hebraicè doctissimi Xystus Senensis* in Bibliotheca S. Lib. *III. Xantes Pagninus* in Thesauro Linguae Sanctae. V. Tophet, & *Hieronymus Oleaster* in Cap. *XXIX.* Isaiae, *aliique Eruditi, & Interpretes. Ex Acatholicis eruditis Job. Seldenus* de Diis Syriis Syntagm. 1. *pag.* 172. *Job. Nicolai Batavus* in notis Sigonii, *Elias Schedius de* Diis German. *Pag. m.* 400. & *Stephanus Morinus* de lingua primaeva *Cap.* 3. de Vocalibus Ebraeorum.

(b) *K. Kimchi* in Psalmum *XXVII. v.* 13.

(c) *Psalm CV.* Immolaverunt filios suos, & filias suas daemoniis, & effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum, & filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.

(d) *Totam hanc historiam legesis apud nuper laudatos Scriptores Calmetum, Pagninum, &c.*

Digitized by Google

quidem, similitudine ex horroris visibili propatulo loco desumta, insinuata fuit credentibus conditio aeternalis flammae, & inferorum penetralium, ubi post hanc vitam sceleste quique forent plectendi. Quapropter, supernaturalis poena divinitus revelata ex similitudine temporalis supplicii fuit expressa, & insinuata: sicut pariformiter ex deliciosissimo loco, seu horto *Eden*, Paradisus, seu aeternum Coeleste Regnum dictum fuit גן עדן *Gan Hèden*, ideſt, *Hortus deliciarum*: ut nimirum *ex his, quae animus novit, surgeret ad incognita, quae non novit*, sicut M. Gregorius loquitur (a). Certissimum itidem est hujusce gehennalis poenae notitiam pervolasse ad Gentes, quum etiam apud Ethnicos Poëtas (b) inferorum locus, & damnatorum supplicia offendantur; sed quis vel modicùm eruditus ignorat, vel ex lectione Sacrae Scripturae, quae in Gentilium manus devenit, vel ex Divina revelatione facta Hebraeis, eaque notificata Ethnicis, cum quibus non semel conversati sunt Hebraei, hanc hausisse doctrinam, quotquot è Paganis, vel de beato Regno, vel de aeterna poena, estò sub variis involucris, pluribusque fabellis adjectis, verbum habuerunt? Id passim est legere apud Patres, & Eruditos (c), qua de causa haud infirmatur, verùm firmiùs stabilitur veritas orthodoxa. Et quoniam ex eadem spe Theologica procedit, quòd quis sibi velit, exoptet, & speret praemium aeternum, ac quòd timeat poenas interminabiles? Id expresse docet, & probat S. Thomas (d). Quomodo ergò adseri potest timorem Gehennae haud esse supernaturalem, cùm spes Theologica, à qua procedit, sit virtus supernaturalis, ut ex ipsis met terminis constat? Vel ex eo certè adstrui debet supernaturalis hic actus, quia hominem à peccato revocat timor servilis, sicut ad observantiam legis excitat spes mercedis aeternae, ut idem Angelicus docet, qui insuper id ostendit ex Divino praecepto nobis indicto Deuteron. X. *Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum?* Ex quo itidem manifestat hominem promoveri

po-

(a) *S. Gregor. M.* Homil. XI. in Evangel.

(b) *Virgilius Aeneidum VI.* . . . . . facilis descensus Averni
Noctes, atque dies patet atri janua Ditis
Sed revocare gradum, superasque evadere in auras
Hoc opus, hic labor est. . . . . .
Publius Ovidius Naso Italus patria Sulmonensis A. V II. ante Christum clarus Metamorphoseon *IV.*
Est via declivis funesta nubila taxo
Ducit ad infernas per multa silentia sedes,
Styx nebulas exalat iners, umbraeque recentes:
Juvenalis Satyra *II. v.* 149.
Esse aliquos manes, & subterranea Regna,
Et contum, & Stygio ranas in gurgite nigras,
Atque una transire vadum, tot millia cymba,
Nec pueri credunt, nisi qui non dum aere lavantur
Sed tu vera puta . . :.

(c) *Patres, qui hujusce rei testimonium perhibent, plures certè sunt, praecipuè tamen S. Justinus* in Paraenesi ad Graecos, & Apologia *II. Clemens Alexandrinus* Lib. I. Stromatum, & Paedagog. III. *S. Cyrillus Alexandrinus* Lib. I. & II. contrà Julianum, *Theodoretus* de cura Graecar. affection. Serm. *II. Extat apud Eusebium lib. IX.* Praeparat. Evangelic. *Cap. VI.* & lib. *XII. C. XIII. testimonium Aristobuli Peripatetici ad idem confirmandum. Vide etiam Josephum Ebraeum* Lib. *II.* contrà Appionem. *Consule similiter Danielem Huetium* de Demonstratione Evangelica, *NN. Natalem Alexand.* Histor. Veter. Testament. *Hyacinthum Amat de Graveson* de Sacra Scriptura, & *alios Eruditos*.

Digitized by Google

positivè ad observantiam legis.

Ostenditur modò, quòd attritio, quae est ex timore gehennalium poenarum sit actus supernaturalis, & bonus. Ut jam probatum est, timor gehennae ex praevio motu fidei Theologicae procedit, quia nimirùm creditur à Deo statuta poena aeternalis igis contrà scelestos, (formaliter autem, & immediatè à spe Theologica promanat). Ergò attritio ex eodem fine elicita supernaturalis ut sit, oportet, quum momentum dolendi sit supernaturale, ut jam abundè probatum est.

Quòd verò hic actus sit honestus, & bonus ad salutem conducens, clarissimè manifestatur evidenti ratiocinio contrà Nebulones Divina omnia pessumdantes, ut inanem rigorem ad animarum perniciem jactent. Quod in Divino eloquio, aut indicitur, aut laudatur, utpotè ad detestationem criminum, & peccatoris conversionem faciens, certissimè, ut sit actus bonus, Deoque gratus, operae pretium est adseverare, ne fucum faciamus Verbo Dei, Deoque ipsi injuriam inrogemus. Atqui in Divino eloquio commendatur hic dolor, indicitur etiam non semel. Igitur laudata attritio est actus bonus, & laudabilis; quinimò, vel ex eo, quòd à Deo supernaturali Authore ibidem ad laudatum momentum praecipiatur, & commendetur, ejusdem boni actus supernaturalis quidditas manifestatur. Job IX. *Verebar omnia opera mea, sciens, quia non parceres delinquenti.* Psalm. LIV. *Timor, & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebrae... Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* Ps. CXVIII. *Confige timore tuo carnes meas à judiciis enim tuis timui: feci judicium, & justitiam non tradas me calumniantibus me.* Ecclesiastici II. *Qui timent Dominum custodiunt mandata illius, & patientiam habebunt usque ad inspectionem illius, dicentes si poenitentiam non egerimus incidemus in manus Domini, & non in manus hominum.* Lucae XII. *Ostendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui, postquam occiderit corpus, habet potestatem mittere in gehennam: ità dico vobis hunc timete.* Apocalypsis XIV. *Vidi alterum Angelum volantem per medium Coeli habentem Evangelium aeternum, ut evangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum, dicens voce magna: Timete Deum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus.*

Quid itidem non commendationis secum adfert poenitentia Ninivitarum ex praecepto timore Dei supremi vindicis in praedicatione Jonae laudatur utique eorum dolor, & in judicio objiciendus Judaeis à Domino in Evangelio adseritur. Matth. XII. *Viri Ninivitae surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia poenitentiam egerunt in praedicatione Jonae.* Quòd verò Ninivitae ex timore viam sibi ad justitiam paraverint, ità perspicuum est ex Divino Eloquio, ut in lumine caligare dicendus sit, qui vel saespitare ausus fuerit. Chrysostomus itidem de illorum conversione verbum faciens, inquit: (a) *Ninivitae conversi sunt ad timorem Dei, abjectisque continuò prioris vitae malis ad vir-*

(a) *S. Johannes Chrysostomus.* Homil. Quòd nemo laeditur, nisi à seipso.

Digitized by Google

virtutem se, & justitiam contulerunt; seu, ut Tridentina Synodus expendit, ex timore Dei Vindicis dispositi, Spiritu Sancto illorum corda movente, viam sibi ad justitiam paraverunt: *Hoc enim timore*, inquit Tridentina Synodus (a), *utiliter concussi Ninivitae ad Jonae praedicationem plenam terroribus poenitentiam egerunt, & misericordiam à Deo impetraverunt. Attritio*, enim ex Angelico Doctore (b), cui ceteri universim Theologi adstipulantur, *dicit accessum ad perfectam contritionem*. Quinimò idem Oecumenicum Concilium ad retundendam insaniam, & blasphemiam Novatorum; necnon ad veritatem fidei firmandam ex Verbo Dei scripto, & tradito catholicum dogma procudens, ità diffinivit. (c) *Si quis dixerit eam contritionem, quae paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem foeditatum, amissionem aeternae beatitudinis, & aeternae damnationis incursum, cum proposito melioris vitae, non esse verum, & utilem dolorem, nec praeparare ad gratiam; sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem: demùm illam esse dolorem coactum, non liberum, ac voluntarium, anathema sit.*

Nec quidem obest, quòd primò opponunt damnatae thesis Patroni, adserendo Tridentinum loqui de amore initiali, qui secum semper habet adnexam aliquam Dei benevolentiam. Quandoquidem de illo timore Tridentinum loquitur, qui à Sectariis adstruebatur malus, & malorum causa, utpotè, qui faciebat hominem hypocritam, & magis peccatorem, ejusque libertatem laedens cogebat ad opus, ut constat cùm ex systemate Novatorum, tum ex Tridentini sententia decretali. Hic autem timor certè solus, & solùm est timor servilis, de quo ubertim Acatholici verbum fecerunt; secùs autem initialis, quem nec digito monstrarunt. Igitur commentitia est adversariorum responsio, eorumque effugium omninò vanum. Non inficior tamen ibidem Tridentini Patres eum laudabilem adseruisse timorem, quo homines Deum diligere incipiant totius justitiae fontem. Sed quid prò adversariis commendabilè Tridentini additamentum? Non initialem commendarunt timorem, sed merè servilem, ut ex exemplo Ninivitarum, & ex definitione ejusdem timoris luculenter adparet; At hunc ipsissimum timorem servilem gradatim perfici, & eò usque devenire, ut ex eodem homo Deum totius justitiae fontem diligere incipiat, adseruerunt. Quandoquidem peccator, qui fide credit Deum esse, & Remuneratorem supernaturalem esse, firmiter tenet parata ab eodem irato Judice supplicia aeterna post mortem iis, qui contrà legem agunt: hinc supernaturali concussus timore, & spem veniae habens, sensim sine sensu viam sibi ad justitiam parat in Sacramento poenitentiae consequendam. Quomodo autem sortes haec fiat: quomodo id eveniat: post pauca expendetur. Quare Tridentini Pa-

(a) *Tridentinum* Sess. XIV. *Cap.* 4.
(b) *S. Thomas* in Supplemento ad *III. P. Qu. I. Art. II. ad* 2.
(c) *Tridentinum ibidem* Canone V.

Digitized by Google

Patres non eum commendant ibi timorem, qui ſuapte natura eſt initialis, ſed, qui merè ſervilis ità poſteà perficitur, ut uſque ad perfectionem ſalutis adſcendat; non ſeorſim ſumtus, ſed ceteris ſibi adjunctis ex Dei gratia provenientibus, quibus peccator praefato timore concuſſus viam ſibi ad juſtitiam parat. Ex quo inſuper evertitur purum illud, putumque Novatorum commentum, quo adſtruunt timorem ſervilem ex eo deteſtabilem fore, quia in deſperationem inducit. Non quidem ſervilis timor, ſed mundanus, viliſque timor peſſimum hunc effectum producit, ut ex S. Thoma obſervavimus; quinimò timor ſervilis, de quo nunc agimus, cùm ſit à Spiritu Sancto, nedum hominem, quem terret, humiliat, ſed inſuper eum ſic territum avertit à culpa, ut ex monumentis Divini Eloquii nuper laudatis clareſcit, & ex eo, quòd Angelicus adnotavit neceſſarium eſſe timorem ad refraenandas conc piſcentias carnis. Cujus momento ſicut temperantia eſt virtus, ità pariformiter ei adjunctus ad cuſtodiam timor, eſtò ſervilis, eſt virtuoſus. „Ad tertium „, inquit, (a) „dicendum, quòd temperantiae etiam „ reſpondet aliquod donum, ſcilicet timoris, quo aliquis refraenatur à delectationibus carnis, ſecundùm illud „ Pſalmi CXVIII. *Confige timore tuo carnes meas* (b). Donum autem timoris „ principaliter quidem reſpicit Deum, „ cujus offenſam vitat. Et ſecundùm „ hoc correſpondet virtuti ſpei, ut ſuprà dictum eſt. Secundariò autem „ poteſt reſpicere quaecumque aliquis „ refugit ad vitandam Dei offenſam. „ Maximè autem homo indiget timore „ Divino ad refugiendum ea, quae „ maximè alliciunt, circà quae eſt temperantia. Et ideò etiam temperantiae „ reſpondet donum timoris.„ Et M. Pater Auguſtinus apertè adſtruit etiam hoc donum ſervilis timoris fuiſſe à Deo roboratos Martyres ad ſuſtinenda tormenta, & fugiendas, deſpiciendaſque illecebras carnis, & mundi delicias, idque nobili expendit exemplo (c). „Quomodo „, inquit, „ ſi videas avem „ veluti jam cadere in muſcipulam, facis majorem ſtrepitum, ut volet de „ muſcipula. Sic & Martyres, jam fortè „ aliqui ipſorum intendebant collum „ in dulcedinem vitae hujus, Dominus, qui erat in illis, fecit ſtrepitum „ gehennarum, & erutus eſt paſſer de „ muſcipula venantium. *Anima noſtra „ ſicut paſſer erutus eſt de muſcipula venantium* (d).

Ne-

(a) *S. Thomas* 2. 2. *Qu. CXLI. Art. I. ad* 3.

(b) *Non omittenda eſt gloſſa in* Pſal. CXVIII. *à S. Thom. laudata, quae eſt M. Aurelii Caſſiodori Cl. Scriptoris VI. incipientis Seculi, Gente italâ, Patria Lucanii, ſeu Bruttii in Regno noſtro ſirpe Romani primùm Senatoris Conſulis, & Theodorico à ſecretis, & Epiſtolis, deinde Monachi in Vivarienſe, ſeu Caſſellenſe Monaſterio prope Scyllitanam in extrema Calabriae parte. Ità enim ad rem noſtram, inquit laudatus Author, dum Davidis precem*, Confige timore tuo, *&c. expendit*. Carnem ſuam tanquam indomabilem ferum non ſolùm religandam, ſed configendam inuſitata ſupplicatione deprecatus. Carnis enim vitia ſunt terrena delicta, quae nos legem tranſgredi mandatorum faciunt, dum à propoſito veritatis abducunt. Quàm meritò deprecatur timore Domini debere configi, ne ab eo poſſit noxia libertate diſſolvi. Sic uno verbo ſignificatum eſt, quemadmodum caro tractari debeat Chriſtiani. Timore ſcilicet futuri judicii, ut hìc mortificata, ibi reddatur aeterna.

(c) *S. P. Auguſtinus* Enarration. in Pſ. *CXXIII.*

(d) *S. Auguſtinus utitur verſione LXX. In Vulgata autem editione habetur*. Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium, laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.

Digitized by Google

Neque iterùm ullum faceſſit negotium, quod opponunt adverſarii, recoctam adponentes crambem de malitia hujuſce actus ex defectu charitatis. Etſi enim in motu peccatoris timentis gehennam nullus effulgeat amor, & conſequenter in attritione ex momento ejuſdem nulla emicet charitas; cùm nec timeat Dei ſummi Boni offenſam, nec de illa doleat; ſed dumtaxat bonum proprium intendat, cujus cauſſa malum immihens timet, ejuſque cauſſa de peccatis dolet: in eiſdem tamen ipſiſſimis peccatoris actibus bona quaedam voluntas, ſeu charitas latè dicta, ab Auguſtino ſuprà commendata, reſplendet. Et quia inſuper ex Angelico Magiſtro: (a) *ejuſdem rationis eſt, quòd velimus bonum alicujus, & quòd odiamus malum ejus*: dubio procul actus charitatis ſupernaturalis ergà ſeipſum erit hic timor, & hic dolor ſervilis ex motivo gehennae: ſicut charitatis ſupernaturalis ergà ſeipſum actus eſt deſiderium Paradiſi, & motus ergà illum, ſive operatio intuitu mercedis aeternae, ut contrà eoſdem adverſarios ſuprà expendimus. Quinimò etiam ergà Deum ipſum charitatis motus erit, vel ipſe timor, vel dolor ex momento aeternalis poenae; non quidem formaliter, & directè, ſed mediatè, & remotè, mediante, nimirùm, ordine à Deo adpoſito in ipſa converſione peccatoris, qui ex timore ad amorem inducitur; & ut Angelicus docet, ex ſervili timore concipiens dolórem, ſenſim ſine ſenſu parturit etiam juſtitiam, & charitatem. Ut enim oſtenderet S. Doctor, quòd poenitentia à timore ſervili ſuam primaevam originem trahat, ità adversùs oppoſitores rem totam breviter expendit ex Verbo Dei ſcripto. „ Sed contrà eſt, quòd „ Iſaiae XXV. dicitur: *Sicut quae concepit, cùm appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis; ſic facti ſumus*, ſcilicet per poenitentiam. „ Et poſteà ſubditur ſecundùm aliam „ litteram. (b) *A timore tuo Domine concepimus, & parturivimus, & peperimus ſpiritum ſalutis*, ideſt, *poenitentiae ſalutaris*, ut per praemiſſa patet. Ergò poenitentia procedit ex „ Timore „. Quod longè ante docuerat M. P. Auguſtinus, dum ait: (c) *Coepit aliquis credere diem judicii: Si coepit credere, coepit & timere: Timendo corrigit ſe; vigilat adversùs hoſtes ſuos, ideſt peccata ſua: incipit reviviſcere interiùs*. Idque nobili, procul dubio, & ad rem opportunè faciente exemplo clarificat idem Aquilinus Doctor, ut oſtendat initium perfectae charitatis eſſe à timore ſervili, ſeu ab illo hanc ſuam veluti fontalem, ſed remotam, originem habere, quae tamen immediatè à Deo infunditur in anima praeparata, diſpoſita, & humiliata per timorem, qui idcircò ex dono gratiae habetur. *Sicut*, inquit, (d) *videmus per ſetam introduci linum: quando aliquid ſuitur ſeta priùs intrat, ſed niſi exeat, non ſuccedit linum*: *ſic*

(a) *S. Thomas III. P. Qu. LXXXV. Art. 5.* argum. ſed contrà.

(b) Scilicet juxtà LXX. Interpretum, ubi vulgata legit verſ. 18. „ Peperimus, ſpiritum ſalutis non fecimus in terra „ &c. *ut adnotavit N. Johannes Nicolai* in nota marginali ibidem.

(c) *S. P. Auguſtinus* Tractat. VIII. in Epiſtolam I. Johannis.

(d) *S. P. ibidem* Tractatu IX.

Digitized by Google

sic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideò ingressus est, ut introducat charitatem. Quomodo autem gradatim ex timore servili perfecta charitas producatur, ità perbellè Angelicus expendit, ut Tridentini Patres eisdem ferè verbis S. Doctoris praesentem, quem vindicamus, articulum declaraverint contrà Novatores (a). Ait enim S. Thomas (b) „ Dicendum, quòd de „ Poenitentia loqui possumus dupliciter. Uno modo quantùm ad habitum, „ & sic immediatè à Deo infunditur, „ sine nobis principaliter operantibus, „ non tamen sine nobis dispositivè cooperantibus per aliquos actus. Alio „ modo possumus loqui de poenitentia, „ quantùm ad actus, quibus Deo operanti in Poenitentia cooperamur. „ Quorum actuum primum principium „ est Dei operatio convertentis cor, „ secundùm illud Threnor. ultimo. *Convertere nos Domine ad te, & convertemur.* „ Secundus actus est motus fidei. III. est „ motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur. Quartus actus est motus spei, „ quo quis sub spe veniae consequendae „ assumit propositum emendandi. Quintus actus est motus charitatis, quo „ alicui peccatum displicet secundùm „ seipsum, & non jam propter supplicia. Sextus est motus timoris filialis, „ quo, propter reverentiam Dei, aliquis „ emendam Deo voluntarius offert.

Neque tandem illum in nos impetum faciunt, quae contrà nos conglobant adversarii, monumenta Divinâ Verbi, & Patrum, sicut, & quaedam ab eis conficta argumenta. I. nimirùm loca Scripturae I. ad Corinthios III. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*, & ad Romanos VIII. *Non accepistis spiritum servitutis*; ex quibus colligitur eum dumtaxat esse timorem sanctum à Spiritu Paracleto provenientem, & animae proficuum ad salutem, qui filialis est, & permanens in seculum seculi; praecipuè ut discrimineturChristianus à Gentili, & viator fidelis à daemone addicto poenis, *qui credit, & contremiscit*: adeòque, ut dolor de peccatis sit opportunus, debet esse ex momento charitatis, quae *foras mittit timorem*.

II. Monumenta Patrum quamplurima sunt, & universim id unum adstruunt, quod in binis hisce damnatis thesibus, ceteriscque id genus in Quesnellio confixis continentur. Sic enim loquitur Augustinus. (c) *Non dum liber, & alienus à voluntate peccandi; sed in ipsa voluntate reus est, qui mallet, si fieri posset, non esse, quod timet, ut liberè faciat, quod occultè desiderat.* Ità procul dubio videtur adfectus peccator timore gehennae recedens à culpa; hinc non semel idem Aquilinus Doctor (d) comparat hunc sic timentem lupo fugienti, & tremenți ad occursum Pastoris quaerentis eum ad necem: & adulterae devitanti furtivos Ganeonis amplexus timore laesi viri, à quo deprehensa in adulterio indubitanter tolleretur è vivis: quare concludit. (e) *Inimicus justitiae est, qui poe-*

(a) *Concil. Trident.* Sessione VI. *Cap. V. & VI.*
(b) *S. Thomas* 3. p. *Qu. LXXXV. Art. V.* in corpore.
(c) *S. P. Augustinus* lib. de Natura, & Gratia *cap.* 57.
(d) *Idem Capp.* 10. & 11. Serm. CLXXXIX. de verbis Apostoli Jacobi I. *olim* Sermon. XIX. *Vide T. II. Exercit. XXXII. fol.* 371.
(e) *Idem Epist. CXLV. nov. edit. olim CXLIV.* ad Anastasium.

Digitized by Google

sine timore non peccat. Et iterùm: (a) *Vivit peccati voluntas, quae tunc apparet in opere, quando separatur impunitas; latenter vivit, vivit tamen*. Nec non alibi: (b) *Qui timendo non facit malè, mallet facere si liceret: itàque etsi facultas non datur, voluntas tenetur*. Et tandem, quinam sit timor sanctus ad justitiam faciens, dum adpositè librat, omninò excludit servilem timorem, quem propterea non esse timorem castum; adeòque facere hominem hypocritam, & magis peccatorem consectaneum est ex doctrina M. P. Ait enim: (c) *Ille timor, ne in ignem mittaris cum diabolo, non est castus: non enim venit ex amore Dei*. Idem adstruunt ceteri Patres. S. Prosper enim inquit: (d) *Eam Deus innocentiam probat, qua homo non metu poenae fit innocens, sed amore justitiae. Nam qui timore non peccat, quamvis non noceat, cui vult nocere, sibi tamen plurimùm nocet: & abstinens ab iniquo opere, sola tamen reus est voluntate*. Et S. Gregorius M. (e) *Cùm adhuc timore bona agit, à malo penitùs non recessit: quia eo ipso peccat, quo peccare vellet, si inultè potuisset*. Idque genus sexcenta passim occurrunt reliquorum PP. testimonia. Quid ultrà? Etiam Angelicus disertissimis verbis probavit hunc timorem omninò malum esse, quia coactè tantùm malum fugit, & bonum facit, qui territus operatur: ità enim docet 1. 2. Qu. 6. art. 2. ut est apud P. Viva. (f) *In eo, qui per metum aliquid agit, manet repugnantia voluntatis ad id, quod agitur*. Et dum discrimen legem veterem inter, & novam adsignat, ità loquitur. (g) *Lex vetus dicitur cohibere manum, non animum; quia qui ex timore poenae ab aliquo peccato abstinet, non simpliciter ejus voluntas à peccato recedit; sicut nec recedit voluntas ejus, qui amore justitiae abstinet à peccato*.

III. Dum peccator ità timet, ità dolet, procul dubio territus, sed non conversus agit, & adhuc malus est, quamvis trepidans recedat à malo, juxtà illud Poëtae: *Oderunt peccare mali formidine poenae*. Similiter, qui sic timet, & ità dolet, non ex honesto fine; sed ex amore sui, ex amore proprio movetur. Amor sui usque ad Dei contemtum aedificat Civitatem Babylonis, ut ex Augustino alibi etiam diximus (h). Ergò cùm nulla reperiatur honestas in praefatis actibus timoris, & doloris, quomodo adstrui potest in eis supernaturalitas, & bonitas? Ut ergò timor, & dolor sint supernaturales, & boni, debent ex sola charitate procedere.

Nullius procul dubio, iterùm, iterùmque dico, sunt roboris larvatae adversariorum oppositiones, nulliusque sunt obicis: & quamvis timori eae sint ty-

(a) *Idem* Enarrat. XXV. in Psalm. CXVIII.
(b) *Idem* Enarratione II. in Psalm. XXXII.
(c) *S. P. Augustinus* Tract. VIII. in Ep. Johan.
(d) *S. Tiro Prosper Aquitanus An* CCCCXLIV. *clarus* Sententia CXVIII. *Num laudatus Prosper fuerit laicus, an Episcopus? dissident Scriptores. Vulgò Episcopus asseritur, vel Rhegiensis in Aemilia Italiae Provincia, ut aliquibus arridet, vel Rhegii in Aquitania, seu Provincia Provinciae, ut aliis, praesertim C. Bellarmino* de Scriptoribus Ecclesiasticis. *Verùm fuisse laicum nullusque, vel infimo, in Clero gradu insignitum adstruunt Critici non obscuri nominis: praecipuè cùm nullus ante Honoratum Augustodunensem cum ex Clero virum dixerit, ut adnotavit Cl. Labbaeus Tom. II. p.* 247.
(e) *S. Greg. M.* Lib. I. Moralium Cap. XXVI. *aliàs II.*
(f) *P. Viva T. III. edition. Neapol. seu primae An.* 1708. *p.* 154. Propos. XIV. de Timore Gehennae §. *III.*
(g) *S. Thomas* 1. 2. *Q. CVII. Art. X. ad* 2.
(h) *S. Augustinus* lib. de Genes. ad Litter. *Cap.* 15. & Lib. XIV. de Civit. Dei *Cap.* 28.

Digitized by Google

tyronibus; risui, & despectui sunt provectioribus. Quid enim ex Verbo scripto ab eis laudato adversùs catholicum dogma? *Ubi spiritus Domini ibi libertas.* Optumè quidem, sed non ad rem prò adversae sententiae Patronis: quandoquidem etiam, qui ex timore agit liberè agit, ut ad miraculum usque ex professo Angelicus probat (a), cùm ex S.Gregorio Nysseno (b) dicente: *hujusmodi, quae per metum aguntur, sunt magis voluntaria, quàm involuntaria*: tum ex ratione, quia voluntarium illud est, cujus principium est ad intrà, quod certè reperitur in eo, qui timet: quum ejus voluntas ex timore feratur in actionem, *& licèt non propter seipsum, sed propter aliud, scilicet ad repellendum malum, quod timetur: sufficit enim ad rationem voluntarii, quòd sit propter aliud voluntarium: voluntarium enim est non solùm, quod propter seipsum volumus, ut finem, sed etiam propter aliud volumus, ut propter finem.* Quòd si ad summum aliquid additum velint, quid aliud possunt unquam veteratores adjicere, nisi quòd sit voluntarium ex involuntario etiam mixtum? Hoc Angelicus ipse adjecit cùm ex Aristotele, tum ex Gregorio Nysseno (c); Sed statim rem totam aperuit adversùs oppositores. *Id enim, quod per metum agitur, in se consideratum non est voluntarium, sed fit voluntarium in casu, scilicet ad vitandum malum, quod timetur; Sed si quis rectè consideret, magis sunt hujusmodi voluntaria, quàm involuntaria. Sunt enim voluntaria simpliciter, involuntaria secundùm quid. Cùm enim actus in singularibus sint, singulare autem in quantùm hujusmodi est hic, & nunc; secundùm hoc, id, quod fit, est in actu, secundùm quòd est hic, & nunc, & sub aliis conditionibus individualibus. Sic autem hoc, quod fit per metum, est voluntarium, in quantùm scilicet est hìc, & nunc: prout scilicet in hoc casu est impedimentum majoris mali, quod timebatur.*

Verùm, ut ex contextu Apostoli adparet, nimiùm violenter adplicatur ejus monumentum ad commenta firmanda. Loquitur enim ibi Apostolus de libertate nobis concessa per Christum, in Novo Foedere ad intelligendum sine velamine Divinam Scripturam; necnon de claritate legis Evangelicae, *non scriptae litteris, sed per fidem cordibus impressae*, ut Angelicus docet, qui utramque genuinam obviam, & propriam ibi

(a) *S.Thomas* 1. 2. *Qu. VI. Art. VI.* argum. sed contrà. *Et infrà, quae à nobis laudantur dicit. Vide integrum Articulum.*

(b) *S.Gregorius Nyssenus à S.Thoma ibid. laudatus. Criterium tamen adhibet Cl. N. Johan. Nicolai* ad notam marginalem *ejusdem loci*. Velut ex libro V. Cap. I. ante medium (Philosophiae nimirùm, primitùs quidem octo libri Philosophiae Nysseno tuerunt adjudicati) priùs indicabatur ad marginem, sed jam notatum suprà ex Nemesio sumtum esse, quod inter Gregorii Nysseni recentiora opera non habetur: Habetur autem apud Nemesium lib. jam suprà indicato (de natura hominis) cap. 30. Tomo XII. Bibliothecae Patrum, & hic ipse liber est de homine, quem sub nomine Gregorii Nysseni citat subinde S.Thomas, & inscribit Nemesius de Natura hominis (περὶ φύσεως ἀνθρώπου) quum in libro, quem de hominis opificio Gregorius Nyssenus verè scripsit, nihil omninò tale, vel huc pertinens, extet.

(c) *S.Thomas ibidem in* corpore, *ait*: Respondeo dicendum, quòd sicut Philosophus dicit in III. Ethicorum, & idem dicit Gregorius Nyssenus in libro suo de Homine. *Jam est adhibitum criterium ex Johanne Nicolai. Tantùm addere lubet, quòd Nemesius IV. Seculo florit, fuitque ex Philosopho Christiano Episcopus Emisenus; estò alii eum V. Seculo adscribant. Consuli Criticos eruditos.*

Digitized by Google

adhibet interpretationem (a).

Spiritum itidem *ſervitutis*, quem Oppoſitores damnare pertentant ex alio Apoſtoli monumento, ut diris devoveant timorem gehennae, & atteritionem ex eodem motivo, perperàm nimis traducunt, fucum facientes Apoſtolo, quaſi quòd eis praeiverit Gentium Doctor, qui verè eoſdem praedamnavit, ſatiſque eſt librare Paulina verba, ut detegatur fraus. Non ait quidem malum timoris, ſed ſpiritum timoris: non paſſionem velut ex prava radice, ſed donum à Spiritu Sancto proveniens ibidem inſinuavit. Et quamvis diſcrimen ibi adponat Apoſtolus legem novam, inter, & veterem, & in priori conſtituat ſpiritum charitatis, ad differentiam poſterioris, in qua ſpiritus timoris vigebat: quis ignorat perfectionem in Novo Foedere ex lege gratiae inſinuaſſe, haud verè malum, & culpam in Veteri teſtamento ex lege ſcripta adſeruiſſe, ne infamiae nota inuratur Teſtamento Domini, & Foederi Sancto? Quum id univerſim Patres inſinuent, clariſſimè praeceteris expendit Angelicus Doctor, qui Angelicè quidem Apoſtoli mentem, & verbum fuit interpretatus, Apoſtolico Magiſterio non ſemel, & coelitùs edoctus (b). Sic enim S. Thomas: (c) „ Noli „ enim iterùm in nova lege (ſicut in „ veteri lege fuit) *accepiſtis ſpiritum „ ſervitutis in timore*; ſcilicet poenarum, quem timorem Spiritus Sanctus „ faciebat: *ſed accepiſtis ſpiritum*, ſcili„ cet charitatis, qui eſt *adoptionis filio„ rum*, ideſt per quem adoptamur in„ filios Dei. Galat. IV. *Ut adoptionem„ filiorum reciperemus*. Non autem hoc „ dicitur, quaſi ſit alius, & alius ſpi„ ritus, ſed quia idem eſt ſpiritus; ſci„ licet, qui in quibuſdam facit timorem „ ſervilem, quaſi imperfectum, in aliis „ facit amorem filialem, quaſi quod„ dam perfectum. „ Et alibi, ut oſtendat hunc timorem ſervilem eſſe bonum, eodem Apoſtoli teſtimonio utitur directè contrà Oppoſitores. (d) „ Nullum „ malum eſt à Spiritu Sancto; ſed ti„ mor ſervilis eſt à Spiritu Sancto, quia „ ſuper illud Rom. VIII. *Non accepiſtis „ ſpiritum ſervitutis*, dicit Gloſſa (e) *Unus „ ſpiritus eſt, qui facit duos timores*, ſci„ licet ſervilem, & caſtum. Ergò ti„ mor ſervilis non eſt malus. „ Imperfectus quidem eſt hicce timor ad differentiam filialis timoris, qui perfectus eſt, & qui adhuc manet in Patria, juxtà illud Pſalmi XVIII. *Timor Domini ſanctus*

(a) *S. Thomas* Lectione II. in Cap. III. II. ad Corinthios.

(b) *In Vita S. Thomae. Et in Officio ejus juxtà ritum Ord. Praedicatorum Reſponſor. IV. dicitur*: Scholas Thomae Paulus ingreditur: ſacra ſimul ſantur myſteria, dignè tandem per raptum trahitur vir coeleſtis ad Coeli praemia.

(c) *S. Thomas* Lectione III. in Cap. VIII. ad Romanos.

(d) *S. Thomas* 1. 2. *Q. XIX. art.* 4. argum. ſed contrà.

(e) *Gloſſa, quam laudat S. Thomas, fortaſſe eſt deſumta, vel ex S. Auguſtino, vel ex Venerabili Beda. Hinc Cl. N. Job. Nicolai, ſic ad* margi*nem ibidem dicit*: Colligitur aequivalenter ex Auguſtino in I. Epiſt. Johannis Tract. IX. ubi paulò aliter, tamen ait Spiritum unum eſſe, qui per Davidem dixit permanere timorem in Seculum Seculi, (ſcilicet filialem) & per Johannem dixit à charitate foras mitti (nempe ſervilem) Beda autem ex particula illa „ non „ accepiſtis ſpiritum„ infert„ idem ergò ſpiritus, ſed in tabulis lapideis in timorem, in tabulis cordis in dilectionem.

Digitized by Google

Vus permanens in ſeculum ſeculi (a) : qui inſuper fuit etiam in Chriſto Domino, prout reſpiciebat Divinam eminentiam, ratione cujus reverentiam in illius anima cauſabat, ut Angelicus, praecipuè ex illo Iſaiae XI. *Replebit eum ſpiritus timoris Domini*, manifeſtat (b). Et ideò hic timor perfectus, cùm in animam intrat, expellit imperfectum ſervilem timorem, ideòque dicit Apoſtolus : *Charitas foras mittit timorem*. Verùm quia imperfectus eſt laudatus ſervilis timor, non idcircò malus eſt, ſed è contrà bonus; ceu ille, qui viam parat filiali (ut ex Auguſtino ſuprà obſervatum eſt) & principium, ſeu initium eſt perfectae virtutis, ut ex illo Eccleſiaſtici I. *Initium ſapientiae timor Domini*, Patres, praeſertim Caſſiodosus (a), & V. Beda luculenter oſtendunt.

Ad monumenta Patrum ex adverſo laudata ab Oppoſitoribus facilis eſt reſponſio ex praenotatis; Sed mirari ſubit, quomodo haec ità fraudolenter in medium producantur, cùm vel ab ipſis met hoſtibus dignoſcantur aliò ſpectare, & peſſumè contrà nos conторqueri. Verùm, ut aliqua ex M. P. depromta addamus ad confuſionem potiùs, quàm ad confutationem adverſariorum, non alienum exiſtimo priùs breviter indicare, quid in objectis ejuſdem teſtimoniis M. Pater damnaverit, nimirùm, dumtaxat timorem mundanum, ſeu, qui dicitur à recentioribus Theologis de Schola *ſerviliter ſervilis*, quia, nempe, poena ſolùm prohibet actum, ſed adfectum ad culpam non tollit : ſicut in ſervis poenae, rebellibuſque id genus, ac refractariis ſubditis eſt obſervare : de quibus profectò ait Poëta : *oderunt peccare mali formidine poenae*; ideòque S. P. utitur exemplo lupi, adulterae, &c. de qua re alibi diximus. Timorem autem ſervilem non eſſe *caſtum* docet Aquilinus Doctor, & optimè quidem : Sed nunquid, quia caſtus non eſt, ideò fortaſſè impurus? Gerrae litterionum, & quiſquiliae grammaticulorum. Dicitur caſtus timor, quia ille eſt, quem ſponſa ergà ſponſum ſervat; ſicut filialis, quia eſt à filio Patrem reverente, & timente, ut abundè paullò ante ex Angelico fuit adnotatum.

En igitur aliqua ex M. P. deſumta teſtimonia, quae veritatem catholicam manifeſtant, & clarificant contrà damnatarum theſium Patronos. „ Modò „ (inquit (c)) „ Gehennam timeo, arde„ re timeo, in aeternùm puniri timeo; „ Quid dicturus ſum? Malè times, va„ nè times? Non audeo, quandoquidem ipſe Dominus ablato timore „ ſubjecit timorem, & ait, ubi dixit: „ Ne-

(a) *Ità S. Thomas* 2. 2. *Qu. XIX. art. XI. in O.*
(b) *S. Thomas III. P. Qu. VII. Art VI.*
(c) *Caſſiodorus* : Pulchrè definitum eſt, *inquit*, quid ſit timor Domini; ſcilicet initium ſapientiae : Per hunc enim ad Dominum veluti quibuſdam januis introitur : nam ſi metus judicii ejus neſciatur, converſionis medicina negligitur.
(d) *Ven. Beda in* Cap. I. Eccleſiaſtici, *inquit*: Duo ſunt timores Domini : Prior ſervilis, qui principium ſapientiae vocatur : Secundus amicalis, qui perfectiorem ſapientiam comitatur. Timor ſervilis principium ſapientiae eſt, quia quiſquis poſt errorem delictorum ſapere incipit, primò timore Divino corripitur, ne ad tormenta ducatur; ſed hunc perfecta dilectio foras mittit. Succedit autem timor Domini Sanctus, quo timet filius bonus ne oculos amantiſſimi Patris offendat.
(e) *S. Auguſtinus* Serm. CLXI. *aliàs* XVIII. de Verbis Apoſtoli *Cap. VIII.*

Digitized by Google

„ *Nolite timere eos, qui corpus occidunt, & postea non habent, quid faciant; sed eum timete, qui habet potestatem, & corpus, & animam occidere in gehennam ignis: ita dico vobis, hunc timete.* „ Cum ergo Dominus timorem incesserit, & repetendo verbum comminationem geminaverit, dicturus ego sum, Male times? Ista non dicam. „ Planè time, nihil melius times; nihil est, quod magis timere debeas.„ Et iterùm alibi (a): „ Nisi timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem; *Initium sapientiae timor Domini*: incipit ergò à vinculis ferreis, finitur ad torquem aureum. Dictum est enim de sapientia: *En torquem aureum circà tuam cervicem.* Non tibi imponeret, nisi primò in compedibus ferreis te alligasset. Consummaris ad sapientiam.„ Similiter apertius alibi idipsum directè contrà sophismata oppositorum (b): „ Ille timor non „ dum castus praesentiam, & poenas „ timet. Timore facit, quicquid boni „ facit: non timore amittendi bonum „ illud, sed timore patiendi illud malum. Non timet ne perdat amplexus „ pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam. „ Et tandem, ne alia ejusdem M. P. monumenta (c) laudem, ità ad rem nostram concludit. „ (d) Salubriter non solùm bonitatem, „ verùm etiam severitatem Dei Sancta „ Scriptura commendat, quoniam & „ amatur Deus utiliter, & timetur.„ Quare nullibi S. P. adstipulatur Patronis confixi erroris, & si quid aliquandò adserat, quod videatur specie tenus conforme novitati proscriptae, id certissimè solùm est, vel ad eliminandum humanum, seu mundanum timorem; vel ad insinuandum, quòd aliunde ex praecepto charitatis homo teneatur ad fugiendum malum, & prosequendum Deum ex momento Divinae bonitatis: ne, videlicet, semper in timore fixus, quum spiritum adoptionis in Evangelio acceperit, quo timorem foras mittat per charitatem, & Deo summo Bono adhaereat, & filialem retinens timorem, inserviat Patri, non recedat à sponso. Hoc, inquam, insinuat, inculcat, repetit non semel Augustinus; sed nullimodè, quae ità docet, sunt contrà catholicam thesim hucusque vindicatam. Ità pariformiter explicanda sunt ceterà, quae laudantur, monumenta Patrum: nimirùm, vel quòd detestentur mundanum timorem, qui solùm ex depravato amore sui procedit, ex illo, inquam, amore, qui aedificat civitatem Babylonis usque ad Dei contemtum: vel quòd insinuent non esse in merò, nudoque servili timore sistendum.

Ut autem dissolvam argumenta ex Angelico Magistro non sine violentia, nec sine fraude excerpta operae pretium est ex peculiari momento expendere illa: quapropter aliquantulùm protrahere moras non taedet. Ad primum ergò S. Thomae monumentum (non quidem art. 2. ut P. Viva scribit, sed artic. VII. ad 2. uti reapse est.) Respondeo, quòd uti-

(a) *Idem S. P.* Enarratione in Psalm. CXLIX.
(b) *Idem* Enarratione in Psalm. CXXVII.
(c) *S. Augustin. pluries, praecipuè* Ser. CLXXX. *aliàs* XXXVIII. de verbis Apostoli, & *Lib. II.* de adulterinis conjugiis.
(d) *Idem* Lib. I. contr. Adversarium Legis, & Prophetarum *Cap. XVI.*

utique ibi laudata verba Angelicus habet, sed statim subdit: *secundùm quod in se consideratur*, ut, nimirùm, ostendat in eo, qui agit per metum, esse involuntarium voluntario mistum, estò involuntarium hoc, quod est ex generali ratione, fiat hìc, & nunc voluntarium, ut dilucidè idem S.D. articulo praecedente expenderat, & paulò ante, ejusdem integra sententia relata, fuit à nobis adnotatum. Hinc idem Angelicus eodem Artic. VII. eadem responsione ad secundum subdit. *Et ideò, quod per metum agitur, quodammodo est involuntarium.* Sed haec quid ad rem prò adversariis, quum ex eodem met textu S. Doctoris eorum sphalmata profligentur? Interpretationem autem, seu solutionem P. Viva, sicut non carpo, sic non adprobo, cùm praestò sit dilucida responsio, seu expositio laudati monumenti ex eodem met contextu, & ex eadem invariata S. Thomae doctrina. Dum enim Sol nitet radiis, ut quid quaerere lucernae lumen?

Ad posterius S. Thomae monumentum (non quidem Art. X. ut refert Author *Theologiae supplicis*, sed art. I. praesertim quum Angelicus laudatam quaestionem quatuor dumtaxat articulis absolvat) respondeo, quòd jure summo, & consultò nimis S. Doctor ibidem adposuit particulam SICUT, dicendo: *qui timore poenae aliquo peccato abstinet; non simpliciter ejus voluntas à peccato recedit*, SICUT *recedit voluntas ejus, qui amore justitiae abstinet à peccato*, ut, nimirùm, ostendat non pariformiter alterutrum agere: diversimodè quippe agit, qui ex timore poenae recedit à malo, ac qui amore justitiae à peccato declinat; hic semper rectè agit, secùs ille, qui non semel fugiendo ab exteriori actu interiorem servat adfectum ad culpam; idque in hebraeis praesertim est observare, qui dumtaxat timore poenarum cessabant ab exteriori opere, sed animo culpae adhaerebant, quod vel ex solo Psalmo LXXVII. colligere fas est, etiam si totius Veteris Testamenti historia, nec à limine, saluteur. Inquit enim Regius vates: *Cum occideret eos, (Deus) quaerebant eum, & revertebantur, & diluculò veniebant ad eum. Et rememorati sunt, quia Deus adjutor eorum est, & Deus excelsus redemptor eorum est. Et dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei. Cor autem eorum non erat rectum cum eis, nec fideles habiti sunt in Testamento ejus.* Si ergò fideles non sunt habiti in Testamento ejus, certè hebraei solùm temporalibus attriti poenis, earum timore concussi, fidem non servarunt de Deo summo aeterno Provisore bona coelestia electis, gehennales verò flammas praeparante malignis. De hisce ergò carnalibus hominibus sermonem habuerunt Patres, & verbum habuit Aquinas, dum eorum conversationem ex timore procedentem adseruerunt, eorumque Foedus scriptum varium à novo dixerunt ex praefato discrimine: quia illi, nimirùm, litteram, non spiritum adtendebant; ex adverso tamen Christiani, quibus data est lex Gratiae abactis umbris, & Spiritus Sanctus diffusus est in cordibus eorum, ut constat. Qua de causa M. Augustinus ait: (a) *Sicut in Sacramentis veteris Testa-*

(a) S. P. Augustinus Lib. de Baptismo Cap. XV.

Digitized by Google

ſtamenti vivebant quidam ſpirituales, (a) *ad novum ſcilicet Teſtamentum, quod tunc occultabatur, occultè pertinentes; ſic & nunc in Sacramento Novi Teſtamenti, quod jam revelatum eſt, plerique vivunt animales, qui proficere ſi nolunt, ad percipienda, quae ſunt Dei, ad vetus Teſtamentum pertinebunt,* quod etiam apertè docuit S. Thomas (b). Sed non indè infertur, quòd timor ſervilis (ut diſtinctus ab humano, & mundano) fuerit, aut malus in Hebraeis, aut deteſtabilis in Chriſtianis: quum in utriſque fuerit initium ſapientiae, & ſociatus ſpe veniae, cum odio culpae, procul dubio ad virtutem, & charitatem ſemitam paraverit, ut ex ſuprà ubertim dictis evidenter colligitur. Differebat autem dumtaxat lex vetus à nova penes perfectum, & imperfectum, ſicut etiam nunc ſpiritus timoris, & amoris. Verùm, vel ex hac differentia acu tangitur utramque legem à D. O. M. idemque donum timoris, & amoris eſſe à Spiritu Sancto. Ut autem res pleniſſimè probata magis firmetur ex eiſdem Theologiae ſigniferis, quamvis breviter, robur addere placet, oſtendendo ex eodem timore praeparari hominem ad amorem: adeòque omninò, vel ex eo timorem ſervilem eſſe bonum, & ſupernaturalem actum, dum eſt de objecto revelato, quia per eum introducitur charitas. Auguſtinus enim ſic loquitur: (c) *Timor ſervus eſt charitatis: Ne poſſideat diabolus cor tuum praecedat ſervus in corde tuo, & ſervet Dominae venturae locum: fac vel timore poenae, ſi non dum potes amore juſtitiae.* Et iterùm: (d) *Adhuc timor ille ſervilis eſt cuſtos quidem malorum, ut abſtineant ſe à malis, & abſtinendo digni ſunt ad ſe admittere charitatem.* Reliqua id genus monumenta nuper fuere laudata. Angelicus autem ità ait: (e) *Timor per ſe, & primò reſpicit malum, quod refugit, quod opponitur alicui bono amato; & ſic per ſe timor naſcitur ex amore. Secundariò verò reſpicit ad id, per quod provenit tale malum; & ſic per accidens quoque timor inducit amorem, in quantùm ſcilicèt homo, qui timet puniri à Deo, ſervat mandata ejus, & ſic incipit ſperare, & ſpes introducit amorem.*

Ad tertiam objectionem ex ratione petitam reſpondeo totam à capite ad calcem ſcatere fraudibus ac fallaciis, quae cùm ſint jam deſectae, & ventilatae, nil obſunt veritati. Quis enim è Catholica communione Theologus unquam adſeruit eum timorem utilem ad ſalutem ſupernaturalem, & honeſtum, qui ſecum habeat adnexum adfectum ad culpam. Tridentina Synodus, quae timorem Gehennae declaravit actum bonum, laudabilem, & ſupernaturalem, ſicut pariformiter ex ejus momento conceptam attritionem, nedum

(a) *Illuſtria in Veteri Teſtamento praeſtò ſunt exempla Heroum, qui fide freti, charitate adcenſi Chriſtianae virtutis opera exantlarunt. Sic Tobiae II. v. 18.* Filii Sanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt iis, qui fidem ſuam numquam mutant ab illo. *Sic II. Machab. VII. v. 8.* Tu quidem in praeſenti vita nos perdis, & Rex mundi defunctos nos prò ſuis legibus in aeternae vitae reſurrectione ſuſcitabit. *Quin etiam in lege naturae Job ajebat cap. XIX. v. 25.* De terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deum.

(b) *S. Thomas 1. 2. qu. 106. art. 1. ad 3. & q. 107. Art. 1. ad 2. & 3. Vide ibi praecipuè notas marginales Cl. N. Johannis Nicolai.*

(c) *S. Auguſtinus* Serm. *XIII.* de Verbis Apoſtoli.

(d) *Idem S. P.* Serm. *XVIII.* de Verbis Domini c. 12.

(e) *S. Thomas 1. 2. Qu. XLIII. Art. 1. ad 2.*

Digitized by Google

dum hujuſce adfectus deteſtationem inſinuat, verùm ulteriùs requirit in homine ſic dolente, aut timente, fidem, piam motionem, ſpem in Deum miſericordiae Patrem, & cetera, quae bonum, honeſtum, & ſupernaturalem etiam reddunt actum, non quidem meritorium vitae aeternae, ſed diſpoſitivum ad juſtificationis gratiam, cùm ſit à Spiritu Sancto, non inhabitante, ſed movente. Timor autem ille noxius honeſtate carens, & diris ſummo jure ſacrandus ille eſt, qui ex pravo corde, & inordinato amore procedit: qui, nimirùm, ſimul eſt conjunctus cum adfectu ad culpam; hinc non redditur melior, ſed hypocrita, & magis peccator, qui timet poenam, & Judicem ſpernit; ſicut reapſe contremiſcunt doemones, qui Deum odio habent: & in terra timent latrones, adulteri, ceterique ſceleſti, qui utique timent ſupplicia, ſed ſcelera, vel clàm, & cautè patrare non deſiſtunt. Haec autem adhaeſio prava non eſt conjuncta timori ex ſuapte natura, ſed accidentalis eſt: cùm etiam timor ſervilis abſque hujuſmodi prava adfectione ſtare poſſit, & notum eſt cunctis, qui rationis ſunt compotes, nec ſunt infixi in limo ſcelerum. Tunc porrò timor eſt actus honeſtus hominis, quando ſic timens cor, & manum à malo avertit, & dum poenam formidat, ſcelus declinat: cùm loco ſtimuli cedit ſupplicium addictum, ut recedat à crimine, & properet ad virtutem: verbo dicam, ſemper bonum agit, qui ſic timet. Sicut enim ad honeſtatem, & charitatem pertinet, ut homo ſibi exoptet bonum conveniens, & honeſtum: ità pariter ad eandem honeſtatem, & charitatem ſpectat, ut timeat oppoſitum malum; adeòque dum timetur malum ſuperioris ordinis, ſeu poena à Deo ſupernaturali Proviſore, juſtoque vindice comminata, & Theologica fide cognita, uti eſt gehenna, timor ille bonus eſt, & ſupernaturalis; nec non attritio ex metu gehennae concepta actus bonus, & ſupernaturalis eſt, à Spiritu Sancto movente procedens, & diſponens hominem ad juſtificationis gratiam, ut hucuſque ubertim ex dictis eſt manifeſtum: quibus propterea, vel minimum addere, ſuperfluum eſt, & ſupervacaneum.

Devictis autem hoſtibus veritatis, & catholico dogmate vindicato, claudendi rivos aderat tempus. Verùm quia mei muneris, & oneris eſt, ut etiam vindicem mei Ordinis Theologos, & decorem ſervem viris illuſtribus, praeſertim iis, qui Probabilioriſmum tuentur, manum è tabula ſubtrahere diſtuli, ut id perficerem, quod agere contendo; paululumque immorandum cenſui ad confutationem aliquorum, quae in P. Viva adnotavi. Laudatus, inquam, Scriptor, iterùm contrà Patronos amoris inchoati in Sacramento Poenitentiae requiſiti ad validitatem Sacramenti calamum acuens, mirè, ſed non ſine antilogia decertat. Quum enim in medium produxiſſet aliquos laudatae ſententiae Patronos (a), eoſque, etſi paucos (lon-

(a) *Viva T. III. hic n. XXI. pag. 168. edit. primae Neapolit.*

Digitized by Google

gè plures, illustrioresque omisit(a)) non ignobiles Theologos, eos quippe, quos prae suis affectis suspiciunt, quotquot Eruditi audiunt: nimirùm Jansenium Gandavensem Episcopum (etsi P. Viva absolutè Jansenium dicat, num arte, an innoxiè? Deus scit.) Estium, Molanum, Lovanienses nonnullos (suppresso nomine) cum Christiano Lupo, Macario Harvemans, de la Verdure, Fervaque, & alios relatos in scripto *Doctrina Theologica per Belgium manans*, expressè tamen adjuncto Sylvio: cumque ex Thomistis, ut dicit, relatis apud laudatum de la Verdure Duacensem Professorem solùm retulisset Cajetanum, Victoria, & Contenson: ex Doctoribus autem Societatis dumtaxat Toletum, Comitolum, & Pallavicinum laudasset, confestim suam adposuit sententiam de valore Sacramenti cum sola attritione ex metu gehennae concepta sine ullo actu amo-

(a) *Doctores, qui adstruunt ad valorem Sacramenti poenitentiae non sufficere puram, nudamque Attritionem, sed saltem requiri aliquam charitatem imperfectam, seu actum amoris inchoati, quàm plures certè sunt, iique illustres, cùm ante, tum post Concilium Tridentinum; imò etiam post decretum Alexandri VII. eruditione, dignitate, & virtute celebres, nedum ex Belgio, sed ex universis Orbis partibus. Aliquos tamen laudabimus per classes. De Veteribus nemo certè ambigit, cùm omnes indiscriminatim asseruerint contritionem necessariam ad Sacramenti Poenitentiae valorem. Ex aliis post exortam distinctionem attritionis à Contritione, seu majoris explicationis ejusdem, ultrà laudatos à P. Viva, aliosque laudandos, praecipuè commendabiles sunt, qui dignitate insignes Concilio Tridentino interfuerunt, nimirùm, Simon Vigor Archiep. Narbonens.* Dominic. XIV. post Trinitatem, *Guillelmus Cassadorus Episcopus Barcinonensis* in Rituali de poenitentia cap. 7. *Gaspar Casalius Episcopus Leirensis*: De Quadripartita justitia lib. 2. c. 13. & 23. *Franciscus Sonnius primus Antuerpiensium Episcopus* Tract. IV. de Poenitentia cap. 6. *Richardotus Atrebatensis Episcopus* in Instructione Sacerdotum cap. 42. *Martinus Ritbovius primus Iprensis Episcopus* in IV. Sentent. Dist. XIV. *Joh. Antonius Paniusa Episcopus Litterien sis* T. III. Opusculorum cap. II. *Cornelius Jansenius Gandavensis. Ex reliquis dignitate fulgentibus, qui Concilio non interfuerunt, Otho Augustanus Episcopus, & Cardinalis* in Instructione Sacerdotum Lect. 14. *S. Carolus Borromaeus* Act. Eccles. Mediolan. P. IV. *Fridericus Nausea Episcopus Viennensis* in Catechismo lib 3. cap. 45. & cap. 66. *Marianus Victorius Episcopus Rheatinus, Nicolaus Thuanus Carnotensis Episcopus* in Rituali, *Petrus de Villars Archiepiscopus Viennensis* in Rituali. *Id pariter omnes Episcopi Galliarum in eorum Edictis, Ritualibus, & Operibus, praecipuè Franciscus Gennetus Episcopus Vasionensis* de Sacramento Poenitentiae, *apud quem cetera Gallorum monumenta, & Synodi, necnon declaratio Cleri Gallicani. Vide etiam Carolum Vvitasse Sorbonicum Professorem* Tom V. de Sacram. De Contritione. *Similiter prò hac sententia stant Petrus de Motta* lib. 3. Catholicae professionis cap. 9. *Jodocus Ravesteinus in* Apologia ad Conc. Trident. *Jacobus Pavva Andradius Lusitaniae Regis in Tridentina Synodo Theologus* Lib. VI. adversus Kemnitium, *Andr. Vega Tridentini Theologus* Lib. VI. cap. 28. *Gentianus Hervetus pariter Tridentini Theologus* in Catechismo. *Martinus Navarro* in Manuali c. 1. n. 1. *Johannes Opstraetius* in dissertatione Theologica de conversione peccatoris, *Johannes Morinus* Lib. *VIII.* de Poenitentia, *Carolus Vvitasse ubi suprà, Antonius Boucat* de Sacramento Poenitentiae Dissert. *IV. & quamplures alii passim apud laudatos Vvitasse, Lupum, & Morinum. Ex NN ultrà veteres praecipuè S. Antoninum, Petrus Soto Carolo V. à Confessionibus, & Tridentini Theologus* in Assertione fidei Catholicae adversùs confessionem Vitembergicam, *Dominicus Soto Tridentini pariter Theologus* in *IV.* Dist. *XVI.* Qu. 1. art. 7. & lib. 2. de natura, & gratia. *Johannes Vigerius* in Institutionibus Catholicis de Sacram. Poenit. *V. Ludovicus Granatensis* Concione I. de Poenitentia, *Raphaël Jacobatio de* Sacram. Poenitentiae. *Natalis Alexander* T. I. Theol. Dogmatic. Moral. de Sacr. Poenit. *& alii. Ex Societate Jesu Didacus Laynez alter à S. Ignatio Praepositus Generalis, & Claudius Jasus Coadjutor Lipomani Episcopi Veronensis in Concilio Tridentino prò hac sententia steterunt, ut testatur Card. Palavicinus* in Histor. Concil. Triden. Lib. *VIII. Alphonsus Salmero ejusd. Tridentini Theologus* T. *III.* Tract. 22. de Cantico Zachariae. *Petrus Canisius* in Catechismo. *Joh. Maldonatus* de Poenitentia *cap. 2. Joh. Theodorus Macherentinus* in Catechismo Trevirensi *c. 4. Bernardinus Rosignolius* lib. de disciplina Christianae perfectionis. c. 8. *Galterius* in Tabula chronographica status Eccles. Catholic. Secul. V.

Digitized by Google

amoris, vel inchoati. Sed quomodo eam perpolivit, distinxit, magnificavit? Audi candide Lector. Primò eam dixit *communissimam* (a), deinde *ferè communissimam* (b), post pauca *penè communissimam* (c), tandem iterùm *communissimam* adpellavit (d). Haec, inquam, de sua sententia: de opposita verò (quam Alexander VII. *sub poena excommunicationis, &c. censurae alicujus Theologicae, alteriusve injuriae, aut contumeliae nota taxari prohibuit*) ità loquitur. Tenuissimae probabilitatis eam dicit (e), & *communiter post Tridentinum rejectam* (f). Proh turpem antilogiam, audaciorem-que dicendi libertatem! Qui ergò sapiens audis rem benè perpende: perlustra insuper integrum P. Viva textum, & deinde sententiam dicito: cùm mihi alia superaddere non lubeat, sed solùm à S. Romana Sede veritatis Magistra, & Controversiarum Judice exspectare decretum, cui gratulanter, & obsequenter submitto fasces.

Ulteriùs P. Viva progreditur, & dum in medium profert tertiam sententiam, ità de ea loquitur. (g) *Tertia sententia cum Victoria, Soto, Nav. apud Suarium l. c. requirit contritionem saltem existimatam*. Bone Deus! post unum alterumve verticulum *Victoriam* hujusce sententiae facit authorem, qui pridem ante unum, alterumve verticulum adcensuerat eundem *Victoriam* Patronis sententiae requirentis verum amoris, vel initialis, actum ad valorem Sacramenti? Vah detestabilem caespitationem! Sed ubi nam Soto id habet, qui oppositum directè docet, ut alibi etiam dixi (h)? Sat est vel ea consulere, ut falsitas P. Viva dignoscatur. At cur lustranda sunt, vel à P. Viva aliàs dicta, quum ipse met hìc post pauca adferat Sotum certasse prò sententia requirente contritionem in Sacramento Poenitentiae ad illius valorem (i)? Solùm haud inane erit alibi ab eo dicta perpendere, ut ejus antilogia notetur, & Nostris Theologis jus illaesum servetur. Plura adversùs laudatum Viva ad vindiciam mei Ordinis Theologorum adnotare paraveram, praesertim, quia alibi NN. Victoriam, & Soto adcensuit laxonibus (k). Verùm quia in calce, iterùm hic aliter expendit eorum sententiam, cujus etiam facit authorem Card. Toletum (procul tamen à vero, cùm Toletus reapse stet prò sententia requirente aliquem contritionis actum in Poenitentia, ut constat ex ejus operibus publici juris factis, quibus dumtaxat est adhibenda fides, secùs verò reconditis quibusdam manuscriptis, ad quae P. Viva adpellat) ideò finem exercitationi facio, & Apologiae.

(a) *P. Dominicus Viva* Theses Damnatae ab Alexandro *VIII*... Ad Theologicam Trutinam revocatae juxtà pondus Sanctuarii *Tom. III. primae editionis* Neapoli ex Typographia Michaëlis Aloysii Mutio An. *MDCCVIII. fol.* 168. *nu. XX.* Communissima tamen, & moraliter certa sententia docet attritionem secluso quovis motivo charitatis, etiam putato, sufficere.

(b) *Idem ibidem fol.* 171. *n. XXII.* Dicendum tamen cum ferè communissima, *&c.*

(c) *Viva ibidem fol.* 178. *n. XXXI.* Nihilominus penè communissima Doctorum sententia, *&c.*

(d) *Idem ibidem fol.* 179. *ad calcem n. XXXI.* Spectata communissima Theologorum auctoritate.

(e) *Idem ibidem fol.* 180. §. Nam ut aliàs.

(f) *Idem ibidem fol.* 188. §. Sed primò.

(g) *Viva ibid. p.* 168.

(h) *Vide Exercitationem nostram XXXII. Tom. II.*

(i) *Viva ibidem fol.* 180. cum Magistro... Soto, & aliis putent requiri contritionem perfectam.

(k) *Idem Viva T. II. in* Propos. *LVII.* Innoc. *XI. Vide eand. N. Exercitat. XXXII. T. II. fol.* 365.

Digitized by Google

EXERCITATIO X.

XVI. PROPOSITIO.

Ordinem praemittendi ſatisfactionem abſolutioni, induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiae, ſed ipſa Chriſti lex, & praeſcriptio, natura rei idipſum quodammodo dictante.

XVII. PROPOSITIO.

Per illam praxim mox abſolvendi ordo poenitentiae eſt inverſus.

XVIII. PROPOSITIO.

Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti Poenitentiae, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia, non habetur prò uſu, ſed prò abuſu.

CUjus ſint furfuris, cujuſque fermenti tres adpoſitae theſes, quas profligandas adſumimus, nemo certè, qui in meridiè non coecutit, ignorat. Ex Janſeniano rigore perciti quidam phanatici, quos nova ſentiendi, & nova dicendi prurigo invaſit, non ſine gravamine conſcientiarum, nec ſine corruptione Verbi Divini, docuerunt, quòd nulli, quacumque labe hic ſit irretitus, quomodocumque peccator exiſtat, eſtò unius criminis, & occulti, ſit reus, impertienda ſit abſolutio, antequam dignam factis poenitentiam impoſitam à Dei miniſtro exſequatur. Quapropter adſeruerunt revocandam fore primaevam Eccleſiae diſciplinam de exomologeſi ante manuum impoſitionem, etiam ſi in praeſentiarum, nec idem urgeret momentum, nec par cauſſa foret. Prò hac, inquam, diſciplina revocanda velis remiſque contendentes, ut novitatem rigoremque firmarent, in quot, heu! quoque errores prolapſi ſunt mentientes de vanitate in idipſum? Commenti ſunt primaevum illum Eccleſiae ritum non dandi lapſis veniam ante exomologeſim, ſeu ante expletam ſatisfactionem per opera poenalia, eſſe ritum à Chriſto Domino praeſcriptum; adeòque legem Divinam ſummo ſtudio ſervandam, quam propterea, quia per plura Secula Eccleſia non ſervavit, ordo Divinae Inſtitutionis inverſus, & oeconomia ſanctae adminiſtrationis corrupta eſt. Propterea igitur, addiderunt, ſervandam haud fore praeſentis Eccleſiae praxim, quamvis ea plurium ſeculorum praeſcriptione firmata ſit, & Doctorum calculo munita: quandoquidem corruptela morum eſt, & everſio Divinae legis, quae ut labefactata purgetur, antiquata renovetur, prò aris, & focis, ut ajunt, dimicandum eſt. Et quamvis ſemper, adhuc in praeſentiarum, aut publicis peccatoribus, aut proximè peccandi occaſione detentis, aut prava conſuetudine irretitis, abſolutionem ex cauſſa fore denegandam Eccleſia decreverit: hanc legem haud ſufficere ad ſartam tectam Chriſti Servatoris ordinationem cuſtodiendam oggannierunt: contendentes proinde cuicumque etiam occulto peccatori, & quomodocumque, vel uno crimine, abſque periculo relapſus, irretito, ex hoc fore differendam abſolutionem, donec exomologeſim peregerit lamentationibus, precibus, afflictiviſque ope-

Digitized by Google

operibus plenam: quia, nimirùm, & priſtina praeſcriptio id exigit, & Divina lex id praecipit, & rei natura id poſtulat. Sic, inquam, quovis quaeſito colore, novelli Phariſaei effutierunt, non erubeſcentes criminari, vel Sanctiores, Doctioreſque Eccleſiae Paſtores, quibus morem gerere religionis eſt onus: nec ipſius met Eccleſiae, quae columna, & firmamentum eſt veritatis, jus ſervantes illaeſum. Sed quinam fuerint Recentiores *Rigidioriſtae*, praecipuè hujuſce commenti, aut inventores, aut propagatores? (cùm non omnes ex eadem Janſenii Schola in eam deſcenderint ſententiam) meum non eſt in praeſentiarum perpendere, ac manifeſtare, ſatiſque eſt, vel digito monſtraſſe radicem infectam, undè corrupti frutices pullularunt. Mei autem oneris, ac muneris eſt unum ex iſtis malè traductum à P. Viva (a), & Janſenianis adnumeratum vindicare à calumnia, & impoſtura; quia etſi non fuerit alumnus Ordinis, cui ego nomen dedi, inſignis tamen Thomiſta eſt, & Sancti Thomae fidiſſimus diſcipulus, ac ὑπερασπιστης, cui propterea, ut ad vindiciam ſuppetias feram, me adſtrictum noſco, & profiteor. Hic, inquam, eſt Cl. ille Theologorum Heros, inſigniſque Scripturarum Interpres, quem nulla non venerabitur aetas, Guillelmus Eſtius: Quamvis enim Petrus de Oſma (b) primùm hunc docuerit errorem, quem renovarunt aliqui (non omnes) è Belgio, quum aliqui dumtaxat è Belgio in eum deſcenderint errorem, ſicut, & aliqui è Galliis; hinc in Queſnellio (c) binae hae infectae pice fuerunt proſcriptae theſes; & longè ante Pariſienſis Facultas, *ut Temerarias, & Haereticas, & à Siſto IV. contrà Petrum de Oſma, illiuſque ſequaces praedamnatas*, confixit caſdem theſes ab aliquibus rigidioribus Gallis procuſas, ut referunt NN. Natalis Alexander (d), & Hyacinthus Amat de Graveſon (e): Eſtius tamen numquam id, vel obiter in-

(a) *P. Viva T. III. bic §. I. pag.* 189. Iterùm hìc error in hac confixa theſi apud Belgas Rigoriſmi ſectatores, illumque tuentur Eſtius, *&c.*

(b) Petrus Oxomenſis (*inquit N. Franciſcus Vanraſt in* lib. veritas in medio. Errones Seculi XV.) Theologiae in Academia Salmaticenſi Profeſſor anno 1479. hos inter alios docuit errores. *I.* Non à Chriſto inſtituta, ſed ab hominibus invecta eſt Confeſſio Sacramentalis. *II.* non ſunt abſolvendi poenitentes, niſi acta priùs poenitentia iis injuncta. *Quod pariter anteà ſcripſerat N Natalis Alexander* Hiſtor. Eccl. Sec. XV. *qui inſuper haec de eiſdem erroribus Petri Oxomenſis adnotavit. Art. VII.* Hos errores Alphonſus Carrillus, Toletanus Archiepiſcopus, compluti juſſu Siſti IV. Pontificis Maximi, convocatis viris doctiſſimis, poſt accuratum examen damnavit; Authoremque, niſi retractarer, Anathematis ignominia notavit, lata ſententia ad Nonum Kalendas Junii, quam paulò poſt Siſtus Romae confirmavit edita Conſtitutione V. Idus Auguſti ... Petrum Oxomenſem juſto volumine confutavit Johannes Prexanus nobilis ea aetate Theologus. Narrat verò Bannes Commentario in 2. 2. S. Thomae Qu. I. Art. X. Petri Oxomenſis librum ſimul cum Cathedra in media Schola igni traditum.

(c) *Propoſitiones in Queſnellio notatae ſunt. LXXXVII.* Modus plenus Sapientia, lumine, & charitate, eſt dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum poenitentiae, & contritionis, & incipiendi adminus ſatisfacere juſtitiae Dei, antequam reconcilientur. *LXXXVIII.* Ignoramus quid ſit peccatum, & vera poenitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit; & detrectamus ſeparationis illius ferre confuſionem.

(d) *Natal. Alex. T I.* Theol. Dogmat. Moral. lib. *II.* de Sacram. Poenit. Regul. *III.*

(e) *Graveſon* Hiſtor. Eccleſ. Sec. *XVI.* Colloq. *VI.*

Digitized by Google

indigitavit ; quinimò ex professo hunc errorem profligavit (a) . Falsò igitur tantus Doctor à P.Viva (fortasse decepto ex aliorum falsa relatione) traducitur . Qui revera praecipuè est gastigandus is procul dubio est Joseph Bingham, qui acrius modernam Ecclesiae consuetudinem (b) circà reconciliationem poenitentium carpit , estò Anglo-Calvinianus homo auricularem confessionem, & Sacramentalem poenitentiam inficietur. Verùm ejus falsitas, & calumnia ex nunc dicendis pleniſſimè ventilabitur .

Impugnantur autem viritim confixae theses , estò eodem corrupto fermento commaculatae unicum conflent intolerabile sphalma . Et quidem , qua fronte, qua audacia adseri potest à Christo Domino fuisse legem latam de satisfactione antè absolutionis sententiam peragenda , quum nullum opportunum, authenticumque suppetat monumentum ad id probandum ? Evangelia namque silent : Lucas in Actibus Apostolicis nullum ea de re verbum habet : Paulus itidem ultrà crimen Corinthii incestuosi publicae poenitentiae addicti , & ad tempus ab Ecclesia decretali sententia segregati , nil hùc faciens memorat : nil tandem memoriae mandarunt ceteri Domini discipuli , qui Canonicas epistolas scripserunt . Similiter Patres , quum Apostolici Seculi , tùm posterioris aetatis , qui de exomologesi sermonem habuerunt , variam juxtà temporum diversitatem disciplinam in administratione poenitentiae ab Ecclesia retentam commendarunt , ut alibi ubertim expendi . Igitur consuetudo primaeva absolvendi poenitentes post expletam satisfactionem prò commissis sceleribus est sanctio quaedam , non à Christo Servatore firmata , sed ab Ecclesia statuta , & prò diversitate temporum varia , unde justa ex caussa potuit etiam aboleri . Quis enim, vel in Theologia novitius, ignorat hanc esse unicam solidamque probandi , & discernendi Ecclesiasticam traditionem , seu disciplinam ab omni alia Divina ordinatione , aut traditione ; nimirùm , ejusdèm consuetudinis variam prò temporum conditione observantiam , *lege fidei*

(a) *Guillelmus Estius* In *IV.* Sententiarum Dist.XV. §.XV. *postquam veterem , & novam Ecclesiae disciplinam commemoravit , & adnotavit variationem primaevae disciplinae non ità serò initium habuisse, sed ex temporibus S.Leonis M. ut constat ex ejus* Epistola *XCI. eumque ritum immutatum adhuc ab Augustino laudatum dicat* in Epistola ad Honoratum Episcopum num.CXXX. (*in nova editione Benedictinorum CCXXVIII.*) *subdit , & concludit* . Unde meritò damnatus est in Concilio Complutensi sub Sisto IV. hic inter alios Petri Oxomensis articulus , non esse absolvendos poenitentes , nisi peracta priùs poenitentia ejus injuncta . *Et quamvis immediatè subdat* : Cui tamen definitioni nequaquam adversatur , si quis dicat hoc exigere divinam justitiam, ut semper aliqua saltem satisfactio remissionem culpae antecedat , nimirùm, ea quae constitit in dolore contritionis . *Tamen ex eo, nec procul quidem, damnatas theses Estius salutat , cùm ea , quam vindicat sententia Catholica sit , eamque ex M.P. Augustino* lib.de Continentia C.VI. *nos etiam satis propugnavimus contrà P.Viva , ubi de actu amoris incboati , seu de dolore ob offensam Dei concepto , qui Contritionis nomine exprimitur , paulò ante sermonem habuimus . Consule notam Cl. Canonici Torni saepiùs prò merito laudati ad calcem praefati textus Estii , quae erudita nimiùm est . Et ex his , quae ibi Postillator habet, luculenter ostendit ab Estio fuisse propugnatum decretum Alexandri VIII. in confixione harumce trium damnatarum thesium , quas nunc impugnamus . Quàm ergò procul à vero abiit P.Viva, fortasse ex lectione Francolini deceptus .*

(b) *Bingbamus* Origin. Ecclesiastic. *T.VIII. Lib.XIX. Cap.II.*

Digitized by Google

dei manente, ut Tertullianus ait? Nullum profectò validius argumentum, monumentum firmius nullum ab Orthodoxis in medium produci potest ad distinguendam Ecclesiasticam à Divina traditione, firmandamque disciplinam, quàm illud de diversa prò temporum conditione observantia rerum, ut notum est cunctis, qui vel à limine Theologiam salutarunt. Quapropter eo ex momento varias adstruimus id genus consuetudines, quo firmissimè disciplina statuatur: nimirùm circà jejunium ante-Paschale, circà communionis frequentiam, circà festivitatum celebritatem, Agaparum usum, & alias consuetudines, de quibus non semel ubertim est actum. Eas insuper idcircò probamus ex Ecclesiae praescripto, eoque vario itidem ortum habuisse; neque id diffitentur, vel ipsi Acatholici recentiores; etsi in quampluribus errent confundendo cum Ecclesiastica Divinam traditionem: quapropter, qui in thesi conveniunt, discrepant in hypothesi: firmissima tamen regula est ad laudatum discrimen servandum, ea, quam nuper tradidimus, & non semel vindicavimus. At cùm ità res se habeat, quis, nisi delirando, adserere poterit disciplinam circà satisfactionem poenitentialem, nimirùm ante absolutionis sententiam primitùs peractam, ad Divinam institutionem spectare, quum ea variam, maximamque subierit mutationem, ut post pauca iterùm expenderur? Ne dum quidem V. labente Seculo alicubi plenè fuit immutata, alibi verò seriùs; sed in ipsis met prioribus Seculis diversimodè fuit peracta, & dispensatione etiam accedente absolutio fuit indulta priùsquam exomologesis per poenalia Canonica opera exsolveretur. Igitur clarissimè evincitur non ad Divinam institutionem eam facere; sed solùm, & dumtaxat ad consuetudinem Ecclesiasticam, quae sicut ex caussa potest variationem subire, ità pariformiter ex caussa potest penitùs aboleri, salva manente satisfactione poenitentiali, quae, utpotè pars integralis Poenitentiae Sacramenti, sat est, ut sit in voto ante absolutionem, & post eam, ut executioni mandetur. *Satisfactio*, inquit Angelicus (a), cui Theologi omnes adhaerent, *confert gratiam, prout est in proposito, & auget eam prout est in executione*.

Quòd verò praescriptio ab adversariis opposita non firmet Divinam legem, nec modernae Ecclesiae praxi obsit, vel ex eo perspicuum est: quoniam innumerae Ecclesiasticae consuetudines, sanctaeque ordinationes plurium seculorum diuturnitate firmatae, justaque ex caussa postmodùm aboletae, eo ex momento non Divinam, sed Ecclesiasticam institutionem manifestant, ut praesertim observari potest in disciplina jejunii, quae hodie nimilùm est immutata. At qua fronte ad praescriptionem veluti ad novum cavillandi momentum Novatores adpellant, quum praescriptio eorum caussae directè obsistat? Profectò non ab uno, aut altero seculo mos ille primevae disciplinae recessit ab usu; sed duodecim ab hinc Seculis in desuetudinem abiit saltem alicubi, & posteà ubique in Ecclesia: nec quidem paucis

ab

(a) *S. Thomas III. P. Qu. XC. Art. 2. ad 2.*

ab hinc annis, sed à pluribus retrò Seculis, ut ex Eruditorum communi calculo constat. In Oriente quippe, ut observavit Cl. Johannes Morinus, (a) post famosum Nectarii decretum, quod procul dubio accidit circà Ann. CCCXCI. (b) omissis tribus prioribus poenitentiae gradibus, dumtaxat quartus fuit retentus, qui dicitur Σύστασις, seu *Consistentia*, quo nimirùm ab antiquis retrò temporibus absolutio dabatur: hinc ab eo tempore consueverunt illius Ecclesiae delecti Presbyteri immediatè post confessionem occultorum scelerum absolutionem impartiri; estò communionem Eucharisticam non statim indulserint, sed servato deinde, quinimò adaucto rigore primaevo in ejus dilatione, seu retardatione prò criminum varia conditione. In Occidente verò estò serius idem vigere coeperit ritus incunctanter absolvendi occultos peccatores ad lamenta poenitentiae confugientes, non tamen ità serò, ut plura non excurrerint Secula, ex quo hanc variatam novimus politiam. Extant namque monumenta IX. VIII. VII. quin etiam, & V. Seculi, ex quibus luculentissimè constat in Occidente statim post confessionem occultorum criminum (modò nulla alia extaret causa, non secùs ac modò, differendi absolutionem) ad communionem admittebantur fideles, imò eis etiam colligitur publica crimina fuisse post confessionem dimissa imposita gravi poenitentia postmodùm exsequenda; quod pariformiter constat ex reliquis monumentis Ecclesiae Orientalis, quae laudat Morinus. IX. namque Seculo S. Nicolaus I. Rom. Pontifex Vvincarum, qui tres occiderat filios, verè contritum absolvit, imposita ei poenitentia duodecim annorum, ex quibus septem solùm sine communione Eucharistica forent (c). VIII. Seculo floruit S. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus, qui in suis Statutis absolutionem, adhuc non expleta poenitentia, impertiendam fore statuit (d). VII. Seculo claruit S. Eligius Noviomensis Episcopus, qui id pariter adseruit, decrevitque (e). V. Seculo M. P. Augustinus discrevit peccata à criminibus, & ubi prioribus indulsit absolutionem, quia nimirùm occultis, aut non

(a) *Morin.* de Administrat. Poenit. lib. VI. *Cap. XXIV.*

(b) *Nectarii edictum hoc fuit. Quum Constantinopoli ea invaluisset consuetudo, ut ad humiliationem spiritus, & majorem criminum emendationem scelera occulta theatrali confessione panderentur, nimirùm, ut ex Poenitentiarii mandato poenitens palam se reum commissi criminis coràm populo accusaret: quia praefati Poenitentiarii indiscretione Matrona quaedam, quae clàm cum Diacono concubuerat, dum in Ecclesia moraretur poenitentiae causa, de hoc scelere palam se accusavit, scandalum magnum in Urbe Imperatoria exarsit, laicis contumeliis impetentibus Presbyteros. quare Nectarius, & Poenitentiarium removit, & facta facultate cunctis etiam graviora crimina pandendi ceteris Presbyteris, indulsit pariter, ut secreta auriculari confessione peracta, ad Eucharistiam accederent fideles.* Nectarius, *inquit Sozomenus* Histor. Lib *VII. Cap.* 16. . . . consulentibus quibusdam, ut unicuique liberum permitteret, pròut sibi ipse conscius esset, & confideret, ad mysteriorum communionem accedere. Poenitentiarium illum exautoravit, quod quidem ex eo tempore in ritum vindicarum fuit. *Idem habet Socrates* Lib V. Hist. *Cap.* 19. *Consule Polemicos veritatem vindicantes contrà Dallaeum, ceterosque Novatores variàm ex hoc facto impugnantes confessionem auricularem, praesertim. Vide Card. Bellarmin. Juenin, Boilau, San. Marth. NN. Natalem, & Card. Gotti.*

(c) *S. Nicol I.* Epistola ad Rovilandum Episcopum.

(d) *S. Bonifacius* in suis Statutis *Cap.* 31. In Spicilegio *Tom. IX.*

(e) *S. Eligius* Homil. *XIII.* Tom. Bibliot. PP.

Digitized by Google

non gravioribus, estò lethalibus; denegavit tamen posterioribus ex oppositò momento (a). Innumera insuper extant exempla ad rem praesentem dilucidandam, confirmandamque, quae ad prolixitatem eliminandam omittimus, praesertim quia alibi ea de re fusiùs habuimus verbum (b). Consuli prae ceteris potest Cl. Dionysius Peravius (c), qui novellum hoc commentum in Antonio Arnaldo ex professo, & viriliter profligavit.

Verùm, quod tertio loco, seu postremùm in damnata priore thesi adponitur, ità commentitium est, ut vix tolerari possit. Ubi nam in Divino Eloquio, aut in Patrum monumentis adseritur de Poenitentiae quidditate, seu natura confessionis auricularis esse, ut occulta crimina (saltem) non dimittantur, nisi expletis poenitentiae operibus luctuosis? Si Evangelium lustraverimus, ea procul dubio praestò erunt Christi Servatoris *Acta*, & documenta, quae vel dimissionem apertam scelerum ab eo factam exprimunt, vel insinuant in allegoria, quid sit à Dei ministris in Poenitentiae Tribunali agendum. Neutra tamen id exprimunt, quod jactant damnati commenti Authores. Mulierem peccatricem, quae dilexit plurimùm, & lacrimis lavit scelera sua, confestim absolutam in pace dimisit, Zachaeum, & Matthaeum ad cor conversos in discipulos actutùm admisit, Latronem è cruce pendentem, & corde dolentem, ac confitentem in Salvatore Divinitatem, protinùs excepit, & certiorem de aeterna beatitudine fecit dicens: *hodie mecum eris in Paradiso*. Paralytico ait: *dimittuntur tibi peccata tua*, nulla ei, sicut, & ceteris, imposita praevia satisfactione implenda. Lazarum typum peccatoris confessionis Sacramento curandi, è mortuis redivivum protinùs solvi jussit. Protulit parabolam Filii prodigi, qui ad cor reversus statim ac ad pedes Patris provolutus ingeminavit: *Pater peccavi in Coelum, & coram te*: misericordia motus Clementissimus Genitor extentis ulnis, in oscula, & amplexus ruit, in filium excepit profugum, ad laetitiae convivium eum admisit, ceteris pariter adjunctis Clementiae signis, quae nonnisi maximam Dei Charitatem confestim condonantis crimina, nulla exspectata exteriori poenarum solutione sententiam absolutionis praecedente, manifestant. Quid tandem si Poenitentiae Sacramenti quidditatem Theologico criterio perscrutemur? Fuisse hoc Sacramentum à Christo Domino institutum instar Judicii forensis (hoc solo discrimine servato, ut idem sit sui accusator, testis, & advocatus: quippe, qui rem totam, uti extat ante Deum, sine fuco, absque fraude manifestat Dei Ministro Christi vice sententiam ferenti) universim Theologi adfirmant, & docent. Verùm hoc adserto, ubinam, quaeso, est invenire solemnem illum ritum ab adversariis adsertum, & rigorem de adimplen-

(a) *S. Augustinus* in Enchiridio ad Laurentium *Cap. VI. I. III. aut VI. edition. BB.*

(b) *Vide integram* Exercitationem XV. *nostram. T. I.*

(c) *Dionysius Petavius* Theolog. Dogmat. de Poenitent. Publica, & praeparat. ad Communionem, *ubi pluries de hac re verbum habet adversus Antonium Arnaldum, quem ex professo impugnat.*

da satisfactione ante sententiam absolutionis? In Forensi judicio non semel, sed ferè universim post sententiam absolutionis à reo dimisso exsecutioni mandantur, quae adimplenda fuere praescripta per decretum Judiciis condonantis. Pariformiter quoque judicii Sacramentalis quidditas, seu natura servatur per praesentem consuetudinem absolvendi peccatores verè contritos, antequàm injuncta poenalia opera exsequantur; adeòque vel ex hoc falsitas damnati commenti manifestatur, & adversùs Patronos ejusdem argumentum retorquetur.

Et ex his impugnatur modò secunda thesis, ex cujus profligatione pariter confirmatur catholica veritas hucusque à novitatis errore vindicata. Quomodo enim, Bone Deus! per praxim mox absolvendi ordo poenitentiae fuit inversus? Numquid ne hoc accidit, quia à Christo Domino fuit indictum absolutionem non fore largiendam, nisi poenitentia peracta, poenalibus, nimirùm, operibus prius expletis? Falsissimum id esse ex hucusque dictis constat, & clariùs itidem elucescit ex eadem primaeva Ecclesiae disciplina. Et nonne juxtà priscam Ecclesiae praxim, nedum infirmis in agone mortis constitutis, verùm & sanis fidelibus ex momento persecutionis urgentis, aliove ex imminente periculo confestim post confessionem criminum fuit reconciliatio indulta, nulla priùs poenitentia peracta, quamvis publica ea forent crimina, de quibus canonica erat poenitentia subeunda? Id ex alibi dictis innotescit (a), & notum est Eruditis cunctis ex innumeris, quae praestò sunt, Antiquae Ecclesiae monumentis (b). Quomodo igitur ad Christi Domini institutionem adpellant rigidiores Theologi, ut modernam Ecclesiae praxim traducant? Procul dubio si adserta institutio, seu lex ista saepiùs jactata extitisset, Patres omni gloria digni eam haud labefactassent. Quum ergò illustres illi, sanctique Ecclesiae Pastores hanc clementiam cum peccatoribus, etiam in graviora crimina lapsis, ea, nimirùm, quae publica exomologesi erant purganda, exercuerint, ut eorum saluti occurrerent, vel infirmitate premente, vel tyrannide in Christianos clasficum canente: nulla certè ex adverso aderat Divina lex prohibens absolutionem nondum plenè purgatis. Consequenter etiam ex eodem momento charitatis Ecclesia praesens Divina suprema potestate fulta priscam consuetudinem immutavit confestim absolutionem indulgendo fidelibus verè contritis: ut, videlicet, per celerem absolutio-

(a) *Vide eandem Exercitationem XV. T. I.*

(b) *Vide prae ceteris* Epistolam S. Innocentii I. ad Exuperium Episcopum Tholosanum, *Concilium Agathense* Canone XV. *Carthaginense IV.* Canone LXVI. & *Nicaenum I.* Can. XIII. *Synesium* Epistola LXVII. ad Theophylum. *Legesis etiam Lupum, Schelstrate, Thomassinum, Juenin, Morinum, N. Natalem, & alios saepiùs à nobis laudatos cùm hìc, tum alibi. Lege praecipuè ex PP. S. Cyprianum* Epist. ad Antonianum LII. *antiqu. editionis, & ex Theologis Joh. Morinum* de Poenitentiae administratione *Lib. I. Cap. XIX. ut acu tangas, quàm turpiter mentitus fuerit Joseph Binghamus adserendo solum mortis articulum causam fuisse indulgendi absolutionem nulla poenitentia canonica priùs expleta, cùm ex eisdem Cypriano, & Morino clarissimè colligatur, id etiam fuisse indultum imminente quolibet animarum periculo.*

Digitized by Google

lutionem, quam subsequeretur poenitentia digna factis, facilius ad meliorem reducerentur frugem, qui tanto non erant praediti charitatis fervore, quanto praecellebant primaevi Christiani, pauciores certè numero, ut alibi est adnotatum, & omnibus est notum. Hoc quippe dumtaxat ad quidditatem Sacramenti Poenitentiae facit, hoc ad Divinam institutionem firmandam solummodò attinet, ut, nimirùm, nonnisi contritis, & correctis absolutio detur imposita illis satisfactione poenali: hoc, inquam, semper Ecclesia tenuit, & contrà haerodoxos, & contrà laxiores Theologos non semel decrevit, diffinivit, ut pluries ubertim fuit ostensum (a). Quòd verò satisfactio, quae est pars integralis Sacramenti, ut dictum est, exsolvatur antè, vel post sententiam reconciliationis, mera disciplina est; eaque non ad mores pertinens, ut comminiscuntur Patroni damnati erroris, sed ad politiam Ecclesiae spectans: quandoquidem, & antè absolutionem, & post illam canonica, vel injuncta poenalia opera luens, aequè potest Deo satisfacere, & in melius proficere correctus; quinimò non semel perfectiùs, cùm sit per contritionem, & gratiam sacramentalem magis Deo conjunctus. Hoc (iterùm, iterumque dico) solummodò pertinet ad disciplinam morum, seu ad ritum Divino jure praescriptum, ceterae autem qualescumque consuetudines ad politiam faciunt, possuntque ex causa variam subire mutationem, ut in innumeris id genus consuetudinibus, etiam superiùs indigitatis, est observare.

Quòd si fortè fortuna ex eo pertentant adversarii modernam (falsò tamen, cùm sit nimis vetusta) consuetudinem traducere, quia lex de absolutione impertienda post expleta poenalia opera ab Apostolis fuit lata: ex eodem momento eorum adsertio impugnatur. Et nonne Apostolicae leges eadem authoritate sunt latae, qua praesentes Ecclesiae leges feruntur? Id nemo, qui Christianus audit, in dubium audet revocare. Quapropter cùm ad disciplinam pertineant, ex eodem momento Divini cultus, causa legis variata, mutationem non semel subiit Apostolica institutio. Id vel in sola disciplina Agaparum (ut ceteras ad Apostolicum Seculum pertinentes consuetudines missas faciam) est observare. Agapae enim, seu convivia charitatis, in quibus etiam Divinum Epulum Christifidelibus distribuebatur in memoriam Dominicae Coenae, consuetae erant Apostolorum aevo, earumque meminit (b) Apostolus ad Co-

(a) *Vide eandem* Exercitationem *nostram Tomo I. &c.*

(b) *Apostolus I. Corinth. XI.* Convenientibus vobis in unum, jam non est Dominicam Coenam manducare: unusquisque enim suam Coenam praesumit ad manducandum, & alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? Aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? *De hisce Agapis sermonem ibidem habuisse Paulum testis luculentus est Chrysostomus* Homil. in I. ad Corinth XI. *sicut etiam Theodoretus ibidem. Judas Apostolus etiam dum in sua* Canonica *invehitur contra dissolutionem Nicolaitarum in suis Conventibus, in eorum* conviviis maculas *esse dicit. Graecus autem textus habet* ἐν ταῖς ἀγάπαις σπιλάδες in Agapis maculae.

Digitized by Google

rinthios ſcribens, memineruntque Patres illuſtriores (a). Sed eas ritè fuiſſe deinde ab Eccleſia relegatas ad evitanda ſcelera, quae ex faſtu, ambitione, ſuperbia, & crapula naſcebantur, nemo qui in hiſtoria Eccleſiaſtica non ſit peregrinus, ignorat. Cur ergò fas non fuit Eccleſiae poſterioribus Seculis ex cauſſa diſpenſare ſuper Apoſtolica diſciplina ad politiam Eccleſiaſticam pertinente, quum non minùs Apoſtolis, quàm ſequioribus Eccleſiae Paſtoribus eadem fuerit à Chriſto collata poteſtas variandi, & immutandi ritus, ſalva Sacramentorum ſubſtantia, ut Tridentinum apertè docet (c)? Verum neque Apoſtolicam extare adſerram ab adverſariis legem, ſeu diſciplinam hanc ex eo clareſcit, quia Apoſtolico Seculo, etiam de publicis atrocioribus criminibus Canonicae Poenitentiae obnoxiis, mitior fuit diſciplina, rigidior verò ſequiori aetate, & varia haec itidem circà temporis praefixionem. Quandoquidem ab Apoſtolorum aetate ad haereſim uſque Montani, quae circà medium II. Seculum graſſari coepit, nullum praefatae exomologeſis peragendae tempus fuit praefixum, ut conſtat ex eo, quod Paulus de Corinthio inceſtuoſo refert (d), & Clemens Alexandrinus de Praedone à S. Johanne Evangeliſta ad poenitentiam revocato memoriae tradidit (e); & ex eo, quod univerſim de Poenitentiae diſciplina Hermas Apoſtolicus Scriptor inquit (f): quinimmò ex eiſdem facilè negotio colligitur horumce lapſorum gravem etſi, ac laborioſam poenitentiam nimia diurnitate temporis haud fuiſſe protractam (g). Author Conſtitutionum Apoſtolicarum meminit aliquarum hebdomadarum poenitentiae praefato tempore conſuetae (h); & quod magis mirari eſt: Irenaeus narrat, quòd foeminae aliquae à Marco haereticò corruptae illicò poſt flagitii ſui confeſſionem fuere receptae (i). Euſebius pariformiter recenſet Natalium ab haereticis quoque deceptum, poſt lacrymas, & ſuſpiria, necnon adgeniculationes ad pedes Sacerdotum, & laicorum ex fervente dolore ſtatim ac poenitentiam po-

(a) *De hiſce Agapis in Chriſtianorum Conventibus conſuetis verbum habuit Plinius* in Epiſtola ad Trajanum. *Vindicavit eas ut innoxias Tertullianus in* Apologetico *Cap* 39. Coena noſtra de nomine rationem ſui oſtendit. Vocatur enim ἀγάπη, quod eſt penès Graecos dilectio, *&c. Meminerunt etiam PP. Synodi Gangrenſis contrà Euſtbatianos Canone XI. Hieronymus in I.* Ad Corinthios cap. *XI. Oecumenius ibidem, aliique. Conſulantur Eruditi de eiſdem agentes, praecipuè Card Bona* Rerum Liturgic. Lib. *I. Cap. I. §. XIV. Gabriel Albaſpinaeus Epiſcopus Aurelicuenſis* Obſervationum lib. *I. Cap XVIII. Johannes Cabaſſutius* Notit. Eccleſ. Seculi *II.* Diſſertat. *VI. Guillelmus Eſtius in* I. Ad Corinthios *Cap. XI.*

(b) *Apud laudatos Authores cauſſam probibendarum Agaparum eſt legere: conſule itidem Concilium Carthaginenſe III.* Canone *XXIX. & M.P. Auguſtinum* Epiſtola *CXVIII.* ad Januarium, & contrà Fauſtum lib. XX. c. 22. *Concil. Laodicaenum* Can. *XXVIII. Concilium Aurelianenſe II.* Can. *XII. Idem quoque eſt legere apud Beveregium* Not. in Canon. *LXXIV.* Concil. Trullani, *Suicerum* Theſaur. Eccleſ. *T. I. p.* 27. *& Bingham.* Origin. Eccleſiaſt. *T. III. Lib. XV. Cap. VII.* §. 9.

(c) *Concil. Tridentin.* Seſſione *XXI Cap.* 2.

(d) *Apoſtolus* I. Ad Corinthios cap. V. *cùm Corinthium* tradidiſſet Sathanae in interitum carnis, *hoc eſt poenitentiae eum addixiſſet, ut PP. interpretantur, ſequenti anno reconciliari voluit,* ne abundantiori triſtitia abſorberetur, *ut conſtat ex* II. Ad Corinthios cap. 2.

(e) *Ità ex Clemente Alexandrino refert Euſebius* Lib. II. Hiſtor. Eccleſiaſtic. *Cap. XVII.*

(f) *Hermas in* Libro Paſtoris.

(g) *Conſule praecipuè Gaſparem Juenin* de Sacramentis Diſſert VI. de Poenitentia *Art. I. & Carolum VVitaſſe* de Satisfactione Sect. I. de varia Eccleſiae diſciplina circà Poenitentiam Publicam *Tom V. edit. Venet.*

(h) *Vulgatus S. Clemens Rom.* Lib. II. Conſt. Apoſtolic. *Cap. XVI.*

(i) *S. Irenaeus* Lib. *II.* adverſ. Haereſes.

Digitized by Google

popoſcit corde contrito, fuiſſe ad reconciliationem admiſſum (a). A' Montano uſque ad Novatianorum ſchiſma eadem quoque viguit diſciplina; & quamvis prolixius fuerit in explendis laborioſis operibus tempus conſumtum, praefixum tamen id nunquam legitur: quinimò Romae hanc indulgentiam fuiſſe actam cum moechis à Zephirino Pontifice conſtat ex eo, quod Tertullianus in Montani haereſim lapſus contrà laudatum Pontificem ſcripſit calamo felle polluto (b). Poſt haereſim Novatianam uſque ad Concilium Nicaenum durior fuit exomologeſis indicta, prolixiuſque adſignatum poenitentiae tempus, eſtò alicubi, ſaltem in Africa, mitior fuerit diſciplina (c). Poſt Nicaenum Concilium, quàm varia fuerit, ſaltem ex diverſitate locorum, poenitentia, nemo, qui eruditus audit, ignorat; & ſat eſt, vel per tranſennam rimari Canones Conciliorum, & Patres variarum, cùm Orientis, tùm Occidentis regionum, ut varietas diſciplinae, modò lenioris, modò rigidioris, perſpiciatur. Quum ergò tàm varia fuerit priſcis illis, primiſque Eccleſiae feliciſſimis Seculis, ad quae Patroni damnatarum theſium adpellant, & Apoſtolico Seculo lenior prae ceteris fuerit exomologeſis prò atrocioribus, publiciſque criminibus: imò cùm eo adhuc tempore nulla praevia ſatisfactione poenali, praecedente tamen contritione perfecta, fuerit actutùm delinquentibus reconciliatio per abſolutionem facta, qua fiducia, niſi temerè, poteſt Apoſtolica ſanctio jactata firmari? Peſſumè comminiſcuntur, qui talia fantur.

Sed opponunt I. Cypriani monumentum luculentiſſimum, quo, ajunt, adſtruitur neceſſaria ſatisfactio poenitentialis ante abſolutionem Sacramentalem; & ſic argumentum efformant: S. Martyr, & Praeſul calamum in fulmen acuens adversùs Presbyteros, & Paſtores omnes celeriùs, quàm fas erat, admittentes ad reconciliationem poenitentes, ſeu confeſtim abſolventes à criminibus reos, qui impetrato Martyrum libello ad poenitentiam convolabant, ità loquitur. (d) „ Emerſit enim, fratres „ dilectiſſimi, novum genus cladis, & „ quaſi parùm perſecutionis procella „ ſaevierit, acceſſit ad cumulum ſub „ miſericordiae titulo malum fallens, & „ blanda pernicies. Contrà Evangelii vigorem: contrà Domini, ac Dei „ legem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio. Irrita, „ falſa pax, periculoſa dantibus, nihil „ accipientibus profutura. Non quaerunt ſanitatis patientiam, nec veram „ de ſatisfactione medicinam. Operiuntur morientium vulnera: & plaga „ lethalis altis, & profundis viſceribus „ infixa diſſimulato dolore contegitur. „ Perſecutio eſt haec alia, & alia tentatio, per quam ſubtilis inimicus impugnandis adhuc lapſis occulta populatione graſſatur, ut lamentatio con-

„ quie-

(a) *Euſebius Caeſarienſis* Lib. *VI.* Hiſt. Eccleſiaſtic. *Cap. ultimo*.

(b) *Tertullianus* Lib. de Pudicitia.

(c) *Lege S. Cyprianum* Epiſtola ad Antonianum, *necnon decretum Cleri Romani Anno Chriſti* 253. *& alterum cujus meminit ideni S. Cyprianus ad* Antonianum Epiſtola *LII. necnon* Epiſtolam S. Cornelii ad Cyprianum, *&c. Conſule pariter Eruditos ſaepiùs laudatos*.

(d) *S. Cyprianus* Libro de Lapſis.

Digitized by Google

„ quiescat; ut dolor fileat, ut delicti „ memoria evanescat. Ut comprimatur pectorum gemitus, statuatur fletus oculorum, nec Dominum graviter offensum longa, & plena poenitentia deprecetur, quum scriptum „ sit; *memento unde ceciderit, & age poenitentiam.*„ Igitur confestim absolvere poenitentes, non exspectata prius per laboriosa opera debita satisfactione, est invertere disciplinam Ecclesiae ad mores pertinentem, & pessumdare Dei legem in perniciem animarum.

II. Objiciunt in Evangelio apertam nobis tradi regulam verae poenitentiae, quae tunc certè servatur, cùm quis arceatur à reconciliatione, ut sua crimina dignoscat, & se indignum confiteatur: Quare laudant illud Lucae XVII. *Occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longe*, nec fine consilio: quia nimirùm, inquit Quesnellius, *Peccati lepra indignos nos efficit, qui Deo appropinquemus... Non est delictum mortiferum, quod non coram Deo majorem ferat excommunicationem: siquidem ipso Deo nos privat .... jam illi denuò appropinquare incipis, cùm te, qui appropinquas, indignum reputas. Inde inchoanda poenitentia*: post quae verba immediatè subdit propositionem LXXVIII. in eo damnatam: *Ignoramus quid sit peccatum, &c.*

III. Idem Quesnellius ex illo Actorum IX. *Et erat*, Paulus, *ibi tribus diebus, & non manducavit, neque bibit*, ità infert differendam esse absolutionem poenitentibus, estò contritis, donec persolvant poenam sceleribus respondentem. *Deus ipse supremus director, & Medicus animarum, nihil in reconciliatione S. Pauli, quantumvis miraculosa, praeposterè agit. Triduum illud austeri jejunii, orationis assiduae, & status coecitatis, humiliationis, & poenitentiae nos docet, quid in poenitentia, servata proportione, agere oporteat.* Tum adponit Thesim LXXVII. in eo confixam *Modus plenus sapientia, &c.*

Verùm indoctè nimis, nec sine fraude argutantur Oppositores, contorquentes propterea monumenta Patrum, & Scripturarum. Et ut singillatim callidas objectiones, & fallacias retundam. Quid ad rem S. Cypriani authoritas laudata? Numquid ne ea viget in praesentiarum consuetudo circà ministerium poenitentiae, quam S. Cyprianus in sui aevi laxonibus castigavit? Apage commentum. Apage calumniam. Adhuc in praesentiarum Ecclesia eam custodit disciplinam, quam S. Martyr commendat, & prò qua remis, velisque contendit: quod, ut clarius fiat, rem totam expendere lubet. Quia persecutione urgente facillimè fideles ruebant, exterritique tormentis, aut idolis palàm thus adolebant, aut etiam accepto securitatis libello, estò sine exteriore idololatrico cultu, fidem ejerabant, seu in exteriori confessione deficiebant, ut alibi diximus *libellaticorum* vocabulum explanando; idcircò ad compescendam fidelium ruinam, sano, sanctoque consilio, Ecclesia lapsos hosce, etsi ad poenitentiam admiserit, à reconciliatione tamen exclusit, donec luctuosa exomologesi, ac diutina maceratione purgati, cum fructu perciperent veniam, & cautiores fortioresque permanerent; necnon exemplo horumce poenitentium severa, debitaque poena correctorum, pedem à lapsu removerent ceteri, qui stabant fideles, exterriti, nimirùm, poenis Ecclesiae,

cleſiae, & ſancto timore coërciti. Haec, inquam, cauſſa fuit, ut diù removerentur à communione lapſi: quare alicubi etiam fuit ſtatutum, ut ad mortem uſque in poenitentia perſeverarent (a). Verùm quia Cypriani tempore, & in Africa, quàm plures fuerunt benigniores, quos vocant, adminiſtri poenitentiae (non ſecùs ac in praeſentiarum) qui vel charitate quadam inepta, & fucata permoti, vel ex libellis martyrum, quos deferebant lapſi, ſeducti faciliter remittebant lapſis Canonicas poenas, & citiùs, quàm fas erat, eos ad reconciliationem admittebant non ſine horum-ce damno, nec ſine aliorum ruina: quandoquidem hi contrà fas, & jus abſoluti verè contriti non erant, qui legem Eccleſiae refugiebant; & quia liberrimè admiſſi facilius relabebantur ſub ſpe facilis admiſſionis; ceteri autem, qui perſiſtebant, terrore poenarum, quas minabantur Tyranni, & in dies ſubibant Confeſſores, impulſi ad ruinam, pronius ruebant, ſibi eandem ſpondentes veniam poſt lapſum, quam aliis indultam noverant; idcircò Sanctiſſimus Praeſul, & Martyr Cyprianus Dei zelo, & ſecundùm ſcientiam adcenſus calamum in fulmen acuit contrà ſui temporis laxones: jure ſummo hanc pacem falſam dixit, & contrà Divinam legem, dantibus quidem noxiam, & lapſis mortiferam: quia, nimirùm, contrà Eccleſiaſticam legem Divino naturali juri innixam, ad ruinam fidelium, ac infidei dedecus erat indulgentior remiſſio delictorum. At quid haec, quae Cyprianus ait, contrà modernam Eccleſiae conſuetudinem, detecto velo explicatoque ejus ſcripturae momento? Numquid ne id Eccleſia nunc habet in uſu, quod Cyprianus arguit? Procul nimirùm à verò, & nonniſi per calumniam, & impoſturam poteſt adſeverari. Quod tunc Eccleſia praecepit, diſciplinam, quam eo tempore cuſtodivit, quod Cyprianus agendum inculcavit, nunc cuſtodit Eccleſia, eodemque ex momento, etiamſi in praeſentiarum non urgeat tyrannorum furor, ſanctam ſeveritatem ſervat in reconciliatione lapſorum. Quapropter, qui fidem negarunt, aut quomodolibet falſam fidei profeſſionem, etiam occultè, emiſerunt, aut quomodocumque in haereſim fuere prolapſi, dumtaxat à Supremo Tribunali poſſunt abſolvi, nec ſine gravi ſpirituali poena: quòd ſi relapſus etiam occulti periculum adſit, reconciliationem denegat Eccleſia, nec indulget, donec perfectè curatus per ſalutaria praevia medicamina ſpem certam correctionis exhibeat. Iis autem, qui exteriùs fidem abnegarunt, eſtò ſemel, & ex timore, ab utraque communione removet, anathemate ferit, & nonniſi poſt multum temporis contritum, & luctuoſa exomologeſi adflictum, verèque poenitentem admittit, ſalutaribus etiam iis impoſitis poenis, quibus poenitens, & Deo ſatisfaciat, & animam ſuam in ſancto propoſito confirmet.

(a) *In Concilio Eliberino* Canone *I. ſic decernitur*: Placuit inter eos, qui poſt fidem baptiſmi ſalutaris, adulta aetate, ad templum idololatrurus acceſſerit, & fecerit, quod eſt crimen principale (quia eſt ſummum ſcelus) nec in fine eum ad communionem ſuſcipere. *Hoc ipſum conteſtati ſunt PP. Africani in* epiſt. LIV. ad S. Cornelium Rom. Pontificem. *Vide Albaſpinaei* Notas in Concil. Eliberin. & Obſervat. *IX. Lib. II.*

Digitized by Google

met. Quinimò habituales omnes, recidivas, concubinarios, & in quacumque occasione peccandi positos à reconciliatione depellit, absolutionis beneficium, ut eis denegent Confessarii, injungit, & mandat Ecclesia, pluribus ex opposito laxioribus thesibus, quibus benignior gratia indulgebatur, nigro theta signatis, quas pluries ventilavimus, nec semel idcircò ipsissimum hoc S.Cypriani monumentum laudavimus ad retundendam laxitatem quorumdam benigniorum Casuistarum.

Alterum ex Evangelio Lucae petitum monumentum violenter nimis, & perperàm à Quesnellio laudatur. Steterunt utique à longè leprosi, non ex humilitatis, alteriusve virtutis momento; sed ex lege prohibente adcessum eis, quos extrà Urbes constituebat, ne contagione pestifera ceteros contaminarent. Nulla igitur paritatis ratio ad probandum recessum peccatoris à reconciliationis beneficio caussa humiliationis, quae praecedere debet sententiam absolutivam. Quinimò retorquetur adversùs Oppositores paritas, & argumentum. Leprosi statim ac ad Christum recurrerunt, & ab eodem ad Sacerdotes fuerunt missi, ut juxtà legem facerent, fuerunt curati; statimque pariter, ac levaverunt vocem suam, fuerunt missi ad Sacerdotes miraculosè in itinere curandi. Igitur statim ac se aliquis accusat in confessione Sacramentali, & verè dolet, unde pariter interna confusione repletus ingèminat: *Pater peccavi in Coelum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius. Sed si iniquitates observaveris Domine Domine quis sustinebit? Quia apud te propitiatio est, ad te Domine confugi, &c.* (hoc utique verè dolens opere loquitur, dum sperans remissionem merito Sanguinis Christi se reum indignum accusat veniam petens ab offenso Deo, ut ex Tridentino constat). Dum, inquam, ità primò ad Deum accedit est curandus medicamine gratiae justificantis, quae per Sacramentalem absolutionem confertur, sicut reapse confestim curati fuerunt à lepra, qui ad Christum recurrerunt.

Quòd si cavillari ulteriùs Oppositores exoptant, & variàm monumentum laudatum distrahere contorquere labefactare pertentant, ad libitum, & libidinem illud adplicando, nonne ex eorum intento sequeretur, quòd foret ab absolutione arcendus, & ad praeviam satisfactionem amandandus, vel ipse solùm corde peccator, ille, nimirùm, qui semel, & dumtaxat ex fragilitate in unicum consensit crimen, statimque post conceptum corde peccatum aperit illud in confessione, ut salvet animam suam? Procul dubio: quandoquidem hic etiam lepra pessima est infectus, & de longè stat. At ubi nam in tota retrò antiquitate est hujuscemodi rigorem adinvenire (a), cùm etiam graviora scelera opere completa remissa confestim legamus eis, quas aliena fraus decepit?

(a) *In Conc. Neocaesarienſi coacto An.CCCXV. Can. IV. Sic decernitur.* Si quis concupita muliere etiamsi concubitus ejus desiderium habeat; non autem subsequatur effectus: manifestum est hunc fuisse per Divinam Gratiam liberatum: *ubi, ut constat, Deo gratias esse reddendas, sed nullam imponendam poenitentiam Canonicam fuit decretum. Vide Morinum* de administratione Poenitentiae *Lib.V.*

Digitized by Google

pit? Nonne etiam S.Cyprianus admittendas fore ad communionem ſine praevia poenitentia dicit Virgines Deo ſacratas, quae nimis familiariter cum Diaconis ſub eodem tecto fuerant converſatae: modò non fuerint ab eis corruptae? luculenter id adſtruit (a): eſtò ſeverè jubeat eſſe ſeparandas, lata itidem in eaſdem, ſi convenerint, ſententia debitae exomologeſis per privationem communionis. Quomodo igitur, ità univerſim de quolibet peccatore loquitur Queſnellius, dum ſic proprio marte figuram, & allegoriam uſurpat? Errorem novit Queſnellius ipſe poſt rectè, ſanctèque fulguritas in eo binas eas theſes, quas in notula deſcripſimus, & ſive ad excuſationem erroris, ſive ad confeſſionem veritatis, proteſtatus eſt, ſe id animo habere, idque ei conſilii eſſe, ut iis dumtaxat negaretur, aut differretur abſolutio, qui vel habituales forent, vel in occaſione peccandi manerent, aut quomodocumque eſſent indiſpoſiti, quibus proinde juxtà doctrinam Patrum, & Canonum ſanctiones abſolutio indulgenda non eſt, ne ſancta dentur canibus (b). Quocumque ergò fine facta fuerit à Queſnellio, & qualiſcumque ejus ſit proteſtatio, magis magiſque firmat catholicam veritatem hucuſque propugnatam: etſi abſque ejuſdem proteſtatione ſolidiſſimè ea probata ſubſiſtat adversùs quemlibet Pontificio decreto rebellem.

Extraneum quoque eſt ultimum nobis objectum monumentum, & alienum nimis à re, quam firmare pertentant rigidiores Theologi, quos impugnamus, quinimò alienum etiam ab eo, quod Queſnellius ipſe docet in proteſtatione ſua, qua adamuſſim Patrum doctrinam tradit praxim à Sacerdotibus tenendam in differenda abſolutione recidivis, aliiſque indiſpoſitis peccatoribus, aut etiam iis, quos ſuo judicio Eccleſia à communionis beneficio repellit. Et nonne converſio Paulina tota miraculis fuit repleta? non inficiatur Queſnellius; quinimò apertè teſtatur. Nonne inſuper ſtatim ac in terram fuit à Deo proſtratus, fuit itidem Divina gratia decoratus Saulus, & non ſine miraculo, ob repentinam converſionem, fuit Deo conjunctus? Id univerſim cum Angelico (c) fatentur quotquot Theologi audiunt. Nulla ergò par cauſa eſt ceteris peccatoribus, quos idcircò Eccleſia removet, vel quia indiſpoſiti arcendi ſunt à participatione Sacramentorum, vel quia, juxtà Rigidiores hoſce Theologos, non ſunt benè purgati, nec plenè proprium

(a) *S. Cyprianus de hac re conſultus, ità reſpondit Pomponio Epiſcopo, qui ſuſpenderat Diaconos, ſed de Virginibus, quid foret agendum, conſiliam petiit à Cypriano.* Si Virgines inventae fuerint (*inquit S.Martyr* Epiſtola LXXII.) accepta communicatione ad Eccleſiam admittantur, hac tamen interminatione, ut ſi ad eoſdem maſculos poſtmodùm reverſae fuerint, aut ſi cum eiſdem in una domo, & ſub eodem tecto ſimul habitaverint, graviore cenſura ejiciantur. Si autem de eis aliqua corrupta fuerit deprehenſa, agat poenitentiam plenam, quia quae hoc crimen admiſit, non mariti, ſed Chriſti adultera eſt: Et ideò aeſtimato juſto tempore poſteà exomologeſi facta ad Eccleſiam redeat.

(b) *Paſchaſius Queſnellius in* Expoſtulatione, ac Proteſtatione §. *XVII. pag.* 297. *& ſequ. Ex reliquis verò Queſnellii Theſibus à S.Sede confixis acu tangitur, quam vitè fuerint binae hae nigro theta ſignatae.*

(c) *S.Thomas* 1. 2. *Qu. CXIII. Art.* 10. Quandoque tàm vehementer Deus animam (*peccatoris*) movet, ut ſtatim quandam perfectionem juſtitiae adequatur, ſicut in converſione Pauli, adhibita etiam exteriùs miraculoſa proſtratione.

Digitized by Google

cognoverunt errorem, quem non dum poenitentiae luctuosae lacrymis exterserunt: qua de causa eos ad praeviam exomologesim amandant. Ut quid ergò in typum poenitentiae, & ad rectam oeconomiam in ejus administratione servandam Pauli triduanum jejunium laudant? Longè porrò diversa fuit causa hujusce abstinentiae, & procul ab eorum intento abit quicquid post conversionem in Paulo antè Baptismum demiramur. Paulus igitur, cujus oculi ex vehementi fulgore coelestis luminis caligaverant, idcircò tribus diebus non manducavit, neque bibit, totus in orationem effusus, totus velut in ecstasim raptus (non illa, qua arcana Dei vidisse aliqui non ineruditi adfirmant (a)) quia intùs illuminato mentis oculo, & corde charitatis ardore flagrante, totus Deo adhaerebat, oblitus terrenorum; & ut Theophylactus observat (b), nunc quidem Deo grates referens de singulari misericordiae dono, quo eum ad se vocaverat, nunc anteactam vitam perpendens, nunc quomodo placeret in posterùm Deo perpendens, coelesti nutriebatur pabulo, quo vegetior fieret ad obeunda Apostolatus munia, & opportunior ad obtinenda charismata meliora. Secùs autem, ut per praeviam poenitentiam reconciliationem in Baptismate consequeretur, qui dumtaxat per Sacramentum regenerationis impletus est Spiritu Sancto (c): Quapropter Ananias discipulus, qui ad eum fuit missus (sive laicus is fuerit, sive Sacerdos (d)) manus ei imposuit, non quidem ad reconciliationis tesseram, sed miraculosae curationis momento, juxtà Domini virtutem Discipulis concessam (e): ideòque dumtaxat ad ejusdem χειροθεσίαν *ceciderunt squammae ab oculis ejus*. Et si quid ultrà in eodem Paulinae adflictionis, & moestitiae triduo velimus adtento oculo rimari, id potissimùm in eo librabimus, quod in unoquoque fideli jam Deo per reconciliationem, & per exomologesim unito adtendendum est: nimirùm, seriam meditationem anteactae vitae, ut ab ea in posterùm pedem avertat, cautiùsque in timore Domini vi-

(a) *Ità opinantur plures, quos validè confutat Cl. Cardinalis Baronius* To. I. Annalium ad An. Christi XXXIV. *Vide etiam Cl. Guillelmum Estium* Commentar. in II. ad Corinth. c. 12. & ad Galatas I.

(b) *Theophylactus* in caput IX. Act. Apostolorum.

(c) *Actor. IX.* Et abiit Ananias, & introivit in domum, & imponens ei manus, dixit: Saule frater; Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas, & implearis Spiritu Sancto . . . Et surgens baptizatus est.

(d) *Author* Constitut. Apostolicar. Lib. VIII. *Cap. ultim.* Ananiam *inter laicos recenset*: *OEcumenius* in cap. IX. Act. Apostol. *inter Diaconos*: *S. P. Augustinus* Qu. I. II. c. 40. *inter Sacerdotes collocat*: *Graeci recentiores inter LXXII. discipulos eum cooptant, Episcopatum Damasci ei tribuunt, & tandem martyrio laureatum eum adstruunt. Festum ipsius ad diem I. Octobris Graeci consignant, Latini verò ad diem XV. Januarii.*

(e) *Marci ultimo*. Super aegros manus imponent, & benè habebunt. *Ideò in Graeco textu hoc Ananiae manuum impositio dicitur* Χειροθεσία Chirothesia, *unde dicitur ibidem*: καὶ ἐπιθεὶς ἐπ' αὐτὸν τὰς χεῖρας, & imponens in eum manus, *ad differentiam alterius manuum impositionis, qua sacris inaugurabantur Diaconi, Presbyteri, & Episcopi, & per quam Spiritum Sanctum dari dicitur in Scripturis, & Sacris Ecclesiae Canonibus, quae idcircò à Graecis dicitur* χειροτονία chirotonia: *Quapropter ubi Vulgata habet Actor. XIV.* Cùm CONSTITUISSET illis per singulas Ecclesias Presbyteros, *Graecus textus habet*: χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν: Ordinantes autem illis Presbyteros per Ecclesiam. *Vide Petrum Arcudium* de Sacramentis Ecclesiae, *Du Moytier* Etymologia Sacra Graec. Latin. *Johannem Morinum pluribus in locis* de Sacris Ordinationibus, & de administratione Poenitentiae, *Card. Bellarminum* controvers. de Sacrament. Ordinis, & *alios Eruditos*.

Digitized by Google

vivat, qui, semel lapsus, fuit Divina virtute elevatus. Sicut de eodem Paulo Arator cecinit (a)

. . . . Tandemque coactum
Poena magistra docet Dominum ne respuat ultrà.

Haec, inquam, ad rem faciunt. Sed quis, vel minimùm sapere ignorat facilius per celerem absolutionem, absque praevia satisfactione per opera poenitentiae (modò poenitens sit verè contritus, quem nulla alia causa retardet à participatione Sacramentorum) posse aliquem ad hanc metam pervenire? Certo certius, qui gratia Sacramentali per reconciliationem decoratur, facilius currit post dilectum in odorem unguentorum suorum, & vale dicens praeteritae vitae, dum anteacta scelera deflet, & detestatur, manens in sancto proposito, adscensiones in corde suo disponit, & de virtute in virtutem proficiens, ad sanctitatis usque fastigium adscendit. Quod quum demirari sit in pluribus Sanctis, quos Deus de mortuis vivos fecit, eos, inquam, quos verè contritos, nulla praevia observata poenitentia satisfactoria, festina reconciliatio Deo conjunxit, prae ceteris observare est in S. Maria AEgyptiaca, cujus acta conscripsit S. Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus (b). Haec porrò post fluxae carnis crimina septemdecim annorum curriculo protracta, ut primùm à Deo vocata, corde compuncta, & lacrymis perfusa ad pedes Sacerdotis adcessit; fuitque ab eo per reconciliationis Sacramentum Deo conjuncta (estò sub VI. Seculo, quando primaeva illa rigida Ecclesiae disciplina vigebat, ad quam semper Patroni damnati erroris adpellant) novis cumulata donis, majoribus adcensa flammis, nuncium mundo, & sceleribus mittens, Judeae deserta penetrans, in vastissima Eremo sibi perpetuos figens lares, Deoque solùm vixit, admirabilis poenitentiae exemplar facta, & charitatis victima Domino summè dilecta.

Postrema confixa thesis ex hucusque dictis corruit: ex quibus acu tangitur laudabilem nimis esse praesentem Ecclesiae consuetudinem, cui detrahere scelus est; praesertim cùm res sit ad oeconomiam, & politiam Ecclesiae spectans, quae vario ex momento variationem quoque subire potest, & adtenta conditione praesentis temporis, quàm maximè congrua est bono fidelium, cui certè non consulunt rigidiores aliquot Theologi, qui dum habent zelum Dei, sed non secundùm scientiam, & hominibus obsunt, & Deo non placent, quos breviter impugnare fas esset ex doctrina S. Thomae rectè sapienterque dicentis: (c) ECCLESIAE CONSUETUDO SEMPER EST IN OMNIBUS AEMULANDA, nec absre, quia, ut optime sudit: (d) ECCLESIA ERRARE NON POTEST,

(a) Arator *natione Ligur, primùm Advocati munere functus, deindè ab Athalarico Rege Domesticorum, & Privatorum Comes factus circà Annum DXXXIV. postmodùm inter Subdiaconos Ecclesiae Romanae cooptatus, & Vigilio Romano Pontifici chorus, eidem nuncupavit* Historiam Apostolicam ex Luca expressam *duobus libris comprehensam, & heroico carmine scriptam.*

(b) *Vide Nostram* Exercitationem XI. Tom. I. *fol. 89. ad prim. notul.*

(c) *S. Thomas 2. 2. Qu. X. Art. 12.*

(d) *Idem III. P. Qu. LXXXIII. Art. V.*

Digitized by Google

UTPOTE A' SPIRITU SANCTO INSTRUCTA: & finem Exercitationi imponere, quum reapse alius non sit scopus postremae thesis, nec alio ex momento illius Patroni eam typis mandarint, quàm ut fucum facerent Theologis de S.R.E. & litteraria Republica optimè meritis, nulla Jansenianì rigoris fuligine denigratis, & praesentem Ecclesiae disciplinam veluti abusum traducerent: quo, nempe, additamento firmarent errorem in duabus prioribus confixis thesibus expressum, ut optimè expenderunt nobilioris subsellii Theologi praesertim NN. Natalis Alexander, Hyacintus Amat de Graveson, Franciscus Vidal, & Franciscus Vanrast; Sicut, & Parthenopaeus Canonicus Julius Nicolaus Tornus, qui hunc ipsissimum, nec alium pravum sensum eumque solum inesse tertio damnato sphalmati adseruerunt (a). Verùm quia P. Antonius Bonucci (b) contendit per confixionem hujusce postremae thesis fuisse proscriptum errorem eorum, qui adserunt non nisi per abusum in Ecclesia invaluisse consuetudinem dimittendi peccata venialia per confessionem, & absolutionem, quum in primaeva Ecclesia leviora crimina, quae Dei amicitiam non tollunt, fuerint per alia virtutum opera deleta, nec unquam clavibus Ecclesiae fuerint subjecta, cui non renuit P. Viva (c), ut nimirùm cùm eo conferat manus adversùs Lovanienses, fingens hostes, quos feriat; ideò parumper adhuc moras hìc protrahere lubet ad disquisitionem veritatis, & examen eorum praecipuè, quae P. Viva scribit in dedecus S. Thomae, aliorumque illustrium virorum: ut, nempe, veritate perspecta, calumnia eliminetur, & sacra eruditio Theologo nimium opportuna, fabellis abactis, plenè custodiatur.

Et, quod primùm hac in re adsertum volo, id porrò est, quod nuper adseveravi, nimirùm, ut laudati Theologi, quibus adhaereo, recta lance librantes decretum Alex. VIII. adseruerunt, in hac postrema thesi haud fuisse damnatam opinionem Lovanienſium (unum aut alterum P. Bonucci indigitat. P. Viva multos in Belgio dicit) sive quorumcumque aliorum Theologorum, quos possunt notare. Quandoquidem, ut ex eodem P. Bonucci potest acu res tangi, nulla in eis, etiam, quos carpit, error proscriptione dignus potest offendi. Quid enim Flandricus libellus, quem refert, continet unquam, nisi quòd antiquitùs ea viguerit consuetudo non confitendi peccata venialia? At haec res merae historiae est, quam post pauca vindicabimus. Adserit alter Theologus, non esse permittendam confessionem ve-

(a) *NN. Natalis Alexander.* Theol. Dogm. Moral Lib II. de Sacram. Ponitent. Regul. *III. Graveson* Histor. Eccles. Sec. XVI. Colloqu. VI. *Vidal* in Propos. damnat. ab Alex. VIII. *Vanrast* Veritas in medio in Propos. Alex. VIII. *Tornus* in notis Effii *loc. sup. cit.*

(b) *Bonucci* Vindiciae decreti Alexand. VIII. Sectione XVIII.

(c) *Viva* Trutin. damnatarum Thesium, Propos. XVIII. Alexandri VIII. *pag.* 197. Alter sensus magis universalis potest esse quòd . . . passim prò venialibus conferatur absolutio Sacramentalis. Siquidem nonnulli in Belgio ausi fuerunt asserere: Abuti eos Sacramento confessionis, qui, quamvis ad Sacram Synaxim accessuri, pretendunt à venialibus absolvi, addentes, quòd non sic agebant primi Christiani, qui quotidie communicabant, ut & modò Sacerdotes, sine Confessione,

Digitized by Google

venialium ob periculum invaliditatis, quam tamen permittit viris sanctis. At meo judicio non Ecclesiae praxim carpit, sed bono Sacramenti providet: Statuta Religionum non pessumdat, Tridentino morem gerit: quare tanti ponderis ea non est sententia, tantaeque malitiae (etsi ex parte aliqua posset notari) ut Ecclesia in eam vibret Apostolicum fulmen; praesertim cùm sit unius Theologi opinio, quae etiam moderata, & explicata, sana est, & conformis Ecclesiae praxi. Tertius tandem Theologus praxim Ecclesiae laudat, Statuta Ordinum Regularium, & consuetudinem piorum hominum circà confessionem venialium commendat, modò qui ad eam adcedunt, sint verè dispositi: quare tria genera venialium distinguit. Sed quid haec omnia contrà veritatem, in materia, aut dogmatis, aut moris? Videtur mihi citrà omnem controversiae aleam praefatos Bonucci, & Viva nodum in scirpo quaesiisse, ut Belgas ventilarent: quapropter charitatem christianam servans, nullumque censura aliqua notare volens, quum certissimè non constet ab Ecclesia fuisse notatum, solùm adsero ex Tridentino (a). *Peccata venialia rectè, & utiliter, citràque omnem praesumtionem in confessione dici, quod piorum hominum usus demonstrat.* Addo insuper cum Angelico Magistro, & manibus pedibusque in eam sententiam descendo, quam ipse ut probabilem tuetur. Nimirùm, (b) *quòd ex vi Sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, sed ex institutione Ecclesiae* (nimirùm ex decreto Innocentii III. in Concilio Lateranensi Cap. *Omnis utriusque sexus*, quod priùs laudaverat) *quando non habet alia, quae confiteatur*. Etsi idem S. Doctor optimè subjungat ex sententia aliorum Theologorum „ quòd ex Decreto praedicto (cap. *Omnis utriusque sexus*) non obligantur, nisi illi, qui „ habent peccata mortalia; quod patet „ ex hoc, quod dicit, quòd *debeant „ omnia peccata confiteri*, quod de venialibus intelligi non potest, quia „ nullus omnia confiteri potest: Et secundùm hoc ille, qui non habet mortalia, non tenetur ad confessionem „ venialium, sed sufficit ad praeceptum „ Ecclesiae implendum, ut se Sacerdoti repraesentet, & se ostendat absque „ conscientia mortalis esse, & hoc ei „ prò confessione reputatur „: quamquidem opinionem innumeri Recentiores Theologi, iique suspiciendi excipiunt, & propugnant. Idque pariformiter dicas de Statutis Ordinum Regularium, in quibus confessio indiscriminatim cunctis indicitur. At dum haec adsero, pariformiter adfirmo tunc dumtaxat valere absolutionem à solis venialibus, quum revera dispositi adcedunt, estò pii sint, qui veniunt ad Poenitentiae Tribunal. Si enim, aut dolor requisitus, aut efficax propositum ea vitandi deficiat, procul dubio venenum loco medicaminis cedet, & qui levibus irretitus adhuc in gratia vivebat sine confessione, dum indispositus ad eam venit, gravi crimine ligatus abscedit. Quare detestor, dirisque devoveo praxim, non Ecclesiae, quae id prohibet, & damnat; sed aliquorum laxonum absolu-

(a) *Tridentinum* Sessione XIV. *Cap. V.*

(b) *S. Th.* in Suppl. ad *III. P. Q. VI. Ar. 3. ad 3.*

Digitized by Google

solutionis beneficium facillimè omnibus id genus hominibus indulgentium, estò in aliquibus dispositio requisita non adsit, & ex eo quidem faciliter absolventium, quia culpae subjectae clavibus leves sunt, & materia sufficiens. Laudata porrò Tridentina Synodus Poenitentiae Sacramenti tres esse partes, confessionem, nimirùm, dolorem, & satisfactionem apertè definit; & dum de venialium confessione loquitur, pariformiter ac de lethalium confessione verbum habet: undè non minùs ex Tridentino mortifera erit confessio levium, quam contritio, aut propositum non comitatur, ac confessio lethalium, quae eisdem partibus expoliatur. Et haec satis ad primum, quod hìc adnotandum summo jure existimavi.

Quod verò posteriùs est adnotandum, & operosiùs examinandum occurrit, id praecipuè est, quod P. Viva in sua *Trutina* habet. Quare, ut res propatula fiat, & dum veritati velificor, & Angelicum vindico, res tota clarescat: primùm, ea quae P. Viva scribit, fideliter referam; deinde, quae veritati sunt adversa, & Angelico injuriosa, exsufflabo. Primùm quidem laudatus Viva ità scribit. (a) „ Profectò sicut „ olim, ut D. Thomas advertit *3. p.* „ *q.* 80. *ar.* 10. ex Apostolica sanctione „ quotidie fideles communicabant (quic- „ quid sit, an id intelligendum sit de „ solis Fidelibus Clericis altari inser- „ vientibus, ut contendunt Turrecre- „ mata, Petavius, Balsamon, & alii „ communiter?) at deinde diminuto „ fidei fervore Fabianus Papa indulsit, „ ut saltem ter in anno omnes communi- „ carent, nempe in die Paschae, Pen- „ tecostes, & Nativitatis Domini, „ &c. Deinde ità concludit: (b) „ Ad ea, quae „ opponebantur facillimè respondetur. „ Ad primum omninò commentitium „ est dicere, quòd Christifideles olim „ quotidie citrà confessionem commu- „ nicabant: neque enim est verum, „ quòd communicarent quotidie om- „ nes fideles, sed solùm Ministri Alta- „ ris, ut ostendit Balsamon, Petavius, „ & alii. Neque est verum, aut veri- „ simile, quòd sine frequenti confessio- „ ne communicarent, cùm ex Triden- „ tino laudato usus piorum hominum „ ferat istam venialium Confessionem, „ quod à fortiori dicendum est de pri- „ mis Christifidelibus pietate, ac fervo- „ re praestantissimis. Ex eo autem, „ quòd non sit necesse confiteri venia- „ lia, ineptè deducitur, quòd ea à pri- „ mis Christifidelibus non exponeren- „ tur in confessione; sicuti ex eo, quòd „ non obligarentur ad opera supereroga- „ toria, ineptè colligitur, quòd ea „ à pientissimis illis fidelibus non prae- „ starentur. „ Haec, inquam, habet P. Viva. At haec cujusnam sint momenti, qualisve conditionis? etsi benè noverint Eruditi in Ecclesiastica Historia apprimè versati, quia tamen res non est omnibus propatula, criterium est adhibendum ad veritatem manifestandam, fabellam detegendam, & injuriam propulsandam.

In primis P. Viva monumentum S. Tho-

(a) *P. Viva* Tom. *III.* Prop. *XVIII.* Alex. *VIII.* §. *IX. fol.* 201. *prim. edit. Neapol.*

(b) *Idem ibidem* §. *XX. fol.* 210.

Digitized by Google

S.Thomae mutilum laudat, & gloſſam ei adhibet directè adverſam textui Sancti Thomae, cùm S.Thomas expreſsè de omnium univerſim fidelium communione loquatur (a). Deindè, quòd in primitiva Eccleſia dumtaxat Clericis ſolemne fuerit quotidiè ad Sacram Coenam adcedere, ex Peravio, C. Turrecremata, Balſamone, & ex *aliis communiter*, abſolutè, audacter, abſque ulla diſtinctione temporis, & univerſim adfirmat. Sed quot commenta in uno falſo adſerto concludantur, quis leviter inſtructus non advertit? Ex ſuppoſititia Epiſtola Anacleti, Calixti (b), aut alterius cujuſcumque Romani Pontificis Sanctum Thomam ſuam ſententiam firmaſſe, nemo eſt, qui inficias eat: ſicut reapſe in eandem ſententiam Gratianum, & poſteriores Theologos, ac Canoniſtas ex eodem momento deſcendiſſe prò comperto eſt apud omnes, qui horumce ſcripta luſtrarunt: idque non Scriptorum vitio, ſed Seculi illius, quo floruerunt, conditioni vertendum eſſe, univerſim qui, Eruditi audiunt, obſervant. Verùm, quòd alio ex momento colligatur certa indubitata conſuetudo fidelium primitivae Eccleſiae in quotidiana participatione Dominicae Coenae, eaque magiſterio Apoſtolorum introducta, fidelium pietate nutrita, communique obſervantia ex fidei ardore, ſecùs verò ex lege tunc temporis cogente adaucta (quam etiam alibi commendavit Angelicus (c), eſtò in III.P. poſteriori aetate fuiſſe lege praeſcriptam dicat ex ſuppoſititia Anacleti Epiſtola decretali) advertunt Viri Summi, Primoreſque Scripturarum interpretes, & apertè colligunt ex illo Actorum II. v.42. *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*: ubi, ut conſtat utitur Evangeliſta verbo ἄρτος (d) *panis*, ſicut utitur Actorum XX. ubi citrà omnem dubietatis controverſiam per fractionem panis diſtributio Euchariſtiae deſignatur (e): quo ex momento, ubi vulgatus habet, *in communicatione fractionis*

(a) *S.Th.* 3.P *Qu.*80. *art.X. ad* 5. In primitiva Eccleſia, quando magna vigebat devotio fidei Chriſtianae, ſtatutum fuit, ut quotidie fideles communicarent, unde Anacletus Papa dicit: „ Peracta conſecratione omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere „ liminibus: Sic enim, & Apoſtoli ſtatuerunt, & S.Romana tenet Eccleſia „. *Ità habetur in decret.* De Conſecrat. *Cap.* Epiſcopus, *& Cap.* Peracta.

(b) *N. Job. Nicolai* in nota marginali *laudati textus S Thomae* licèt Calixto quaedam exemplaria tribuerent.

(c) *S.Thomas* Opuſculo *LVII.* de Officio Corporis Chriſti *ſuprà eidem vindicato ab Eruditis*, ad Matutinum Lect.V. *ait*: Romanus Pontifex Urbanus Quartus hujus Sacramenti devotione affectus, piè ſtatuit praefatae inſtitutionis memoriam prima quinta feria poſt octavas Pentecoſtes à cunctis fidelibus celebrari, ut qui per totum anni circulum hoc Sacramento utimur ad ſalutem, ejus inſtitutionem illo tempore ſpecialiter recolamus, quo Spiritus Sanctus corda diſcipulorum edocuit ad plenè cognoſcenda hujus myſteria Sacramenti. Nam & in eodem tempore coepit hoc Sacramentum à fidelibus frequentari. *Adeòque nonne Angelicus ad eam conſuetudinem adpellavit, quam memorat Lucas* Actorum *II.*? *Id cum alii obſervaverint, praeſertim Cl. Jeſuita Cornelius à Lapide ibidem adnotavit.*

(d) *In Graeco textu* Actorum *II. ità legitur*: καὶ τῇ κοινωνίᾳ τοῦ κλάσει τοῦ ἄρτου. Et in communicatione, & fractione, (*vel ut in noſtra vulgata* fractionis) panis.

(e) *Actorum XX. v.* 6. συνηγμένων τῶν μαθητῶν τοῦ κλάσαι ἄρτον Congregatis diſcipulis ad frangendum panem: *Similiter* I. Corinthior.X. v. 16. τὸν ἄρτον ὃν κλῶμεν, οὐχὶ κοινωνία τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ ἐστιν. Panem quem frangimus nonne communio Corporis Chriſti eſt? *Seu, ut in vulgata legitur*: Panem quem fragimus nonne participatio Corporis Domini eſt? *Vide Joh. Arvielium* in Indice Bibliorum.

Digitized by Google

ßionis panis, Syrus vertit, *infractione Eucharistiae*. Constat quoque laudata fidelium consuetudo priscis illis felicissimis Ecclesiae Seculis solemnis ex traditione Patrum, qui Sacram Coenam adpellarunt *panem quotidianum*, *quotidianum Sacrificium*, &c. ejusdemque piae consuetudinis adhuc suo tempore vigentis meminerunt (a). Quomodo ergò P. Viva id absolutè falsum esse adfirmat? Qua confidentia adserit hanc Apostolicam avitam primevae Ecclesiae consuetudinem universim à Theologis ad fabellas amandari, quando eam, nedum universim Primores Theologi, & Divinae Scripturae interpretes (b), etiam è Venerabili Societate Jesu (c) comprobant, nec ab ea declinat Arnaldus ipse, qui contrà frequentem communionem hodie consuetam nos vos omnes intendit (d); quinimò neque ab hac sententia, utpotè ineluctabili, vel ipsi doctiores Acatholici declinant (e)? Profectò dum P. Viva ab Aquinatis Sole recessit, tenebris obvolutus, à scopo, & à toto circulo aberravit.

Sed videamus num sint vera, quae in suo brevi commentario parenthesi incluso P. Viva subjungit? nimirùm an vera sit adserta ab eo solis Clericis in pri-

(a) *Patres qui hujusce consuetudinis sunt testes, sunt praecipuè Justinus Martyr, Cyprianus, Chrysostomus, Ambrosius, & Augustinus. Vide Emmanuelem Schelstrate post pauca laudandum, & alios Eruditos. Legesis quoque* Exercitationem *XXXI. nostram Tom. II. p.* 333. *& sequ.*

(b) *Hanc sententiam de quotidiana Eucharisticae Coenae sumtione in primitiva Ecclesia consueta universim Theologi, cùm exteri, tum Nostrates, tuentur; paucos tamen laudabimus, ne longum trahamus funem. Stant prò ea ex Exteris Sanctus Bonaventura in* IV. Sentent. Distin. XII. Parte II. art. I. qu. 2. *S. Bernardinus Senensis* Serm. *XLIII.* Fer. *IV.* post *IV.* Dominic. Quadragesimae. *S. Franciscus Salesius* Introduct. ad vit. devot. P. *II.* Cap. *XX. Card Baronius* T. *I.* Annal. ad an Christi *LVII.* n. *CLIV. ubi refert innumera monumenta PP. Orientalis, & Occidentalis Ecclesiae ad id probandum, Guillelmus Estius* Commentar. in Cap. *II.* Act. Apostolor. *Emmanuel Schelstrate in* Canonem *II.* Concil. Antiocheni cap. *VII. Petrus Arcudius* Lib. *III.* de Eucharistia cap. *LIII. Card. Bona* Rerum Liturgicarum Lib. *II.* cap. *XVII. ubi id* certum esse, & exploratum *ex Actibus Apostolorum, & Patrum adfirmat, & probat. Claudius Fleury* de Moribus Christianorum P. *II.* c. *I. Augustinus Calmet* in caput *II.* Act. Apost. *Ludovicus Habert.* Tom. V. Theol. Dogmat. Moralis de Eucharist. cap. *XXI. Johannes Aurelius* Lib. de Imag. *Job. Sylveira in* Act. Apostolor. cap. *II.* Qu. 34 *& alii innumeri. Ex Ord. Praedicatorum S. Thomas ubi sup. Raynerius de Pisis* in Pantheologia V. Eucharistia. *Petrus de Palude Patriarcha Hierosol* in *IV.* Sentent. Dist. *XII. S. Antoninus III. P.* Sum. Theolog. Tit. *XV.* cap. *XII.* §. *V. Card. Turrecremat. loc. infrà laudando, Dominicus Soto* in *IV.* Distin. *XIII.* Qu. *I.* art. *I. Johannes Viguerius* Instit. ad Christ. Theolog. de Sacr. Eucharist. cap: *XVI. Natal. Alexander* T. *I.* Theol. Dogmat. Moral. de Sac. Eucharist. *Et in* Hist. Eccles. Sec. *XIV.* §. 24. *Vincentius Contesson* Theol. Mentis, & cordis Lib. *XI.* de Sacr. Eucharistiae *P. II.* Dissert. *IV.* cap. 2. Reg. *I.*

(c) *E' Societate Jesu Card. Bellarminus* De Sacramento Eucharistiae lib. *IV.* cap. *XXIV. ex illo* Act. *II. Card. de Lugo* de Sacramento Eucharistiae Disp. *XVI.* Sect. *II. Franciscus Suarez in III. P.* S. Thom. Qu. *VIII. & probat ex* c. *II.* Actorum, *& ex Patribus Tertulliano, Cypriano, Basilio, Hieronymo, Augustino, Ambrosio, Chrysostomo, Epiphanio, &c. Gabriel Vasquez* T. *III.* in *III. P.* S. Thom. Qu. 80. Disp. *CCXIV.* cap. 3. n. 21. *Dionysius Petavius loco infrà laudando, Gregorius de Valentia* Commentar. Theol. T. *IV.* Disp. *VI.* Qu. *VIII.* de usu Eucharistiae punct. *IV. Paulus Layman* Lib. *IV.* Tract. *IV.* de Sacr. Eucharistiae, *Jacobus Tirinus in* cap. *II.* Act. Apostol. *Cornelius à Lapide ibidem, ubi strenuè prò hac consuetudine decertat, laudatque PP. Cyprian. Chrysostom. &c. laudat etiam prò eadem sententia alios Theologos, praesertim S. Thomam, Alexandrum de Hales, & B. Albertum M.*

(d) *Antonius Arnaldus* de frequ. Commun. *P. I.* cap. 3. *idem adstruunt Menochius, Lorinus, & alii.*

(e) *Ex Acatholicis Hugo Grotius in* cap. *II.* Act. Apostolor. *Johannes Fellus* not. in Tract. de Orat. Dominica S. Cypriani, *Guillelmus Beveregius* Codex Canonum Ecclesiae Primitivae. De frequenti communione, *Samuel Basnagius* Annal. Polit. Eccles. ad An. Dom. 209.

Digitized by Google

primitiva Ecclesia solemnis consuetudo quotidianae communionis? Mehercle! si de eo statu Ecclesiae primitivae, quem Lucas Actorum II. commemorat, verbum habet laudatus Viva, festiva nimium erit ejus glossa, non sine risu excipienda. Ubi nam bone Deus! tunc Clerici ministrantes Altari, quando nec dum ab Apostolis fuerant inaugurati Diaconi, qui Sacrae mensae inservirent (a)? Quòd si fortasse ad posteriorem aetatem, non dum elapso Apostolico aevo, adpellet, remque firmare voluerit ex Dionysio Areopagita. Iterùm vel ex eo corrigendus est, quia opus *de Ecclesiastica Hierarchia*, ubi de variis Clericorum ministeriis fit sermo, alteri ab Areopagita Scriptori, longèque posterioris aetatis, unanimi consensu à Criticis adjudicatur (b). Notum est insuper omnibus, qui vel per transennam Historiam Ecclesiasticam lustrarunt, fakem duobus prioribus Ecclesiae Seculis nullum, praeter Diaconos, ministrum Altari inserviisse (c). Si verò ea adtendat tempora, quibus Canones praecipientes communionem quotidianam fuere procusi, longè ea distant ab Apostolorum aetate, eaque dumtaxat legem obligantem sub gravi adjectam primevae consuetudini praeferunt, eamque idcircò priùs vigentem ex fidei, charitatisque vigore adstruunt: ideòque omnibus fidelibus communem, ut dicebamus, confirmant. Quare adhuc ea stante lege (de qua infrà plenius) insignis è Societate Theologus Gregorius de Valentia falsitatis notam inurit opinioni, quam P. Viva propugnat (d).

Videamus itidem num vera sint monumenta, quae in confirmationem erroris laudat Viva? Dignum certè patella operculum. Falsae adsertioni commentitia monumenta respondent. O utinam, & P. Viva propriis oculis Authorum operam legisset! procul dubio non offendisset in montem. Ubi nam quaeso ea unquam habent Card. Turrecremata, Dionysius Petavius, & Theodorus Balzamon, quos sibi adsciscit Patronos, nec locis operum eorundem (quae plura sunt) vel digito demonstratis? Quantùm fas fuit, improbo adhibito labore, horumce trium Scriptorum singula lustravi opera, & acu tetigi rem aliter se habere: quinimò laudatos tres Scriptores comperi omninò adversos, & è diametro oppositos praefato commento; quare eorum omnium sententiae synopsim breviter tradam, loco itidem operum enunciato, ut studiosus Philaletes rem in lumine videat, discernatque, quid sit tenendum, quantaque cura sit studio veritatis incumbendum.

Dionysius Petavius librum non modica eruditione refertum edidit *de Poenitentia publica, & praeparatione ad communionem*, ut ventilaret commentum eorum, qui adserebant differendam fore absolutionem quibuscumque, vel occul-

(a) *Actorum VI. recensentur electi Septem Diaconi, & ab Apostolis ordinati.*

(b) *Vide quae diximus* To. I. Exercitat. XVII. *fol.* 187.

(c) *Consule pariter, quae adnotavimus* To. I. Exercitat. XVII. *fol.* 166. *& sequ. ubi hac de re exprofesso est actum.*

(d) *Gregor. de Valentia loc. cit.* Initio nascentis Ecclesiae cùm maxima esset fidelium charitas, omnes, qui intererant Eucharistiae Sacrificio, & non solùm Ministri Altaris, ut quidam falsò putant, tenebantur quotidie communicare peracta consecratione, &c.

Digitized by Google

tis peccatoribus donec per opera poenalia exomologesim peregerint (quos paulò ante profligavimus) necnon ut impugnaret sententiam Antonii Arnaldi, qui omnes intendit nervos contrà praesentem fidelium praxim circà frequentem communionem. In eo namque opere non semel, sed pluries supponit, indigitat, probat consuetam fidelibus etiam laicis primitivae Ecclesiae quotidianam Eucharisticam coenam, quam nec Arnaldus inficiatur. Quinimò dum Arnaldus, vel ex ea certa, exorataque consuetudine, laicis etiam solemni initio Ecclesiae Christianae, adversùs hodiernam praxim insurgit, discrimen nimirùm adsignans unius inter, & alterius statum, ac conditionem; primigeniisque fidelibus universim idcircò jure merito commendabilem dicit consuetudinem, quia tunc Spiritu Sancto repleti etiam laici, quorum cor unum erat, & anima una in Domino, perseverantes unanimiter in oratione, ab omni temporali cura alieni, quorum omnia erant communia, digni erant, qui quotidie ad Sacram Synaxim adcederent communicaturi Corpori, & Sanguini Domini. Ex adverso autem cum tepuerit fervor, refrixerit charitas multorum, iis certè non esse indulgendam frequentem communionem concludit, & certat. Quid ad haec Petavius? numquid ne in dubium vertit, quae Arnaldus de quotidiana communione laicis adhuc consueta scribit, inficiatur? Minimè gentium: adstipulatur eidem. Verùm dum argumentum dissolvit, confirmat eandem disciplinam temporis diuturnitate servatam, & ex Actis Apostolicis, Paulinis Epistolis, aliisque monumentis, quae digito monstrat, probat, vel ex laicorum illius aetatis conditione, quibus consueta erat communio quotidiana, non esse relegandam hodie frequentem communionem: quum adhuc felicioribus illis Ecclesiae Seculis Christiani iis fuerint obnoxii levibus culpis, quae universim pios, sed non sanctiores occupant in dies: zelus, nimirùm, aemulatio, contentio, & id genus quotidiana peccata, prò quibus quotidie Dominum oramus, ut dimittat nobis debita nostra, ut loquitur Augustinus (a). Ex suo P. Salazar rem aliter esse, ac Arnaldus contendit, Petavius probat, & illud Actor. II à nobis laudatum ad consuetam Apostolico tempore quotidianam omnium fidelium communionem probandam etiam laudat (b).

N. Cardinalis Turrecremata, ità in suspicionem potest vocari, sicut Angelicus Doctor; quum ipsissimis fermè verbis S. Thomae loquatur, & disertè, apertissimèque hanc consuetudinem fidelibus omnibus sacrosanctam dicat, & praeceptam insuper adstruat ex suppositititiis Epistolis Romanorum Pontificum (quas pluries laudavi, criterio etiam recto ex Eruditorum calculo adjecto (c)) totusque sit in ea firmanda consuetudine, quam postmodùm variatam dicit ex aliis mo-

(a) *S. Augustinus* Tract. XXVI. in Johannem circà medium.

(b) *Dionys. Petavius* de Poenit. public. &c. pluries, sed praecipuè Lib. III. & Lib. V.

(c) *Vide* N. Exercitationem XXIII. Tom. I. fol. 248. ad not. 1. column.

Digitized by Google

monumentis, quorum aliqua itidem suppositiis sunt adnumeranda (a).

Tandem Theodorus Balzamon nullimodè refragatur. Primò quidem consuetudinem (b) suo tempore probatam memorat, dum expendit Canonem Apostolicum VIII. (c), & dicit suo tempore plurimos Diaconos, etiam ministrantes, non consuevisse semper communicare, etiamsi Sacerdoti Sacra facienti in Altare adsisterent: deinde rejicit opinionem eorum, qui adstruunt excommunicari eum, qui estò per inaugurationem sacratus, tamen extrà chorum existens, non communicat. Et quamvis ex VIII. hoc Canone solos Diaconos Divina mysteria pertractantes, & non communicantes anathemati obnoxios dicat, ex IX. sequente Canone etiam obligari laicos adsistentes Synaxi adseverat. Qua de caussa (d). Eundem Canonem IX. Apostolicum (e) explicans, ejusdem constitutionem acerbissimam dicit (f), quae omnes etiam laicos Sacrificio praesentes, & non communicantes segregat; etsi aliis Canonibus indictam omnibus adstruat praeparationem, ut possint communicare. At in hisce, quae Balzamon adnotavit, ubi nam est adinvenire, quae P. Viva constanter adseveravit? Non piam consuetudinem primevae Ecclesiae Balzamon fuit inficia-

(a) *Card. Turrecremata* in Decret. *III. P.* De Consecratione *Dist. II. Cap.* Etsi non frequentiùs. In Primitiva Ecclesia, quando magis vigebat devotio fidei christianae statutum est, ut omni die fideles communicarent in Cap. Peracta eod. Dist. *ubi laudatur Ep. Decretalis Anacleti Papae, quam idem Turrecremata paulò ante laudaverat*) Pauci autem erant fideles, & multi infideles, inter quos discrevit communio, fideles autem animae erant magis ferventes, quàm nunc sint, & ideò magis paratae primò.

(b) *Theodorus Balzamon Constantinopolitanae Ecclesiae primùm Diaconus Nomophilax, & Cartophilax, deinde Patriarcha Antiochenus XII. labente Seculo Juris Orientalis Ecclesiasticorumque omnium Canonum Orientalis, Ecclesiae peritissimus, sed Schismaticus Latinorum acerrimus hostis, loco infrà laudando.*

(c) *Canon. VIII. Apostolicus ex editione Beveregii.* Εἴ τὶς ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ἐκ τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ προσφορᾶς γενομένης μὴ μεταλάβοι, τὴν αἰτίαν εἰπάτω, καὶ ἐὰν ἡ εὔλογος, συγγωμὴς τυγχανέτω· εἰ δὲ μὴ λέγοι ἀφοριζέσθω, ὡς αἴτιος βλάβης γενόμενος τῷ λαῷ, καὶ ὑπόνοιαν ἐμποιήσας κατὰ τοῦ προσενεγκαντος, ὡς μὴ ὑγιῶς ἀνενέγκαντος. Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel ex Sacerdotali Catalogo, facta oblatione non communicaverit, causam dicat, & si probabilis fuerit, veniam consequatur. Si autem non dicat, segregetur, ut qui populo offensionis causa sit, & suspicionem det adversùs eum, qui obtulit, tanquam non rectè offerentem.

(d) *Balzamon in* Can. Apostol. VIII. Episcopum quidem, vel Presbyterum non novit quispiam ad Altare accessisse, & sacrificasse, & Sacramentis non communicasse. Si quis autem ex his inventus fuerit tale quid fecisse, non solùm segregabitur, sed etiam valde punietur, nisi justam aliquam, & probabilem causam dixerit, quae Sanctam communionem prohibeat. Neque enim levis ex ea re offensio oritur: ex Diaconis autem plurimos videmus ad Altare accedere, & non communicare, sed nec Sancta attingere. Si quis autem ex eis contrectaverit, & non communicaverit, segregabitur, ut vult Canon: Et nonnulli quidem Canonem sic sunt interpretati. Nonnulli autem dicunt unumquemque consecratum à Canone segregari, si non communicet, etiam si sit extrà Sacrum Tribunal, quod est gravissimum.

(e) *Canon Apostolicus IX.* Πάντας τοὺς εἰσιόντας πιστοὺς καὶ τῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ παραμένοντας δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει, ὡς ἀταξίας ἐμποιοῦντας τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀφορίζεσθαι χρή. Omnes fideles, qui ingrediuntur, & Scripturas audiunt, in precatione autem, & Sancta Communione non permanent, ut Ecclesiae confusionem afferentes segregari oportet.

(f) *Balzamon in* IX. Can. Apostolic. Praesentis Canonis constitutio est acerbissima. Segregat enim eos, qui in Ecclesiam conveniunt, & non ad finem usque exspectant, & communicant. Porrò autem alii quoque similiter decernunt, ut omnes sint parati, & digni communione, eosque qui tribus Dominicis non communicant, segregant.

Digitized by Google

rus, sed dumtaxat praecepti vim, & poenae gravitatem execratus, acerbissimam illam dixit; imò dum ità de ea loquutus fuit, & Canonem sartum tectum custodivit, & consuetudinem probavit, estò acerbitatem Constitutionis fuerit criminatus. Canonem, ut Apostolicum admisit, Sanctam constitutionem excepit; adeòque Apostolorum tempore extantem legem omnes etiam laicos adstrigentem ad Eucharisticam communionem toties quoties intererant Synaxi Balzamon adseruit, qui illius tamen Constitutionis acerbitatem criminari non erubuit. (Ignoranter tamen, quia alius est Canonis laudati sensus, ut erudtè Emmanuel Schelestrate ostendit (a)). Aliud namque est fuisse ex magisterio Apostolorum consuetam fidelibus quotidianam communionem: etsi quamplures non semel abstinuerint ex caussa, praecipuè conjugati quibus Apostolus II. Corinth. . . inquit: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi*, vel ex torpore: quum communis consuetudo plurium, & ferè omnium non autem omnium, & singulorum exigat repetitos actus. Hinc S. Franciscus Salesius alibi laudatus, dum etiam conjugatis primitivae Ecclesiae quotidianam communionem tribuit, in hoc certè sensu loquitur, nimirùm, quia rarò abstinebant; qui rarò ex continentia concubebant. Aliud verò eam fuisse sub poena segregationis ab Ecclesia praeceptam. Primum est certum: Posterius verò falsum; & quae adstruitur lex ex supposititia Anacleti Epistola omninò commentitia est. Quae verò ex aliis Synodis adstruitur, non quotidianam communionem praescribit, sed frequentem singulis nimirùm Dominicis, aut de quindena in quindenam, juxtà temporum varietatis (b). Similiter cùm Canones Apostolici non ab Apostolis fuerint procusi, sed Apostolicam praeseferentes doctrinam (quidquid sit de aliquibus cùm non omnes, qui circumferuntur, sint puri, & probati) IV. Ecclesiae Seculo editi ab Eruditis adseruntur, nullum nobis faceßunt negotium. Quare etiam Beveregius de hac re verbum habens, & laudatos nuper Canones Apostolicos examinans, ait Apostolicam in eis contineri doctrinam haud tamen revera ex eis semper prodire Apostolicam legem (c). Doctrina quidem Apostolica erat, ut omnes, qui ad Ecclesiam conveniebant Sacro epulo reficerentur: quum in Apostolicis Actibus suprà laudatis dicatur, quòd Apostoli quotidie frangebant per domos panem, & consequenter quotidie Sacra facientes, etiam laicos adsistentes Sacrificio

(a) *Schelestrate in* Can II. Antiochen. *CVII.* Sed non ità acerba fuit, quam Theodorus Balsamon somniavit. Canon Apostolicus agit non solum de iis, qui à communione quotidiana abstinent, sed cùm Sacrificio interfuerint, ante communionem egrediuntur velut inquietitudines Ecclesiae commoventes. Et de similibus etiam loquitur Canon Antiochenus, qui se prò quadam intemperantia, vel insolentia à participatione communionis avertunt. Tales anteà vidimus fuisse Quartodecumenos, qui post auditam Cathecumenorum missam nolebant communicare fidelibus, sed exibant ante communionem, quod initio Ecclesiae signum fuit apud fideles, vel indignitatis ad communionem, vel aversionis à Sacrae Eucharistiae perceptione.

(b) *Variam fuisse consuetudinem, & disciplinam communicandi ex aliis dictis constat, & ex Theologis nuper laudatis, quos consulat Lector.*

(c) *Bevereg.* Codex Can. Apost. primitivae Eccles. illustrat. De frequenti communione.

Digitized by Google

cio Eucharistica Coena nutriebant, pane nimirùm supersubstantiali, quem nobis à Deo quotidie petendum Christus in Oratione Dominica edixit, ut S. Cyprianus advertit (a). At verò, quòd Apostoli, qui ità disponebant fideles ad charismata meliora, praeceptum dederint omnibus quotidie communicandi longè abit à vero, praecipuè cùm Patres trium priorum Seculorum, etsi ad eam exhortati fuerint cunctos fideles, Divinam commendantes institutionem, haud tamen Divinum, aut Apostolicum extare praeceptum adseruerint.

Supereſt modò, ut ad lancem Sanctuarii appendamus, quae circà confessionem venialium P. Viva nimium confidenter adfirmat. Non esse verum, nec verosimile, quòd fideles olim sine confessione venialia expiaverint ad Dominicam Coenam adcessuri, idque potiori jure de primigeniis Christianis adserendum haud esse, velut è cathedra sedens, & sententiam dicens, adseverat. At, ejus bona venia sit dictum: Verum non est, quod ipse dicit, & contrà eum stant monumenta, & momenta insignia, quibus adhaerere Religionis est, & virtutis. Cùm enim Viri insignes, iique de litteraria Republica optimè meriti, consuetudinem, quam P. Viva inficiatur, adstruant, & firment, quomodo falsitatis nota poterit huic sententiae adpingi? Id genus Theologis, Eruditisque viris adhibenda est fides, secùs autem P. Viva, qui ad hanc gloriam non pervenit. Viri isti eruditissimi in Historia Ecclesiastica, Patrum, Conciliorumque doctrina apprimè instructi opportuni sunt testes hujusce consuetudinis, ne dicam Judices competentes, eosque vel digito monstrare est palmam in certamine de parta victoria reportasse. Ii namque sunt plures, praesertim Cll. Viri Johannes Mabillonius (b), Johannes Morinus (c), Ludovicus Thomassinus (d), Edmundus Martene (e), Johannes Baptista Duhamel (f), Jacobus Boilau (g), N. Natalis Alexander (h), aliique illustres Scriptores, qui ex testimonio Veterum Ecclesiae Patrum, insigniumque Authorum laudatam primaevam consuetudinem non subjiciendi Ecclesiae clavibus venialia peccata manifestant. Ut autem, quod dixi, acu tangatur, ea producam monumenta, quae suspicere fas est, & nimium commendare. Jonas Aurelianensis Episcopus, qui floruit sub dimidium IX. Seculi, hujusce consuetudines locuples primus testis occurrit: ità enim de disciplina expiandi crimina per confessionem loquitur. (i) *Moris est Ecclesiae de gravioribus peccatis Sacerdotibus, per quos homines Deo reconciliantur, confessionem facere; de cotidianis verò, & levibus quibuscumque per vari sunt, qui invicem confessionem faciant, exceptis Monachis, qui cotidie faciunt*: nempe aequalibus,

(a) *S. Cyprian.* Tract. de Oratione Dominica.
(b) *Mabillon.* Praefat. I. in Sec. III. Benedictin. n. XCV
(c) *Johan. Morin.* de Poenit. Lib. VI. *Cap.* 26.
(d) *Thomassinus* De Disciplina Eccl. P. I. Lib. II. *Cap.* XI n. 3. & 14.
(e) *Martene* de Antiquis Ecclesiae Ritibus *Tom.* II. *Lib.* I. *Capite* VI. *Art.* VI.
(f) *Joh. Bapt. Duhamel T.* III. Theolog. de necessitate Sacram. Confessionis C. 8.
(g) *Boilau in* Histor. Confession. Auricularis *plurtes*.
(h) *Natal. Alex.* Histor. Ecclesiast. Sec. XIV. Dissertat. XV. §. XXV.
(i) *Jonas Aurel.* Lib. I. de Institutione Laicali *Capite XVI.*

Digitized by Google

libus, ut ex aliis PP. monumentis patet,) & constat etiam ex Guigone Carthusiense (a)), ex eisque Patrum testimoniis, ità concludit laudatus Aurelianensis Antistes: *His documentis colligi potest, quòd sicut cotidiè in multis offendimus, ità cotidiè de admissis confessionem alterutrum* (nimirùm aequalibus laici laico, &c. ut ex contextu, & ex addendis) *facere, & orationibus, & eleemosynis, & humilitate, & contritione cordis, & corporis ea debemus purgare.* Alter testis, & anterioris aetatis est V. Beda, qui floruit circà dimidium VIII. Seculi. Hic enim, ità de venialium expiatione loquitur, & de disciplina suo tempore vigente, discrimen addens inter leves, gravesque culpas, nec non debitum expendens modum, quo posteriores prae prioribus forent poenitentia diluendae. (b) *In hac sententia illa debet esse discretio, ut cotidiana, leviaque peccata alterutrum coaequalibus confiteamur eorumque cotidiana credamus oratione salvari. Porrò gravioris leprae immunditiam juxtà legem Sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium, qualiter, & quanto tempore jusserit, purificari curemus.* Tertius probatissimus testis omnique exceptione major, longèque prioris aetatis est M. P. Augustinus, qui ne dum loco alibi laudato (c): verùm, & alibi apertè tradit aliam fuisse Ecclesiae praxim, eamque probatissimam. Ità enim de horumce remissione loquitur, postquam expressè leves culpas explicavit, illarumque quamplures species expressit, nimirùm mendacii levis, torporis animi, gulae, & id genus, aliorum. (d) *Continuis orationibus, & frequentibus jejuniis, & largioribus eleemosynis, & praecipuè per indulgentiam eorum, qui in nos peccant, assiduè redimuntur, ne fortè simul collecta cumulum faciant, & demergant animam.* Et post pauca idipsum confirmans praxim Ecclesiae suo tempore consuetam apertius tradit. *Quibus operibus minuta peccata redimuntur, plenius vobis insinuare desidero. Quoties infirmos visitamus, in carcere clausos, & positos in vinculis requirimus, discordes ad concordiam revocamus; indicto Ecclesiae jejunio jejunamus; pedes hospitibus abluimus; ad vigilias frequenter convenimus; eleemosynam ante ostium praetereuntibus pauperibus damus; inimicis nostris, quoties petierint, veniam indulgemus. Istis enim operibus, & his similibus minuta peccata redimuntur.* De confessione autem altum apud eum silentium: ex quo certo certius est non viguisse suo aevo consuetudinem praesentem (quam iterùm iterùmque cum Tridentino laudamus) expiandi, nimirùm, per Sacramentalem exomologesim levia peccata. Idque vel ex eo clariùs manifestat, quia immediatè de gravibus criminibus verba faciens adstruit ad ea delenda requiri gemitus, longiora jejunia, &c. quin etiam exomologesim, quam subsequatur reconciliatio Sacramentalis. Quum ergò tot illustria monu-

(a) *Guido Carthusianus pius, & doctus Scriptor V. Prior Carthusiae Major. S. Bernardo coaetaneus, & familiaris* Cap. VII. Statutorum Carthus.

(b) *V. Beda* Commentario in V. Caput Ep. Canonicae S. Jacobi, *in ea verba*. Confitemini alterutrum peccata vestra.

(c) *S. P. Augustin.* Tract. XXVI. in Johan. Peccata etsi sunt quotidiana, vel non mortifera. Antequam ad altare accedatis, attendite quòd dicatis: dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

(d) *Vulgatus Augustinus* Serm. XLI. de Sanctis. *S. Caesario Arelatensi Episcopo adjudicandus est laudatus Sermo ex sententia Criticorum, ut post pauca dicetur.*

Digitized by Google

numenta nobis praestò sint ad adstruendam laudatam consuetudinem expiandi venialia per alia virtutum opera extrà confessionem Sacramentalem, quomodo potest adfirmari id verum non esse, ut P. Viva contendit, & ante eum adseruit P. Bonucci, qui posterior etiam audacter, inquit, plura prò eo extare Ecclesiae monumenta, quae tamen nec digito demonstrat? Ambo laudati Scriptores, ità liberè sunt locuti, quia ambo de hac re in alieno foro litigarunt.

Non inficias eo à quamplurimis ad supposititia S. Augustini opera ablegari praefatum sub ejus nomine Sermonem (etsi ab aliis eidem Aquilino Doctori adjudicetur) quare à PP. Benedictinis in Appendicem Tomi V. fuit rejectus (a). Ultrò, libenterque horumce sententiae subscribo. Sed quid inde? cedet ne proinde oppositoribus palma? Si superis placet. Vel ex eo firmius Eruditorum sententia hucusque prò meo virili vindicata stabilietur, quia insignem posterioris aetatis habemus testem laudatae consuetudinis, qui M. Patri adstipulans, habensque prò se alios posterioris aetatis Scriptores suprà laudatos, pondus addit Ecclesiasticae traditioni, ut notum est omnibus, qui Theologi, qui Eruditi audiunt. Author namque laudati Sermonis etiam ex sententia Cll. Monachorum S. Mauri est S. Caesarius Arelatensis, qui sub initium VI. Seculi floruit: quare nedum V. Ecclesiae Seculo, quo claruit Augustinus, sed etiam sequenti Seculo eadem consuetudo vigebat.

Similiter non renuo aliquos pios homines longe adhuc ante Tridentinum consuevisse expiare veniales culpas per auricularem confessionem, non secus ac graviora peccata ceteri ad poenitentiae lamenta confugientes ex Divino mandato, & continuata Ecclesiae praxi per eandem confessionem diluerunt; hinc verè, sapienterque Tridentina Synodus ait: *quod piorum hominum usus demonstrat*. Verùm, quòd semper, & ubique eadem consuetudo fuerit servata, etiam ab iis, qui ad Eucharisticam Coenam adcedere debebant: Credat vel Judaeus Apella, non ego: praecipuè adtenta conditione primaevi Ecclesiae status, quando pauci erant, iique selecti, Presbyteri ad excipiendas fidelium confessiones deputati, de qua re alibi sermonem habui (b). Nec quidem id violenter ex Tridentino erui potest, estò P. Viva ex eodem Concilio rem firmare contendat contrà omnem dialecticam artem, ut notum est iis etiam, qui vel prima logicalia rudimenta didicerunt. Paritas itidem à laudato P. Viva in medium adducta ad suum comprobandum intentum elumbis omninò est, nulliusque momenti. Idcircò enim supererogatoria opera, estò non sint praecepta, tamen consueta fuisse viris sanctitate nitentibus adserendum omninò est, quia pius reapse, verèque devotus ille solùm dici potest, qui praecepta ne dum, verùm, & consilia servat, ea, nimirùm, quae suaptè natura ad virtutem promovent: at quae ex se talia non sunt, vel certè non omnibus, vel non omni tempore consueta, quorum loco tamen alia similia ce-

(a) *In Appendice Tom. V.* Sermo *CIV. S. Caesarii autem* Sermo *XXXVII. qui in Bibliotheca PP. est* Homilia *VIII.*

(b) *Vide* Exercitationem nostram XI. Tom. I.

Digitized by Google

cedunt, quo ratiocinio poſſunt adſtrui fuiſſe conſueta viris Sanctis ſemper, & ubique? Nonne pientiſſimi illi viri, qui leves culpas per auricularem confeſſionem haud expiabant, per alia virtutum opera majori charitate, ferventiorique ardore, & humilitate maximè, diluebant? Novimus etiam in praeſentiarum viros Sanctos, qui utpotè homines, quotidianis peccatis obnoxii fuerunt, nec tamen quotidie eos ad exomologeſim adceſſiſſe legimus unquam, quos tamen non latet aliis piis exercitationibus ea crimina diluiſſe. Argumentum igitur laudati Scriptoris omni ex parte ſiculneum eſt, & dum ipſe impetere contendit, aut Eruditorum ſententiam, aut antiquam conſuetudinem dilucidis monumentis firmatam, infeliciter rem agit.

Et quamvis P. Viva ad ſuam firmandam ſententiam laudet iterùm Petavium Balzamonem, *alioſque* (quinam ſint iſti? prorſus ignotum: arte fortaſsè non veritate, ſuppreſſo nomine laudantur) nec quidem res ei prò voto cedit, quin potiùs Andabatarum more decertans, non lauros, ſed cupreſſos in praelio colligit. Ubi nam quaeſo Petavius, & Balzamon ea ſcribunt, quae P. Viva ex eorum teſtimonio firmat? Petavium, quem ſaepè legeram, iterùm omni adhibito ſtudio luſtravi, nec verbum ea de re offendere in eo licuit, quin potiùs ex eodem poſſem oppoſitum manifeſtare. At ne majores, quàm fas eſt, protraham moras, conſultò abſtineo: & Philalethi, ut laudatum Petavii librum de *Poenitentia publica* legat ſolummodò inſinuo, monitum ſimiliter eum volens, numquam latuiſſe Dionyſium Petavium ea, quae in medium produxi, monumenta, cùm vir fuerit eruditiſſimus, in Patrum, & Conciliorum lectione apprimè verſatus, quique hiſtoriam Eccleſiaſticam optimè calluerit: quapropter nefas eſt, vel ſomniare tantum virum in eam deſcendiſſe ſententiam, quam P. Viva prò aris, & focis, ut dici ſolet, propugnat, ut Belgas impugnet. Similiter nec Balzamonis (haud primùm mihi ignoti Scriptoris) laudatum monumentum occurrit, etſi non perperàm, nec peregrinante oculo ejuſdem opera ſemel, & iterùm luſtraſſem, ut invenirem, ſi fortè fortuna poſſem, quod ex eo P. Viva tàm confidenter adfirmat. Scio quidem, quòd tantus vir interrogatus à Marco Alexandrino Patriarcha, an cum Abbatiſſae petunt ab Epiſcopo poteſtatem audiendi confeſſiones Sanctimonialium, concedenda ſit eis facultas? reſponderit negativè (a). At quid inde? Id denegandum jure optimo reſpondit, quod ſuo tempore nefas erat, praeſertim cùm Abbatiſſae in eo munere, excipiendi, nempe, Sanctimonialium confeſſiones humilitatis momento dumtaxat priùs factas, defecerint. At quòd Balzamon, vel fuerit inficiatus hanc conſuetudinem aliquando viguiſſe, aut adſeruerit ſemper Presbytero poteſtatem jurisdictionis habenti fuiſſe revelata venialia peccata, eaque reconciliatione deleta, nec opinativè quidem adſeri poteſt. Callebat profectò Balzamon omnes Orientalium leges, & conſuetudines: hoſpes planè non erat in Hiſtoriis Latinorum in quos aequo immoderatior fuit, ideòque tanta

(a) *Lib. V.* Juris Orientalis intetrog. 34.

Digitized by Google

ta facilitate, id nequibat adseverare quanta libertate P. Viva adfirmat. Et nonne adhuc tempore, & lege S. Basilii fas erat Abbatissis coràm Presbytero excipere confessiones earum? Id ex eodem M. Antistite perspicuum est (a). Ex eoque itidem manifestum laudatam confessionem non fuisse Sacramentalem, sed potiùs humiliativam animi, quà, nimirùm, humilitate, & poenitentia, adflictiva per Abbatissam injuncta plenè purgarentur culpae quotidianae. Quandoquidem Presbyter solùm ad moderandam correctionem interesse debebat, ut ex eodem M. Basilio constat cujus verba ideircò laudare non taedet. Cum enim S. Basilius interrogationem adposuisset: *Numquid conveniat, dum soror Seniori confitetur, etiam Antistitam ipsam adesse?* ità respondet: *Honestiùs, cautiùsque per Antistitam Seniori confessio fiet, qui multa experientia edoctus, possit, & poenitentiae, & correctionis modum suggerere.* Nonne itidem usque in hodiernum diem Graeci Presbyteri, dum ad eos adcedunt poenitentes levibus dumtaxat culpis irretiti, eis dumtaxat monita salutaria praestant, sed absolutionem non indulgent? Id perspicuum est ex eo, quod refert Cl. N. Jacobus Goar (b), qui in Oriente XXIV. annis Missionarii Apostolici munus obivit, & Orientalium Monumentorum peritissimus, ne dum Balzamonis opera, sed alia insignium Orientalium, quae non impigrè legit, opera, saepe laudavit. In Occidente pariter viguisse aliquando, & pluribus in locis hanc disciplinam, nimirùm, ut Sanctimoniales Abbatissis venialia peccata aperirent ad animi humiliationem, quae sufficere poterat ad remissionem eorum, constat ex eo, quod legitur in Viva S. Burgundofarae (c). In Regula S. Donati (d), & in Regula cujusdam ad Virgines (e), nec non in Capitularibus Regum Francorum, in quibus reprehenditur, & eliminatur abusus ille, qui ex ea disciplina, sed muliebri ambitione, violata, irrepserat, nimirùm impositionis manuum, & reconciliationis ab Abbatissis adhibitae in praefatis Monialium confessionibus: Sicut etiam, & abusus viros benedicendi signo crucis super eorum capita formato ex facultate sibi adrogata, &c. (f). Exploratum igitur est, luceque meridiana clarius, viguisse aliquando, & non semel consuetudinem expiandi venialia peccata extrà Sacramentalem poenitentiam, eamque consuetudinem ab iis etiam fuisse custoditam, qui quotidie Sacrae Coenae participabant. Quam tamen consuetudinem dum laudo, Tridentinae Synodo morem gerens, illius decreto ex corde pareo, &, quae insignes Theologi cum S. Thoma docent, iterum iterumque (ut superiùs dixi) excipio, & amplector. Factum propugnavi, historiam

(a) *S. Basilius in* Regulis Brevioribus Interrogat. CX.

(b) *Goar* Eucholog. Graecor. *fol.* 578. *edit. Paris.*

(c) *Mabillon.* Seculo II. Benedictino.

(d) In Regula S. Donati *Cap. XXIII.*

(e) Regula cujusdam ad Virgines *Cap. VI.*

(f) *In Cap. LXXVI.* Auditum est aliquas Abbatissas contrà morem Sanctae Dei Ecclesiae benedictiones, & manus impositiones, signacula super virorum capita dare, necnon & velare virgines cum benedictione Sacerdotali, quod omninò à vobis Sanctissimi Patres, in vestris Parochiis illis interdicendum esse scitote.

Digitized by Google

expendi, disciplinam libravi: quare his dumtaxat vindicatis ad coronidem Exercitationis, eidem finem impono.

EXERCITATIO XI.

XIX. PROPOSITIO.

Homo debet agere tota vita Poenitentiam prò peccato originali.

ADversùs animam Christi Sanguine redemtam, ne dum Sathanas sua paravit, intenditque arma, ut eam pravis suggestionibus deviaret à Regno, & ad tartara praecipitem daret: verùm nonnulli Sathanae emissarii pessumè delirantes adversùs eandem saevierunt, iis eam obnoxiam criminibus, & poenis adserentes, quibus reapse subjecta non erat. Quinimò dum ità effutierunt, temerè criminantes Salvatoris clementiam, ejusque passioni turpiter detrahentes, valorem Divini Sanguinis prò nihilo habuerunt, & Sacramentorum efficaciam pessumdarunt. Origenistae quidem primùm oggannierunt adhuc post Baptismum illaqueatam esse animam primigenia culpa, ceterisque criminibus, si ea fortasse adultus ante lavacrum commisit: quum ex eorum commento per Baptismum peccata non deleantur, sed dumtaxat tegantur, quae tandem per mortem plenè delentur (a). Similem haeresim etiam in Messalianis carpit Theodoretus (b), eandemque adhuc fortasse, aut propagatam, aut renovatam tempore S. Gregorii M. idemmet S. Pontifex memoriae tradit (c). Hunc autem jam diù sopitum errorem suscitarunt Lutherani, Patriarchae Novatorum vestigia terentes (d), hauseruntque ex Luthero Calvini gregales, abeuntes post eorum signiferum, qui eandem putidam, flaccidamque recoxit cramben (e). Et quamvis idem commentum venditaret Philippus Melanchthon (f), veluti ex Confessione Augustana (g) depromtum, revera tamen in ea apertè illud non continet perspicuum est, licèt non sine fraude contegatur, latens in verbis venenum, quod reapse exsuxerunt Remonstrantes duce Simone Episcopio (h); quamvis Ecclesiae Reformatae Belgicae in Concilio Dordrechano diris devoverint Episcopii errorem.

(a) *Ità habet Proclus. Origenista apud S. Epiphanium* Haeresi LXIV.

(b) *Theodor.* de fabulis haereticorum Lib. V.

(c) *S. Gregorius M.* Lib. IX. Epistol. XXXIX. ad Theoctistam Patritiam.

(d) *Luther.* Art. II. *inter damnatos à Leone X.* In puero post Baptismum negare remanens esse peccatum, est Paulum, & Christum simul conculcare. *Et* in assertione *ejusd. art.* Aliud est omnia peccata remitti, aliud omnia tolli. Baptismus omnia remittit, sed nullum penitùs tollit, sed incipit tollere.

(e) *Calvinus* in Antitodo Concil. Tridentini Sess. V. ait: Manet verè peccatum in nobis, neque per Baptismum statim uno die extinguitur, sed quia deletur reatus, imputatione mutatum est.

(f) *Philippus* Apologia II. Art. I. Confess. Augustan.

(g) *Confess. Augusti. seu* Confessio Fidei exhibita Invictissimo Imperatori Carolo V. Caesari Aug. in Comiciis Augustae Anno MDXXX. *Ita ea quippe* Art. IX. *ità dicitur*: De Baptismo docent, quòd sit necessarius ad salutem, quodque per Baptismum offeratur gratia Dei, & quod pueri sint Baptisandi, qui per Baptismum oblati Deo recipiantur in gratiam.

(h) *Simon Episcopius* in illud ad Romanos V. v. 12. Matth. XII. *&c. idque ex* Epistola VVillelmi VVitzendorf ad Simonem Episcopum *inter* Epistolas Praestant. Viror. *IQXXV.*

Digitized by Google

rem (a): quare multifariàm hodie sentiunt, qui segreges à Romana communione vivunt, & quidem juxtà variationem systematum, quae in Novatoribus vigent, quorum non est una eademque sententia, sed diversa; totque sunt in eis dicendi modi è diametro adversi, quot sunt capita: nec quidem in eadem met Secta una eademque semper constans unquam fuit circà dogmata adsertio. Ex qua variatione, estò unica, erroris convincuntur quotquot Acatholici audiunt, ut prae ceteris Cl. Jacobus-Benignus Bossuet ostendit (b), omnesque, vel leviter sapientes, una voce fatentur. Sed numquid fulguritis Heterodoxis desiit error? O utinam! Renasci coepit aliquibus ab hinc annis, ut constat ex confixione praesentis damnatae thesis, quam impugnandam adsumimus. Aliqui enim, aut falso abrepti zelo, aut inani quodam perciti rigore, Jansenianam procul dubio pice infecti, ut hominem in jugi poenitentia servarent, adhuc prò peccato originali eam esse adsumendàm, protrahendamque toto tempore vitae effutierunt. Jansenium Iprensem ejusdem sphalmatis authorem faciunt nonnulli: verùm, ejus lustrato opere, nil adinvenire licuit, quod dilucidè praefatam adsertionem praeseferret; solùm ex ejus systemate superiùs impugnato de concupiscentia, ceterisque inordinatis motibus ex primaeva labe provenientibus, iisque ad culpam imputandis Adami posteris, fortasse deduci potest, & per inlationem quandam, vel remotam, eidem potest adjudicari. Quicumque autem praefati erroris fuerit adsertor, breviter, sed validis argumentis profligatur.

Et quidem ex sola dogmatica definitione Concilii Tridentini ex variis Divinae Scripturae monumentis Divino afflante spiritu compacta ità funditùs ruit commentum praefatum, ut satis, superque sit illam laudare ad pleniſſimam erroris confutationem. Quare satis mirari subit quomodo Authores damnati commenti ausi fuerint eam post diffinitionem ità effutire. Aut enim Sectariis auxiliares porrexere manus (quod non audeo adserere, quum mihi non innotescat eorumdem conditio) & hinc digni sunt censura, quia expressè confixum sphalma, & tàm dilucida definitione confossum, recoxerunt; Vel (ut probabilius est) ignoranter egerunt, non benè appendentes laudatum dogma, Verbo Dei Scripto firmatum, traditione munitum, definitione expressum: adeòque eo ex capite, ut nigro theta eorum error signaretur, promeruerunt: quapropter in quodcumque latus se vertant, semper sunt confusione digni, nunquam infamiae notam evadunt. Ad ple-

(a) *In Concil. Dordrechtan. Nationali celebr. Ann.* 1618. *& 1619. à Reformatis Ordinibus Generalibus Provinciarum Foederati Belgii* (*Ad quam tamen convenerunt ferè omnes Primores Sectarum, Genevenses, Brittannici, Remostrantes, Arminiani, &c.*) Ecclesiar. Belgicar. Christiana, atque Orthodoxa Confessio Summam fidei de Deo, & aeterna animarum salute *Art. XXXIV. fol.* 314. Ministri quidem, quantùm ad se attinet, praebent nobis Sacramentum, & rem visibilem, Dominus verò noster donat id, quod Sacramento significatur; dona nempe, & invisibilem gratiam, abluens, purgans, mundansque nostras animas à cunctis sordibus, & iniquitatibus, renovans item corda nostra, *&c.*

(b) *Jacob. Benign. Bossuet.* Histor. Variationis Ecclesiarum Protestantium.

Digitized by Google

plenam igitur erroris confusionem sufficiat laudare Tridentini dogma indigitatum. *Si quis*, inquit laudata Synodus, (a) *per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet: sed illud dicit tantum radi, aut non imputari: anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus: quia nihil est damnationis iis, qui verè consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem; qui non secundùm carnem ambulant, sed veterem exuentes, & novum, qui secundum Deum creatus est, induentes; innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi, itàut nil eos ab ingressu Coelorum remoretur.* Ex quo monumento Tridentini tot Scripturarum testimoniis vallato sic efformatur argumentum contrà Patronos damnatae thesis. Poenitentia agenda est prò peccato personali, quod non plenè est remissum, saltem quoad reatum poenae temporalis, quae luenda supereſt post remissionem culpae, & debitum aeternae poenae, ut alibi expresè fuit ostensum (b). Atqui originale crimen, quod est peccatum naturae, per baptismum ità deletur, ut nil damnationis remaneat in renatis, qui è Sacro fonte emergunt puri, immaculati, & Sanguine Christi super nivem dealbati; itàut verè renati dicantur, quia nova coelesti nativitate insigniti sunt, quasi modò à Deo geniti infantes, Paradiso addicti ex haereditate, quam per Sanguinem Christi consequuntur. Adferere igitur, quòd prò peccato originali agenda sit poenitentia, eaque jugis, non brevi tempore explenda, sed ad mortem usque protrahenda, intolerabile est commentum, adversum veritati, ad truculentam saevitiam promovendam adinventum, & ad conculcationem Deifici Sanguinis procusum. Audiatur Angelicus, qui rem hanc ità plenè absolvit, ut praedamnasse videatur commentum, & vel solus sufficit ad confutationem redivivi erroris; „ Respondeo „ inquit „ (c) di„ cendum, quòd sicut suprà dictum est „ (qu. 68. art. 5.) per Baptismum ali„ quis incorporatur passioni, & morti „ Christi, secundùm illud Rom. VI. „ *Si mortui sumus cum Christo, credimus,* „ *quia simul etiam vivemus cum eo.* Ex „ quo patet, quòd omni baptizato com„ municatur passio Christi ad remedium, ac si ipse passus, & mortuus „ esset. Passio autem Christi, sicut dic„ tum est (qu. 48. art. 2.) est sufficiens „ satisfactio prò omnibus peccatis om„ nium hominum. Et ideò ille, qui „ baptizatur, liberatur à reatu totius „ poenae sibi debitae prò peccatis, ac si „ ipse sufficienter satisfeciſſet prò om„ nibus peccatis suis „. Ubi ut constat nedum Angelicus docet in pueris originale crimen plenè deleri, sed etiam in Adultis originale simul, & actualia omninò dimitti: itàut etiam quoad reatum poenae penitùs innoxii sint, qui regenerantur, quibus proinde nulla supereſt poena luenda. Similiter idem Angelicus adsignans discrimen, quod poeni-

(a) *Tridentin.* Sessione V. de peccato origin.
(b) *Tom. I.* Exercitatione XV.
(c) *S. Thomas III. P. Qu. LXIX. Art.* 2. in corpore.

Digitized by Google

nitentiam inter, & baptiſmum verſatur, cauſſam quoque edifferit, cur poſt abſolutionem Sacramentalem obnoxius ſit poenitens ſatisfactioni per opera poenalia, ſecùs verò renatus poſt abluta in lavacro regenerationis crimina, quare ità loquitur. (a) „ Reſpondeo dicendum, „ quòd contritio eſt dolor, ut dictum „ eſt (qu. 1. art. 1. & 2.) reſpiciens, & „ quodammodo comminuens voluntatis „ duritiem. Et ideò ſolùm de illis peccatis poteſt eſſe, quae ex duritie noſtrae voluntatis in nos proveniunt; & „ quia peccatum originale noſtra voluntate non eſt inductum, ſed ex vitiatae naturae origine contractum: „ ideò de ipſo non poteſt eſſe contritio „ propriè loquendo, ſed tantùm diſplicentia, vel dolori „: in quantùm, nimirùm, eſt malùm naturae ex praevaricatione Protoplaſtae procedens, ex quo naſcimur filii irae, filii vindictae: à qua tamen poena plenè liberamur per Baptiſmum, ut dictum eſt. Diſplicendum itidem nobis ſupereſt ob reliquas poenalitates, quae inde ſequuntur, non ſecùs ac de quacumque alia malorum cauſa diſplicentiam habere oportet ex charitatis momento; praecipuè autem de peccatis alienis: ſed hic dolor non pertinet ad poenitentiam, fuit enim etiam in Chriſto, qui incapax poenitentiae fuit, ut univerſim cum Angelico Theologi omnes una voce fatentur.

Neque obeſt, quòd S. Auguſtinus adſerit, dum propter ipſum peccatum originale corripiendum fore hominem docet, ex quo ſponte profluit haec confixa theſis de poenitentia agenda, ſeu de adimplenda ſatisfactione prò culpa primaeva, cujus cauſſa poteſt homo juſtè corripi. Non, inquam, obeſt. Siquidem S. P. dumtaxat corripiendum hominem adhuc originali labe detentum dicit, & eo ex momento, ut, nimirùm, incitetur ad quaerendum remedium ſalutaris ablutionis, quo plenè purgatus Deo vivat. Sic enim ibi (b) loquitur: „ An ideò pravitas iſta corripienda non eſt in homine, quia non „ ejus propria, qui corripitur, ſed communis eſt omnibus. Imò verò corripiatur, & in ſingulis, quod eſt omnium: Non enim propterea cujuſquam non eſt, quod ab ea nullus immunis eſt. Peccata quidem iſta originalia ideò dicuntur aliena, quòd „ ea ſinguli de parentibus trahunt: ſed „ non ſine cauſa dicuntur, & noſtra, „ quia *in illo uno omnes* (ut Apoſtolus „ dicit) *peccaverunt*. Corripiatur ergò „ origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur. „ Verùm quòd S. Doctor apertiſſimè tradiderit catholicum, quod propugnamus, dogma, ità luculentum eſt, ut ſatis ſuperque ſit, vel eminùs, rimari opera ejuſdem, ut quod adſerimus, acutangatur. Quare etſi innumera praeſtò forent ejus monumenta, duo dumtaxat in medium proferemus, quibus omnis error ventiletur, ceteris verò dumtaxat indigitatis. Ait enim primò. (c) „ Dicimus Baptiſma dare omnem indul-

„ gen-

(a) *Idem* Supplement. ad III. P. *Qu.* 2. *art.* 2. in corpore.

(b) *S. Auguſtinus* Lib. de Corrept. & gratia *Cap. VI.*

(c) *Idem* Lib. I. contrà duas Epiſtolas Pelagianorum *Cap. XIII.*

Digitized by Google

„ gentiam peccatorum, & auferre cri-
„ mina, non radere; nec, ut omnium
„ peccatorum radices in mala carne te-
„ neantur, quasi rasorum in capite ca-
„ pillorum, unde crescant iterùm re-
„ secanda peccata. Nam & istam simi-
„ litudinem comperi suae illos (*Pela-
„ gianos*) adhibere calumniae, tanquam
„ hoc nos sentiamus, atque dicamus.„
Quod pluries etiam repetit (a). Agens verò de poena peccato debita adstruit ità hominem per baptismum eximi ab omni poena, ut si statim moriatur aeternùm regnaturus cum Christo Coelum conscendat. (b) „ *Si post Baptismum* con-
„ tinuò consequatur ex vita migratio,
„ non erit omninò, quod obnoxium
„ hominem teneat, solutis omnibus,
„ quae tenebant.

Ex quo sic iterùm formatur argumentum contrà oppositores. Parvuli, nedum, verùm, & adulti, qui verè dispositi ad Baptismum adcedunt, si confestim ex hac vita decedant, immediatè Coelum conscendunt, ut est Fidei dogma traditum etiam à Florentino (c), & Tridentino (d). Signum igitur evidens est, quòd nulla post lavacrum renatis superfit poena luenda per propriam satisfactionem, seu per poenitentiam, quam agendam praedicant damnatae thesis Patroni. Idcircò namque ex unanimi Theologorum calculo, & Ecclesiae sensu adulti, qui in charitate decedunt, piacularibus Purgatorii flammis torquentur, quia non plenè satisfecerunt in mundo prò poena temporali, quae remissis peccatis quoad reatum culpae, & poenae aeternae, luenda adhuc superest, vel per satisfactionem in hac vita, vel per satisspassionem in altera, ut alibi affatim contrà Heterodoxos ostendi (e). Cùm ergò haec poena non sit luenda post vitam ab iis, qui immediatè post Baptismum in charitate decedunt, consequens est, quòd vel ex eo sit commentitia novitas ista Patronorum proscriptae thesis. Quòd si non adseratur hoc catholicum dogma, & temere arguendo resistatur, quid erit de parvulis, qui ante rationis usum diem claudunt extremum? Miselli ex ipso regenerationis lavacro non semel transibunt ad purgatorias flammas: quibus, quandiu, ehu quandiu! detinebuntur, qui nec per unum diem potuerunt poenitentiam adsumere prò labe primaeva? Saeva idcircò, & procul dubio, dicetur Ecclesia, quae eos regenuit Christo, dum prò eis non orat, Sacrificia non offert, sed laudes Deo tantùm persolvit, quia antequam malitia immutaret cor eorum eos Dominus eripuit è mundo. Noverca crudelis, non pia Mater cum eis ipsa erit, quae nec semel requiem prò eis implorat, sed in canticis laetitiae Domino rependit grates prò transmigratione puerorum. At haec deliria sunt phraeneticorum, quos furor invasit, & dementia cepit. Desinant igitur ab ira, & tàm immanem deponant furorem, qui ità rigidè, & erroneè opinantur.

Neque iterùm ullum facessit negotium

(a) *Idem ibid.* Lib. *III. Cap.* 3. & Lib. I. de Peccatorum meritis, & remissione *Cap. XV.* & in Enchiridio *Cap. XLIV.*
(b) *S. Augustin.* Lib. II. de peccatorum meritis, & remissione *Cap. XXVIII.*
(c) *Concil. Flor. in* decret. Eugen.
(d) *Tridentin.* Sessione V. Canone V.
(e) *Vid. Tom. I.* Exercitatione XXXVI.

Digitized by Google

eium praxis primitivae Ecclesiae, quam Patres commendant (a): illa, nimirum, quae ad expiandos catechumenos, & laudabiliter fuit instituta, & constanti observantia fuit custodita. Quandoquidem etsi jejuniis, orationibus, vigiliis, continentia ab uxoribus, abstinentia, à licitis recreationibus, aliisque pietatis, & humilitatis operibus fuerint catechumeni ad Baptismum praeparati; ea certè poenalia, & pia opera non ad satisfaciendum prò culpa originali fuerunt indicta; sed dumtuxat ad purgandos adultos ethnicos coeno vitiorum demersos: ad corrigendos praeteritos mores; contritionemque excitandam in eis, ne Baptismi effectus impediretur, neve post lavacrum pejores fierent, redeuntes tanquam canes ad vomitum, & sues ad volutabrum: quapropter, ut Tertullianus ait, ea adhibebantur medicamina poenalia *ad praestanda futuris tentationibus munimenta*, & ad retinendam post baptismum sanctam conversationem, ut loquitur Augustinus. Quod verò plenè remitterentur per Baptismum culpa, & poena debita originali, simul, & actualibus etiam culpis, notum erat ex Divino Verbo, (b) & Patribus, qui una voce idipsum semper constanti traditione adseruerunt (c): ideòque nec per volam, nec per hilum ab hoc dogmate recesserunt, dum ad laudabilem illam praxim convolarunt.

* * * *
* * *
* *
*

EXER-

(a) *Ità S Justinus Martyr* Apologia *II. Tertullianus* Libro de Baptismo *Cap. XX.* & Lib. de Poenitentia *S. Gregor. Nazianzen.* Oratione XL. *quae inscribitur* in Sanctum Lavacrum. *S. Augustinus* Lib. de Fide, & Operibus *Cap. VI. Concil. Carthaginense IV.* Canone LXXXV. *S. Gregorius M.* Lib. VII. Epist. XXIV. Indict. I. *ex qua sumtum est Cap.* Ne quod absit *Dist. IV.* De Consecratione. *Vide praesertim Joh. Morinum* Oper. posthum. de expiatione Catechumenorum *apud quem uberem reperies segetem eruditionis, & munumentorum.*

(b) *Ex Scriptura apertè habetur hoc dogma praecipuè Ezechielis XXXVI.* Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab universis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri. *Actorum II. Petrus ait*: Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum. *Ibid. Cap. IX. Ananias ad Saulum*: Baptizare, & ablue peccata tua. *Paulus itidem ad Romanos VI.* Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem; ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ità & nos in novitate vitae ambulemus . . . . Hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, & ultrà non serviamus peccato. Qui enim mortuus est justificatus est à peccato. *Et iterùm ibidem.* Si mortui sumus cum Christo, credimus, quia etiam vivemus cum eo, *&c. Ad Rom. VII.* Nihil ergò nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, *& id genus innumera alia testimonia in Paulinis, aliisque Canonicis Epistolis. Vide Polemicos praesertim N. Natalem* T. I. Theol. Dogmat. Mor. Lib. II. de Sacram. Baptismi.

(c) *Ultrà laudatos PP. id expresè adstruunt S. Cyprianus* Epistola LXXXI. *S. Hieronymus, & Theodoretus in* Commentar. Ezechielis. *S. Ambrosius* Lib. de Initiandis Cap. 2. *S. Joh. Chrysost.* Homilia ad Neophytos, *S. Leo M.* Lib. de Vocatione Gentium *Cap XXIII. & ceteri universim, quos reperies à Polemicis laudatos: In Symbolo fidei pariter*: Confiteor unum Baptismum in remissionem peccatorum.

Digitized by Google

EXERCITATIO XII.

XX. PROPOSITIO.

Confessiones apud Religiosos factae, plerae-que, vel sacrilegae sunt, vel invalidae.

XXI. PROPOSITIO.

Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui Eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua poenitentia, seu satisfactione, ob quaestum, seu lucrum subsidii temporalis.

HArumce duarum Thesium, quas jure meritò S.Sedes nigro thera signavit, nemo certè Auctor extitit, quàm Veterator aliquis (sit unus, aut alter, sit etiam multiplex, nil ad rem. Sicut num hi fuerint è Schola Jansenia-na? ut P. Viva adfirmat) adserere non audeo, cùm nesciam, & scire haud aveam rem parvi momenti) livoris fuligine tinctus, cupasque habens acris aceti, qui, ut calumniam sterneret adversus Regulares, & praesertim contrà eos Mendicantes, qui piorum eleemosynis vivunt, praefatas theses procudit. Neque, ut verum dicam, à nupero hoc detractore primùm motum est bellum, intentaque lis contrà Regulares, sed diu antè ab aliis excitata; devictaque non semel, suscitata novissimè fuit ab eo. Cùm enim ab antiquis retrò temporibus nebulones quidam contrà Monachos steterint, contendentes eos deturbare à munere concionandi, & excipiendi fidelium confessiones, quod non sine laude, nec impigrè obibant, S.Bonifacius Papa IV. suo diffinitivo decreto (a) eos compescuit, Monachis in pacifica sacri muneris possessione firmatis. XI.Seculo eadem lis super Divini Verbi, & Sacramenti administratione contrà Monachos excitata fuit ab aliquibus malae indolis, quos itidem S. Petrus Damiani

(a) *Bonifacius Valeriae Marsorum natus ex cucullo ad Camelaucium evectus An.DCVII. pietate insignis fuit, ut ex epitaphio ejus Sarcophago adposito constat. Videas N. Natal.* Histor.Eccles. Sec.VII. Sancti *titulo eum decoravit Maximus Tarentinus, sive Rhabanus Maurus, vel quisquis sit Auctor* Sermonis in Festo omnium Sanctorum, *qui in novem Lectiones distributus à Nobis recitatur eodem die ad Matutinum. Hic, inquam, Pontifex strenuè certavit contrà eos, qui Monachos à praefato munere arcendos contendebant, lato contrà eos decreto mox exarando, ut tradunt Segebertus Gemblacensis ad* An.618. *Idem ex Gratiano ostendit N. Natalis ibidem, & ex Sancto Ivone* Septimo sui Decreti Libro, *aliisque monumentis probat Cl. Christianus Lupus* Opusc. Posth. Exhibitio SS. Canonum circà praedicationem Regularium. *Decretum autem ejus est sequentis tenoris*: Sunt nonnulli, nullo dogmate fulti, audacissimè quidem, zelo magis amaritudinis, quàm dilectionis inflammati, asserentes Monachos, quia mundo mortui sunt, & Deo vivunt, Sacerdotalis officii potentia indignos, neque poenitentiam, neque Christianitatem largiri, neque absolvere posse per Sacerdotalis officii divinitùs sibi injunctam potestatem. Sed omninò labuntur. Nam si ex hac causa veteres aemuli vera praedicarent, Apostolicae compar sedis Beatissimus Gregorius, Monachicho cultu pollens, ad summum nullatenùs apicem conscenderet, cui quidem haec ligandi, solvendique potestas à Deo summa conceditur. Augustinus quoque ejusdem SS. Gregorii discipulus, Anglorum praedicator egregius, & Pannoniensis Martinus Beatissimus ... Alii quoque quamplurimi viri Sanctissimi pretiosissimo Monachorum habitu fulgentes, neque annulo pontificali subharrarentur, sed quia Monachi fuerunt, praedictis uti prohiberentur. Neque enim B.Benedictus Monachorum praeceptor almificus hujus rei aliquo modo fuit interdictor, sed eos secularium negotiorum edixit expertes fore tantummodo.... Nos verò tantorum Patrum instituti exemplis, quibus est periculosissimum refragari, credimus à Sacerdotibus Monachis ligandi, solvendique officium, Deo operante, dignè administrari, si eos dignè contigerit hoc ministerio sublimari. Quod incunctanter affirmat quisquis statum Monachorum, & habitum, potestatemque evidenter considerat,

Digitized by Google

ni (a), objecto eisdem laudato Bonifacii IV. Diplomate, coërcuit: plenèque repressit Urbanus II. in Concilio Neusamensi, & in favorem Monachorum honorifica lata sententia (b), quae itidem hujusce Concilii fuit, & Synodi Gallicanae decisio (c). Tertium eodem ex momento decertatum est contrà Monachos, quos itidem vindicavit V. Rupertus Tuitiensis Abbas (d), eorum avito jure sarto tecto servato. Nec dum finis. Contrà Mendicantes, nempe Fratres Praedicatores, & Minores, praecipuè steterunt alii XIII. Ecclesiae Seculo, quorum Dux fuit Guilielmus à Sancto Amore Doctor, Canonicus, & Theologus Bellovacensis, adversùs quem calamum adhibuerunt duo Ecclesiae lumina SS. Thomas, & Bonaventura; & quia nimium è Mendicantium coetu laudatos Mendicantes punxerat Guillelmus, eum damnavit Alexander Papa IV. ejusque librum *de mundi periculis* in Anagnienſi Cathedrali Ecclesia publicè comburi jussit, lata excommunicationis poena in omnes, qui praefatum librum Guillelmi legere ausi fuissent (e). Iterùm contrà Mendicantes steterit Johannes de Poliaco Doctor Parisinus adserens fideles Paschali tempore apud Regulares suam exomologesim facientes non satisfacere praecepto Annuae Confessionis indicto in Cap. *Omnis, utriusque sexus*; quem tamen Johannes XXII. ad palinodiam coëgit, ejus errore confixo (f), ut alibi etiam diximus (g). Verùm, ut ingenuè fatear, haec, quae aliquibus tunc acrior visa est pugna contrà Mendicantes intentata, lèvior certè fuit, nulliusque fortasse momenti. Acrior dubio procul ea censenda est, quam Anno MCCCLI. contrà eosdem Mendicantes moverunt quidam Cardinales, & Praelati, plurimis stipati Curatis, & coram Clemente VI. contendentes abroganda fore Privilegia cuncta Mendicantium, cùm circà facultatem excipiendi Secularium confessiones, tùm circà munus concionandi, & etiam circà sepulturam laicorum in eorundem Mendicantium Ecclesiis, ne Parochi suis expoliarentur juribus, seu potius proventibus h).

(a) *S Petrus Damiani* Lib. V. Epist. XIX. ad Clericos, & Canonicos. Contrà vos multùm conquerimur, quia quidam vestrorum ausus fuit temerario ore dicere à Monachis nullo modo esse communionem recipiendam. Insuper etiam suscipientes excommunicavit: & in opprobrium nostrum; imò & in condemnationem suam, & illorum, recommunicari praecepit.

(b) *Urbanus II.* Decertantes contrà Monachos in hac re Sacerdotalis potentiae officio praecipimus arceri, ut ab hujusce modi infandis ausibus in posterùm reprimantur, quod quanto quisque excelsior . . . . Ideòque videtur nobis, ut iis, qui sua relinquunt prò Deo, digniùs liceat baptizare, dare Communionem, poenitentias imponere, necnon peccata solvere. Unde considerare nos oportet, quantae virtutis apud Deum sint, qui Seculum relinquentes Domini obediunt praecepto dicentis. Relinque omnia, quae habes, & veni sequere me. Unde censemus eos, qui Apostolorum figuram tenent, praedicare, baptizare, Communionem dare, suscipere poenitentes, praedicare, baptizare.

(c) *Vide Lucam Dacherium* IV. Tomo Spicilegii. *Vide etiam* Exercitationem nostram *XIII. Tom. I. fol.* 88. *& sequ.*

(d) *Rupertus in* Dialogo, *cui titulus*: Altercatio Monachi, & Clerici, quòd liceat Monacho praedicare. *Idem Rupertus pariter* Lib. IV. super Regulam S. Benedicti.

(e) *Rem hanc tradunt Matthaeus Parisiensis* ad An. 1253. *Nicolaus Trivettus* in Chronico, *& Henricus Knychtonus Leycensirensis Ecclesiae Canonicus* Lib. V. Annalium. *Adversùs eundem Guillelmum S. Ludovici Galliarum Regis manus stetit. Videsis praecipuè N. Natalem Alexandrum* Histor. Ecclesiastic. Sec. XIII.

(f) *Job. XXII. Cap.* Vas electionis *Extra Com. Tit.* de Haereticis.

(g) *Vide quae diximus* Tom. I. Exercit. XIII. *fol.* 105.

(h) *Vide Christian. Lup. in* Op. posthum. *cui titulus* Exhibitio Sacrorum Canonum, *&c. fol. mihi* 702. *prim. edition.*

Digitized by Google

At quia nulla juridica instantia fuit eorum scriptura vallata, & laudatus Clemens commendabili oeconomia cuncta sedavit, adauctis potiùs, quàm imminutis, Regularium Privilegiis, Anno MCCCLVII. Richardus Fitz Rauf Archiepiscopus Armachacanus Hiberniae Primas iterùm in Curia prò Parochis adversùs Mendicantes eodem ex momento stetit, editis adversùs eosdem libellis, citrà dubium famosis: sed exardescente bello, quod expensis Anglicani Cleri fovebatur, victus recessit Archiepiscopus, qui audax venerat, derelictus à suis, quorum causam agebat, omni etiam destitutus subsidio: ut vel ipsi Mendicantium acriores hostes tradiderunt(a). Revera tamen Innocentius VI. livore depulso, justitia servata, prò Mendicantibus stetit, quos utpote S. Sedi magis devinctos, magisque in Populorum salutem deditos, ab injuria aemulorum suprema authoritate vindicavit.

At numquid tot post conflictus, totque post immania bella, in eisque saepiùs reportata palma, sua tandem potiti sunt pace Regulares, qui ab initio temporum Coadjutores Episcoporum fuere dati, & in subsidium Parochorum? O utinam! Quod olim S. Augustinus ad nobilem virum *Festum* scripsit, in praesentiarum repetere possum: (b) *Puto, quòd ipse diabolus, si authoritate Judicis, quem ultrò elegerat, toties vinceretur, non esset tam impudens, ut in ea causa persisteret.* Tot, inquam, post excitatas turbas, easque devictas ex sententia Supremi Ecclesiae Tribunalis (cui morem gerere Religioni vertendum est, & debito Christianae professionis) non destiterunt tenebriones nebulas obfundere Soli, non alio certè ex momento, quàm ex invidiae, livoris, & avaritiae, quibus humana miseria etiam in dedecus Religionis cedere consuevit. Eos inter novissimè, citrà dubium, infimum haud obtinent locum nuperi Scriptores, qui calamo felle polluto praesentes conscripserunt theses: quas tamen sat est breviter ventilare, cùm nec umbratili ficta probabilitate vallentur, sed calumnia undequaque refertae, dum primùm ad lancem Sanctuarii adpenduntur, corruunt, evanescunt.

Et quidem quonam ex capite aut sacrilegae, aut invalidae censendae, sunt confessiones apud Regulares factae? Numquid ne quia Regulares absolvendi facultate carent? At hoc cùm sit falsissimum ex potestate eisdem ab Ordinariis locorum demandata, neque ab eisdem oppositoribus id potest adseverari, ne sibi met ipsi asciam cruribus illidant; non enim adstruunt universim eas esse, aut sacrilegas, aut invalidas, benè verò *plerumque*, ut liquet ex terminis prioris confixae thesis. Si ergò plerumque eae sunt invalidae, aut sacrilegae, certè non ex defectu potestatis jurisdictionis, alioquin semper invalidae, aut sacrilegae forent. Forsan ex *indispositione* poenitentium? Verùm non minùs, qui ad

(a) *Continuator Guilielmi Nangiacensis* Ad Ann. Christi 1357. & *Henricus Knyghtonus* Lib. IV. Ad Ann. Dom. 1357.

(b) *S. P. Augustinus* Epistola LXXXIX. ad Festum, *olim* CLXVII.

Digitized by Google

ad Regulares, quàm qui ad Parochos, imò etiam ad Episcopos adcedunt, sic indispositi adcedere possunt; adeòque eodem ex momento invalidae erunt confessiones apud Episcopos factae. Fortassè quia Regulares nesciunt discernere inter lepram, & lepram? aut quia lupi sunt, Dei gregem pravo exemplo perdentes? At non sine aperta calumnia id potest adseverari. Notum est cunctis quanta universim polleant scientia, qui Monasticen professi universim ad fidelium confessiones excipiendas adprobantibus Episcopis sunt expositi: quantave probitate generatim sint distincti Regulares praefato muneri adsignati. Quòd si aliquando unus, aut alter, estò plures reperiantur, aut scientiae experres, aut morum probitate destituti: quid inde? nonne etiam in Clero Seculari hujusce met furfuris Confessarii non semel inveniuntur? In magna domo sunt vasa aurea, argentea, & fictilia. Sicut ergò non proinde injuria est inferenda Venerabili Clero, quem, qui probi, qui docti audiunt Regulares, semper suspiciunt, & venerantur; Ità pariter Regulari statui ex defectu paucorum detrahendum haud est: quum Regularium Ordinum non ignobilem Ecclesiae portionem laudent, & commendent, qui sunt eruditi, qui pii sunt Clerici Seculares. Peccabunt fideles, eorumque confessiones sacrilegae erunt, si ad ignorantem, scelestumve Confessarium adcedant, sive hic sit è Venerabili Clero, sive ex quocumque Instituto Regulari.

Verùm, ut novi, oppositores eo ex momento praecipuè carpunt confessiones apud Sacerdotes Regulares factas, quia Regulares nimiùm benigni in impositione poenitentiarum, Ecclesiae rigorem labefactant, & Sacros Poenitentiales Canones pessumdant. Sed in eo etiam errant, & peccant, eorumque in verbis absconditur virus, & *latet anguis in herba*. Ex eo ne arguunt Regulares, quia primaevum non retinent Ecclesiae rigorem? At ex eo quidem (modò dignam factis poenitentiam imponant) commendabiles sunt: quia praesentem, venerandamque Ecclesiae praxim servant, cùm cessaverit motivum primordialis severitatis, quam ex causa statò dumtaxat tempore Ecclesia servavit, ut alibi latiùs expendi, eamdemque reordiendi telam, nec voluntas, nec necessitas adest (a), cùm ubertim ibi res sit absoluta. Servant itidem eandem laudabilem praxim omnes è Clero selecti Confessarii: quare par est ex causa utrorumque. Quòd si ex Monasticis Institutis aliqui sint Confessarii, qui leves nimium poenitentias imponunt, ipsi peccant, ipsi Deo rationem reddituri sunt in die vindictae, non secùs ac Clerici Seculares pariformiter deficientes. Mos ergò gerendus est Clero Seculari, honos impendendus est Regulari Clero: nec status alterutrius est vellicandus ex paucorum defectu. Hoc enim quum sit certum ex innumeris, cùm momentis, tum monumentis, quae praestò forent, placet unius dumtaxat Cl. Martini Steyaertii è Seculari Clero conspicui Theologi calculo rem nostram firmare. Quum enim adversùs id genus vituperatores Regularium praesens Apostolicum firmas-

(a) *Vide* Exercitationem XVI. Tom. I.

Digitized by Google

masset decretum, & in confixionem harumce binarum thesium omnes intendisset nervos, ità tandem concluſit Theologus Belga adversùs praefatos Tenebriones (a). „ Religioſi, praeſertim Mendicantes, tàm notabile corpus conſtituunt in Eccleſia, ut poſt Eccleſiam ipſam non ſit aliquod latiùs ſe extendens, magiſque ſibi cohaerens. Quo fit, ut nullus error magis dedecorare poſſet Eccleſiam, quàm qui Religioſis Ordinibus in fide, vel Religione, adeòque Sacramentorum adminiſtratione accideret. Quid enim, ſi Copiae Auxiliares miſſae per univerſam illam Caſtrorum aciem ordinatam, à fide Magni Imperatoris defecerint, animum inimicum induerint; impugnentque quà verbis, quà factis, eam, quam propugnare eos oportuerat, Civitatem in monte poſitam? Talem ne nobis imaginari licet Eccleſiam? Quid ſi verò illi oſtendere poſſint, ſecum ſentire, & practicare Paſtores ordinarios per Orbem univerſum, exceptis in parva terrarum parte pauculis, quin & ipſam Eccleſiam Romanam ceterarum Matrem, & Magiſtram? Itàque valdè, ut minimùm, temerarium eſt velle cum articulo hoc damnato, Confeſſiones apud Religioſos factas, ità invalidas eſſe, aut ſacrilegas. Ceterùm ipſi met quoque facilè admiſſuri ſunt, inter tot ſuos Confeſſarios, plures eſſe, non minùs, quàm inter Seculares, qui Sacramentum hoc non ſatis dignè, nec ex mente Eccleſiae adminiſtrent. *Iliacos intrà muros peccatur, & extrà.*

Et ex his corruit pariter nemine impellente poſterior confixa theſis. Numquid ne quia Mendicantes ex eleemoſynis vivunt, venales reddunt confeſſiones, unde licet Parocho de mala adminiſtratione Sacramenti ſuſpicari? Apage commentum. Apage temerariam ſuſpicionem. Qui ità Deo in clauſtro deſerviunt, miſſo temporalibus omnibus nuncio, facilius, feliciùſque ab horumce adfectu ſunt alieni. Ex inſtituto, igitur, ſtatuque eorum oppoſitum potiùs eſt judicare. Quòd ſi etiam reperiantur aliqui ex laudato Mendicantium Coetu ex avaritiae momento vituperantes miniſterium ſanctum, nulla hinc praeſtatur occaſio ſuſpicandi de reliquis. Numquid ne omnes ex reliquis Monaſticis Inſtitutis, quibus bona immobilia poſſidendi, percipiendique annuos ex ſtabilibus proventus facultas eſt, alieni ſunt ab omni avaritiae labe? Forſan ejuſdem vitii expertes erunt quotquot è Clero Seculari ad Confeſſiones excipiendas ſunt deputati? O utinam! Etiam in Apoſtolico Collegio ſub praeſentia, & Magiſterio Chriſti, vel ipſe Judas, *qui habebat loculos, & ea, quae mittebantur portabat*, Joh. XII. avaritiae ſcelere poſſeſſus Chriſtum triginta argenteis vendidit Principibus Sacerdotum. Judaeque ſectantes veſtigia, quot, ehu! quot XI. praeſertim Seculo, ex avaritiae momento ad ſimoniam fuere converſi, quorum haereſim Monachi, iique ſanctiſſimi, verbo, exemplo, & prodigiis profligarunt? Non ergò Mendicantium ſtatus, & profeſſio cauſſa eſt, aut incentivum abutendi Miniſterio Sacro; nec proinde

(a) *Steyaert* in Propoſit. damnat.

Digitized by Google

de eo ex capite fas est Parocho suspicari de Confessariis istis, nisi fortè fortuna id proveniat ex uberiori, quae in aliquo Curato Beneficiario aliquando regnat, aut auri cupiditate, aut passione livoris. Quòd si ex adversariorum commento ità suspicari fas esset Curatis, non ne licitum quoque eis foret malè sentire de Ecclesia, quae id genus Sacerdotes ad praefatum ministerium universim adsumit? Consectarium procul dubio ex priore sphalmate est posterius delirium: sed haec quia nefas est, vel per jocum, effari; consequens pariter est, quòd nimiùm erraverint, nimiùmque protervè senserint, & pessumè oggannierint ejusdem commenti Authores.

EXERCITATIO XIII.

XXII. PROPOSITIO.

Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam praetendunt antequàm condignam de delictis suis poenitentiam egerint.

XXIII. PROPOSITIO.

Similiter arcendi sunt à Sacra Communione, quibus non dum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

PAuca hìc nobis dicenda supersunt, quum pluries, & multifariàm id genus venditata à rigidioribus Theologis commenta fuerint explosa, tradita etiam methodo rectè se praeparandi ad Eucharisticam Coenam, eaque Patrum, insigniorumque Theologorum doctrina munita: quapropter strictim binas hasce confixas theses profligare oportet.

Qua igitur ex caussa, quove ex momento ceu sacrilegi arcendi sunt ab Eucharistica Coena poenitentes jam per reconciliationem admissi? Non aliàs certè ex caussa, quàm ex Veteris Ecclesiae disciplina, juxtà Oppositorum systema: nimirùm, ut juxtà primaevam consuetudinem ii solùm communicent Corpori, & Sanguini Redemtoris, qui perfectè purgati per praeviam exomologesim, seu per poenalia opera exsecutioni mandata, plenariam communionem obtinuerunt, sicut reapse primitùs factum, & alibi diximus, nec in praesentiarum negamus. At quae objicitur vetus Ecclesiae consuetudo, disciplina est, & merè Ecclesiastica, quae juxtà temporum conditionem inoffensa Religione variam subit praxim. Cum ergò primaeva illa rigida disciplina jam desierit, sitque obsoleta, praecipuè variata temporis conditione, nec vigente ampliùs momento illius aetatis; ad illam adpellare, ut praeceptum adsertae abstinentiae firmetur, est imponere onus grave, & importabile, nimis adversum Ecclesiae lenitati.

Alia nunc viget in Ecclesia disciplina, eaque ab Ecclesia probata: ea est tenenda, quia summa potestate firmata, & ex Divino mandato adimplenda. *Ecclesiae* consuetudo, inquit Angelicus Doctor (a), *semper est in omnibus aemulanda*.

Neque ullum facessit negotium, quod prioris confixae thesis Patroni obstre-

(a) *S. Thomas 2. 2. Qu. X. Art. XII.* in corpore.

Digitized by Google

ſtrependo opponunt: nimirùm, id fore neceſſarium ad reverentiam tanto Sacramento ſartam tectam ſervandam. Quandoquidem revera devotus ad Euchariſtiam adcedit, qui fide fretus, charitate adcenſus, lachrymis perfuſus, cum voto exſequendi impoſitam ſibi Sacramentalem poenitentiam, humilis, & contritus ad pabulum vitae idcircò feſtinat, ut, nimirùm, pane coeleſti nutritus vegetatus magiſque in propoſito novae vitae firmatus, grandem, quae ei reſtat, viam perficiat. Vel ex eo igitur eſt admittendus ad Coenam Agni, ut fructuoſiùs, ſalubriùſque poenitentiam expleat, Deoque offenſo ſatisfaciat: praecipuè ut Theſaurum Eccleſiae, Indulgentias, nempe, conſequatur, quibus plenius ex merito Sanguinis Chriſti lytrum prò debita poena perſolvat.

Ut autem firmiùs haec veritas ſtabiliatur, exemplo rem exponere lubet, in medium productis, quae ex eorum commento mala ſequuntur, & ex adverſo, quae bona in praeſentiarum ex probata Eccleſiae diſciplina reſultant. Exemplo ſit, quod in dies evenit in praeſentiarum. Adcedit Paſchali tempore poenitens verè contritus, qui miſſo nuncio peccatis, & occaſionibus eorum, etiam ante exomologeſim diù continens abſtinuit à culpis, ut purgatus, & diſpoſitus verae emendationis ſpem exhiberet, paratus inſuper adceptare, & exſequi, quae fuerint ei à Confeſſario impoſita. Abſolutionem obtinet; impoſita ei tamen priùs in ſatisfactionem, & ad praeſervationem diutina ſalutari poenitentia, non brevi temporis intervallo, ſed duorum, vel trium, aut etiam plurium menſium ſpatio complenda, ut non ſemel fieri conſuevit, & opportunè quidem, ut conſtat. Quid agendum eſt huic? Juxtà rigidum, ineptumque adverſariorum ſyſtema tandiù ſacramentaliter incoenatus manebit, donec expleto bimeſtri, trimeſtri, aut longiore tempore poenitentiae injunctae, compleat exomologeſim. At, quaeſo, nonne ex hoc rigore damnum non modicum poenitens ſubibit? nonne Eccleſiae praecepta violabuntur? nonne ſcandalo fiet ceteris fidelibus, qui contritus venit, occultique criminis reus ſoli Deo erat notus, & nunc incoenatus abſcedit? Dubio procul: nam Eccleſiae praeceptum urget, nec ulla poenitentem cauſſa retardat ab Euchariſtica Coena, quum, plenè diſpoſitus, fuerit abſolutus, obſtrictus proinde praecepto communicandi in Paſchate, ut ex Concilio Lateranenſi V. propatulum eſt, & compertum. Ceteri inſuper, qui vident, fideles, & norunt hunc abſolutum, facillimè ſcandalum patientur ex abſtinentia hujuſce ſic differentis Paſchalem communionem uſque ad tempus confecti rigoris. Sed potiſſimùm laudatus poenitens damnum ſubibit ex hac indiſcreta, ſaevaque ſententia Rigidiorum: Etenim tandiu manens ſine antidoto immortalitatis, quod Chriſtus ad vitanda gravia, & purganda levia inſtituit (a) tepeſcet, paulatim decidet, & faciliter ſuccumbet ho-

(a) *Concil. Tridentin.* Seſſion. XIII. *Cap. II. ait*. Sumi autem voluit (*Chriſtus*) Sacramentum hoc tanquam ſpirituales animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipſe vivet propter me; & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus praeſervemur.

Digitized by Google

hosti furentiùs insultanti. Ex adverso autem dum post confessionem lachrymis sociatam, post reconciliationem laudatam dum properat ad pabulum vitae, uberiori locupletatus gratia, validiùs hostis nequissimi tela retundit, perseverat in bono, & dum Ecclesiae praecepta servat, aedificationi est ceteris fidelibus, ut constat. Neque damnatae thesis Patronorum systema congruit cum Veteris Ecclesiae disciplina, quam plus aequo jactant Oppositores. In ea namque dum rigor ille vigebat, nemo unquam reconciliatus abstinuit, nemo à Divina Synaxi recessit, sed obtenta reconciliatione confestim fuit ad plenariam communionem per Sacrae Coenae participationem admissus, & qui aliquando abstinuit, fuit ab Ecclesia expulsus, ut paulò ante vidimus. Pharisaicus ergò rigor, quem confixi erroris Patroni nobis obtrudunt, non ad aedificationem facit, sed ad destructionem; adeòque jure summo exsibilandus. Qui ità sentiunt longè à Christi Servatoris doctrina abeunt, dum filiis petentibus panem porrigunt lapidem, in desperationem, & barathrum culpae detrudendo fideles: quare sunt & ipsi arcendi è Scholis Christianorum, & ad Synagogam Pharisaeorum sunt amandandi.

Posteriorem verò thesim ex eo deridendam, ventilandam, dirisque devovendam fore certo certius est, quia injuriam Deo irrogat, dum sub larva devotionis Misericordiarum Patrem vertit in Judicem severum à se repellentem omnes, quotquot purissimi amoris sunt expertes, quotquot, estò Deo chari, tamen sunt, vel pulvisculo terreni adfectus, conspersi: necnon tyrannicè nimiùm animabus Christi Sanguine redemtis insultat, dum eas privat Eucharistico convivio, ab eo arcens, vel ipsos sanctitatis heroës, licèt Apostolica dignitate fulgentes. Et nonne ante Dei conspectum ille solus, & dumtaxat hoc purissimo Dei amore est insignitus, qui in Coelis Deo intimè conjunctus, & in gratia confirmatus vita Dei vivit torrente voluptatis ejus potatus, & Divino flagrans ardore? Id universim sicut de cunctis comprehensoribus adferendum est; generatim pariter (si Deiparam solùm excipias) de ceteris viatoribus est denegandum. Cùm Deus, *& in Angelis suis reperit pravitatem*. Job IV. Et *non justificabitur in conspectu ejus omnis vivens*. Psalm. CXLII. *Et facti sumus ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatae universae justitiae nostrae*. Isaiae C. LXIV. Apostoli itidem non ex humilitate tantùm, *sed in veritate dicebant: dimitte nobis debita nostra*, ut ex Arausicana II. Synodo definitum alibi diximus. Nullus igitur erit, qui poterit ad hanc Coenam venire. At quomodo erit nobis hic *panis quotidianus* juxtà Dominicum praeceptum, ut Cyprianus cum reliquis Patribus expendit (a), quando nullum est invenire hominem purissimo decantato amore insignitum? Quomodo *Panem Angelorum manducabit homo*, quando nullus est homo, qui Angelica charitate sit inflammatus? Nec quidem Christus aderit *nobiscum usque ad consumma-*

(a) *S. Cyprianus* Lib. de Oratione Dominica, *ità etiam exponunt verba illa* panem nostrum quotidianum da nobis hodie, *ceteri Patres, praecipuè Tertullianus* Lib. de Oratione. *S. Hieronymus* Lib. III. adversùs Pelagium, *& S. Augustinus* Lib. Evangel. Qu. Quaest. 43.

Digitized by Google

mationem Seculi. Nec ullus erit unquam *Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech*, quum nullus sit, qui oblatum panem, & vinum, aut comedat, aut bibat, quia nullus est, vel leviſſimi criminis expers. Idcircò enim offertur in Ecclesia Dei incruentum Sacrificium, ut Sacerdotes, qui offerunt, primùm sumant, & posteà dent ceteris; & ad Convivium, non ad merum Cultum, est Eucharistica mensa parata, ut ex fidei dogmate constat. Dum igitur ab ea omnes arcentur, quibus non ineſt puriſſimus amor, Sacrandus non est panis, sine Sacrificio manebit Ecclesia, & sine Religione etiam erit Populus: eo, quòd ibi nulla Religio, ubi nullum est Sacrificium, ut etiam ex Ethnicorum testimonio Eruditi quique ostendunt. Quot scelera in uno crimine! Ubi nam insuper, eo admisso Rigidiorum commento, nobis divinitùs promiſſae gratiae: *Panis, quem ego dabo, caro mea est prò mundi vita*. Et *qui manducat me, & ipse vivet propter me*. Joh VI. reliquis itidem adductis Novi Foederis monumentis? Cujus rei momento, & qua cauſſa illa tàm liberalis Christi Servatoris suasio, tàm nobile ejusdem invitamentum in Evangelio. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*. Matth. XI. *Qui sitit veniat ad me, & bibat*. Joh. VII. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo, non sitiet in aeternum*. Joh. IV. nisi ut homines participes faceret Corporis, & Sanguinis sui, in eosque effunderet divitias bonitatis suae, thesauros misericordiae suae? Proh facinus detestabile! Dominus liberalis, & servus avarus.

Laudantur utique à solidioris Theologiae Magistris, nec à nobis despiciuntur, quinimò cum laude itidem percensentur nonnulli Heroës, qui ex humilitate, & virtute, vel leve crimen pensantes, non semel abstinuerunt à Sacra Coena, ad eamque haud adcesserunt, nisi prius purgato crimine poenitentia severa, eaque per dies plurimos protracta: hinc diù rigidam exomologesim agentes incoenati steterunt, abstinentes ab hoc Divino Convivio prae timore, & confusione, quibus fuerunt absorpti. At quod in eis veneramur, ad suspiciendam Sanctorum virtutem facit, secùs autem ad adstruendum praeceptum. Quamvis neque in istis post tàm arduam poenam, diutinamque spiritualem abstinentiam puriſſimum illum demiremur amorem, quem adfectant Phanatici recentiores ad inquietandas conscientias exorti, & ad cruciandas animas viribus totis intenti. Quod enim à Patribus accepimus, hoc tenendum est, non quod à Janſenianis effutitum. Nunquam enim id summi illi, probatique Theologiae Magistri rigorem hunc venditarunt, qui cunctos fideles invitantes ad frequentem Synaxim, nonnisi eam in eisdem exquisierunt praeparationem, quae ex charitate procedit, estò cor non ità inflammet, ut vel levem, occultumque mundanum adfectum plenè absorbeat, aequè ac in Coelis charitas consummata, quam utique exigit commentum Adversariorum. Quid enim est puriſſimus amor omnis mixtionis expers, nisi charitas summa, quae animam ità absorbet, ut perfectè reddat hominem sibi, & mundo morruum, passionibus ità devictis, ut stimulum non persentiat, neque tumultum patiatur earum? Quòd etsi Patres non semel ad charismata me-

liora

Digitized by Google

liòra excitando fideles, eosdem promoverint ad capessendam perfectionis viam, tenendamque sanctitatis metam, ut hac praevia dispositione perfectè Deo conjuncti, illi incorporarentur in Eucharistica Coena, consilium fuit, non praeceptum: quare non arcendos eos adseruerunt, qui ad tantam haud pervenerant charitatem, sed eos dumtaxat ab Altari eliminandos statuerunt, quos lethalis culpa tenebat: hos utpotè mortuos excluserunt, nec absolutè, & perpetuò, sed manente dumtaxat nequitia in corde. Ad poenitentiam eos excitarunt, qua peracta, pabulum vitae eisdem redivivis non denegarunt; quinimmò, ut ad illud festinarent, eoque muniti alia vitarent crimina, conclamarunt: praecipuè quia per repetitum epulum Divinum coelestis flamma concrescit, & terrenus destruitur amor (a).

S. Cyprianus enim ità loquitur. „ (b) Hunc autem panem dari nobis „ quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie „ in cibum salutis accipimus, intercedente graviore aliquo delicto, dum „ abstenti, & non communicantes „ à Coelesti pane prohibemur, à Christi Corpore separemur „. S. Basilius itidem inquit (c) „ singulis certè diebus „ communicare, & participem esse „ Sancti Corporis, & Sanguinis Christi „ bonum, & fructuosum est, cùm dixerit ipse: *Qui comederit carnem meam, & biberit Sanguinem meum, vitam habet aeternam*. Jam verò quis dubitat, „ quin frequentius participare non sit „ aliud omninò, quàm frequenter vivere? Quater igitur nos singulis septimanis communicamus. Dominico die, Feria IV. In Parasceve, & in „ Sabbato. Sed & per dies etiam alios, „ si Martyris alicujus memoria celebretur. „ Pariformiter Chrysostomus exhortans fideles omnes ad frequentem communionem ità loquitur: (d) „ Unicuique fidelium Christus semetipsum per „ mysteria commiscet, & quos genuit „ per semetipsum enutrit, nec alteri „ tradit: per hoc tibi rursùm persuadens, quòd carnem tuam assumsit. „ Ne torpeamus igitur tanta digni charitate, & honore putati. Nonne „ videtis quanta promtitudine parvuli „ papillas capiunt, & quanto impetu „ labia uberibus infigunt? Accedamus „ cum tanta nos quoque alacritate ad „ hanc mensam: quinimmò cum longè „ majore trahamus, tanquam infantes „ lactentes, spiritus gratiam; & unus „ sit nobis dolor hac esca privari. „ Et iterùm quid sit impedimentum, quod repellat fideles, expendens, lethalem culpam adserit, quae indignos tanto cibo reddit. (e) „ Non est audaciae sacrius accedere ad Dominicam mensam, sed indignè accedere, etiam si

(a) *S. Gregorius M.* Homil. XXX. in Evangel. *ait*: Augent enim spiritales deliciae desiderium in mente, dum satiant: quia quantò magis eorum sapor percipitur, eò ampliùs cognoscitur, quod avidiùs ametur.

(b) *S. Cyprianus* Lib. de Oratione Dominica.

(c) *S. Basilius* Epistola CCLXXXIX. ad Caesariam Patriciam.

(d) *S. Johannes Chrysostomus* Homilia LX. ad Populum Antiochenum.

(e) *Idem* Homil. V. in Epist. I. ad Timoth.

Digitized by Google

„ semel tantùm quispiam toto vitae „ tempore accedat . . . . . (a) Frueris „ Mensa spiritali, Mensa regali, & iterùm os tuum luto inquinas? Ungis „ unguento, & rursùs imples foetore? „ Ab hac etiam norma, & doctrina haud longè abit Ambrosius, idcircò ad frequentiorem communionem exhortatur fideles, ut hoc Divino pharmaco ea vitent, & purgent peccata, in quae facilius ex debilitate prolabimur universi: hinc ità loquitur. (b) „ Si „ quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum „ Graeci in Oriente facere consueverunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie „ merearis accipere. Qui non meretur „ quotidie accipere, non meretur post „ annum accipere: Quomodo Job Sanctus prò filiis suis offerebat quotidie „ sacrificium, ne fortè aliquid, vel in „ corde, vel in sermone peccassent. Ergò tu audis, quòd quotiescumque „ offertur Sacrificium, mors Domini, „ resurrectio Domini, elevatio Domini significetur, & remissio peccatorum: Et panem istum vitae quotidianum non assumis? Qui vulnus habet, „ medicinam requirit. Vulnus est, quia „ sub peccato sumus. Medicina est coelestè, & venerabile Sacramentum. „ *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Quotidie sic accipis, quotidie „ tibi hodie est.„ Clariùs ad rem nostram apertiùsque loquitur Augustinus. (c) „ Quàm multi de Altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur! Unde dicit Apostolus: *Judicium sibi manducat, & bibit.* „ Nonne buccella Dominica venenum „ fuit Judae? Et tamen accepit, & cùm „ accepit, in eum inimicus intravit: „ non quia malum accepit; sed quia „ bonum malè malus accepit. Videte „ ergò fratres, panem coelestem spiritaliter manducate, innocentiam „ ad Altare apportate. Peccata etsi sine „ quotidiana, vel non sint mortifera, „ antequam ad Altare accedatis, attendite quòd dicatis: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Si dimittis, dimittetur tibi: Securus accede, panis est, „ non venenum.„ Et iterùm, dum expendit an consultius sit ex humilitate abstinere à Sacra Coena, quàm ex confidentia filiali eandem participare? ità rem totam exsolvit, tradito priùs dogmate inconcusso. (d) „ Hoc est enim „ indignè accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere poenitentiam; „ non ut arbitrio suo, quum libet, vel „ auferat se communioni, vel reddat. „ Ceterùm peccata si tanta non sunt, ut „ excommunicandus quisquam homo „ judicetur, non se debet à quotidiana „ medicina Dominici Corpore separare. Rectius inter eos fortassè quispiam dirimit litem, qui monet, ut „ praecipuè in Christi pace permaneat: „ faciat autem unusquisque, quod secundùm fidem suam piè credit esse „ faciendum. Neuter enim exonerat „ Corpus, & Sanguinem Domini, sed „ saluberrimum Sacramentum certatim „ ho-

(a) *Idem* Homilia *XVII.* in Epistol. ad Hebraeos.
(b) *S. Ambros.* Lib. V. de Sacramentis *C.VI.*
(c) *S. Augustinus* Tract. *XXVI.* in Johannem.
(d) *S. Augustinus* Epistola *LIV. aliàs CXVIII.* ad Januarium.

Digitized by Google

„ honorare contendunt. Neque enim „ litigaverunt inter se, aut quisquam „ eorum se alteri praeposuit, Zachaeus, „ & ille Centurio, quum alter eorum „ gaudens in domum suam susceperit „ Dominum, alter dixerit, *Non sum „ dignus, ut intres sub tectum meum*: „ Ambo Salvatorem honorificantes, di„ verso, & quasi contrario modo: Am„ bo peccatis miseri, ambo misericor„ diam consecuti.„ S.Cyrillus Alexandrinus non absimili modo loquitur dum ad frequentem communionem Populum hortatur. (a) „ Sciant igitur baptizati „ homines, & Divinae gratiae parti„ cipes facti, si rarius in Ecclesiam „ proficiscantur, & longo temporum „ spatio propter simulatam religionem „ mysticè communicare Christo recu„ sent, ab aeterna se vita procul depel„ lere. Quippe recusatio hujusmodi, „ quamvis ex religione proficisci videa„ tur, & scandalum facit, & laqueos „ instruit. Quare oportet omnibus vi„ ribus à peccato mundari, & rectè vi„ vendi jactis fundamentis magna cum „ fiducia ad sumendam vitam concur„ rere. Sed variae sunt diaboli, multi„ pliceſque ad decipiendum insidiae. „ Quare demus operam modò, ut vin„ culis ejus abruptis, & jugo servitu„ tis peccatorum excusso, in timore Do„ mini serviamus. Et ut carnis volupta„ te per continentiam superata, ad coe„ lestem gratiam accedamus„. Id pariter universim ceteri Patres adfirmant (b), quorum non refero monumenta, ne longum nimis traham funem.

Quum ergò Patres eum dumtaxat indignum, & sacrilegum reputent, ideòque ab Altari repellant, qui lethali culpa infectus, velut alter Judas, judicium sibi manducat, & bibit, dum Eucharistico vescitur cibo, non dijudicans Corpus Domini: qua fronte id etiam universim adserere audent Oppositores de iis, quibus adhuc non inest puriſſimus amor omnis terrenae adfectionis expers? Etsi enim hi non sint perfecti, sunt tamen in gratia, Deo sint conjuncti per charitatem; quapropter idonei sunt, ut ad coelestem mensam admittantur. Et nonne etiam inter Apostolorum discipulos primis illis feliciſſimis Ecclesiae Seculis quamplures erant, quibus puriſſimus hic decantatus haud inerat amor? Citrà dubietatis controversiam, ut constat ex eorum contentione, quam Paulus reprehendit. Sed non proinde eos à S. Communione depulsos novimus, quinimò ad quotidianam Synaxim eos legimus admissos. Sat ergò est ad dignam participationem Eucharistiae, quòd quis ab omni mortifero peccato purgatus de levibus etiam culpis doleat. Quinimò percipi fructum Eucharistiae (etsi spiritualis dulcedo Divini epuli haud percipiatur ab eo, qui per venialia distractus adcedit) ab eo, qui levibus expresse non renunciat, docent cum An-

(a) *S.Cyrillus* Lib. *III.* in Cap. *VI.* Johannis.

(b) *Vide praesertim S. Hieronymum* Epistola *XVIII.* ad Lucinium, *S. Isidorum Hispalensem* Lib. de Ecclesiasticis Officiis *Cap. XVIII. Ratherium Veronensem Episcopum Seculo X. clarum* Epistola Synodica ad Presbyteros suos, *Petrum Cellensem prius Abbatem S. Remigii Remensis, deinde Episcopum Carnoten. Sec. XII. illustrem* Lib de Disciplina Claustrali, *&c. Lege itidem S. Francisc um Salesium* in Philothaea *P. II. & N.V Johannem Taulerum* Sermone *IV.* in Festo Venerabilis Sacramenti. *Et* Serm. *I.* & *II.* in Dominicam *VII.* post Octavam Trinitatis.

Digitized by Google

gelico (a) Theologi omnes: quum peccatum veniale non impediat augumentum gratiae, quod per Sacram communionem participatur. Similiter quum laudati Ecclesiae Patres omnes fideles hortentur ad frequentem, imò etiam ad quotidianam communionem (quod pariter ardentissimè optarunt Tridentini Patres (b), desiderantes propterea eam in omnibus Christianis pietatem, qua digni forent, qui adcederent ad panem vitae percipiendum) certo certiùs decantatum purissimum illum amorem haud necessarium existimarunt ad ritè communicandum: alioquin selectissimos dumtaxat fideles (si tamen reapse sit unum adinvenire talem juxtà commentum jam profligatum) eosque solùm ad hanc frequentem communionem fuissent adhortati, quos Angelica puritas decorabat, & Apostolica, quinimò Seraphica, charitas exornabat. Quum autem jam alibi ex Patribus probatam normam prò frequenti, & quotidiana communione tradiderim (c), ne actum iterùm agam, ad plenariam absolutamque confutationem erroris, S. Thomae doctrinam dumtaxat transcribere lubet, & finem imponere Exercitationi. Quaerens enim (d) S. Doctor. *Utrùm liceat quotidie Sacramentum Eucharistiae suscipere?* post quam suam sententiam alibi laudatam exposuit, ità respondet ad tertiam objectionem, & sua responsione enervat sophisma Patronorum damnatae thesis: adserens cum timore simul, & amore adcedendum, & utrumque laudabile esse: sed alium certè amorem longè diversum ab eo, quem comminiscuntur damnatae thesis authores, Angelicus laudat: timor verò, quem ipse commendat, procul etiam abit ab eo, quem incutiunt praefati Rigidioristae, ut penitùs fidelem ab hac Sacra Mensa repellant: „ Dicendum „ inquit „ quòd reverentia hujus Sacramenti habet timorem amori conjunctum, unde timor reverentiae ad Deum dicitur timor filialis; ut in II. Parte dictum „ est „ (seu 2. 2. qu. 19. art. 12.) „ ex „ amore enim provocatur desiderium „ sumendi, ex timore autem consurgit „ humilitas reverendi: & ideò utrumque pertinet ad reverentiam hujus „ Sacramenti, & quòd quotidie sumatur, & quòd aliquando abstineatur. „ Unde Augustinus dicit: (epist. 118. „ cap. 3.) *Si dixerit quispiam non quotidie*

„ *die*

(a) *S. Thomas III. P. Qu. LXXIX. Art. VIII.* Respondeo dicendum, quòd peccata venialia dupliciter accipi possunt: Uno modo prout sunt praeterita; alio modo prout sunt actu exercita. Primo quidem modo peccata venialia nullo modo impediunt effectum hujus Sacramenti; potest enim contingere, quòd aliquis post multa peccata venialia commissa devotè accedat adhoc Sacramentum, & plenariè hujus Sacramenti consequatur effectum. Secundo autem modo, peccata venialia non ex toto impediunt hujus Sacramenti effectum, sed in parte. Dictum est enim, quòd effectus hujus Sacramenti non solùm est adeptio habitualis gratiae, vel Charitatis, sed etiam quaedam actualis refectio spiritualis dulcedinis: quae quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente distractus: non autem tollitur augumentum habitualis gratiae, vel charitatis.

(b) *Tridentinum* Sessione XXII. *Cap. VI.* Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis Fideles adstantes, non solùm spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quò ad eos Sanctissimi hujus Sacramenti fructus uberior proveniret.

(c) *Tom. II.* Exercitatione *XXXI.*

(d) *S. Thomas III. P. Qu. LXXX. Art. X. ad 3.*

Digitized by Google

„ *die accipiendam Eucharistiam, alius con-*
„ *trà, faciat unusquisque quod secundùm*
„ *fidem suam piè credit esse faciendum*,
„ *neque enim litigaverunt inter se Za-*
„ *chaeus, & ille Centurio; cùm alter eo-*
„ *rum gaudens, suscepit Dominum, alter*
„ *dixit: Non sum dignus, ut intres sub te-*
„ *ctum meum, ambo Salvatorem honorifi-*
„ *cantes, quamvis non uno modo.* Amor
„ tamen, & spes, ad quae semper Scri-
„ ptura nos provocat, praeferuntur ti-
„ mori: Unde & cùm Petrus dixisset:
„ *Exi à me Domine, quia homo peccator*
„ *sum*, Respondit Jesus: *Nolite timere.*„
Idem quoque Angelicus Doctor descri-
bens effectus hujusce Divini Sacra-
menti omnes hortatur ad ejus susceptio-
nem, estò pauci hoc purissimo amore,
quem adversarii jactant, sint deco-
rati: qua de caussa ex professo ostendit,
nec etiam impediri effectus ejusdem Sa-
crae Coenae per venialia peccata (a); &
quàm opportuna insuper sit Eucharistica
Communio ad vitanda peccata, & pro-
grediendum in via Dei, Sathanae devi-
ctis insidiis, solidè probat. Ait enim:
„ (b) Peccatum est quaedam spiritualis
„ mors animae: Undè hoc modo prae-
„ servatur aliquis à peccato futuro, quo
„ praeservatur corpus à morte futura.
„ Quod quidem fit dupliciter: Uno mo-
„ do, in quantùm natura hominis in-
„ terius roboratur contrà interiora cor-
„ ruptiva, & sic praeservatur à morte
„ per cibum, & medicinam: Alio mo-
„ do per hoc, quòd munitur contrà ex-
„ teriores impugnationes, & sic prae-
„ servatur per arma, quibus munitur
„ corpus. Utroque autem modo hoc
„ Sacramentum praeservat à peccato.
„ Nam primò quidem per hoc, quòd
„ Christo conjungit, per gratiam ro-
„ borat spiritualem vitam hominis, tan-
„ quam spiritualis cibus, & spiritualis
„ medicina secundùm illud Psal. CIII.
„ *Panis cor hominis confirmat.* Alio mo-
„ do in quantùm est quoddam signum
„ passionis Christi, per quam victi sunt
„ doemones, repellit omnem doemo-
„ num impugnationem. Undè Chryso-
„ stomus dicit super Johannem Homi-
„ lia XLV. *Ut leones flammam spirantes,*
„ *sic ab illa mensa discedimus, terribiles ef-*
„ *fecti diabolo.*

EXERCITATIO XIV.

XXIV. PROPOSITIO.

Oblatio in Templo, quae fiebat à B. Virgine Maria in die Purificationis suae per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum prò peccatis, sufficienter testatur, quòd indiguerit purificatione; & quòd filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset secundùm verba Legis.

NON minùs contrà Jesum Dei fi-
lium, quàm contrà Sanctissimam
Virginem ejus Matrem calamum acuere,
venenum fundere, & maledicta conge-
rere ausi sunt Heterodoxi, qui à fide
aberrantes, & in lumine caligantes of-
fenderunt in montem. Quapropter si-
cut non pauci Nebulones immediatè Pa-
tri

(a) *S. Thom. III. P. Qu. LXXIX. Art. VIII. Vide ejus textum exaratum in notula pag. praecedentis.*

(b) *S. Thomas ibidem Art. VI. in O. Lege etiam notam marginalem N. Johannis Nicolai ibidem.*

Digitized by Google

tri consubstantiale Verbum inficiati sunt, denegantes propterea, quod ex dilucidis Divini verbi scripti, & traditi monumentis diffinivit Concilium Nicaenum I. nimirùm ὁμοούσιον καὶ συναΐδιον, quos inter enumerantur Arius (a), ejusque gregales Acaciani, & Semi-Ariani (b) primùm, deinde noviſſimis hiſce temporibus uterque Socinus (c), Michaël Servetus (d), Valentinus Gentilis (e), ceterique Anti-Trinitarii recentiores, qui etiam Sabellii (f) renovarunt errores. Ità pariformiter hoc Dei Verbum Patri coaeternum, & in tempore factum hominem, quod invariata fide semper Ecclesia tenuit, quàm variis oppositisque commentis impugnarunt alii Vitilitigatores? Christo namque divinitatem denegarunt Ebion (g), Cerinthus (h), Theodotus (i), Paulus Samosatenus (k), aliique, qui Christum puram esse creaturam commenti sunt, Deique Filium dicendum oggannierunt per quandam adoptionem (l), & Dei virtutem esse, non secùs ac Dei virtutem Moyses inquit bruchum, & locustam, sacrilegè blasphemarunt (m). At dum ità Verbum Dei prò nobis carnem factum traduxerunt fidei hostes; pariformiter ejus Matrem traduxerunt. Quidam autem utrumque

(a) Arius *ex Lybia oriundus, teste S. Epiphanio, primùm Schismaticus adhaerens Meletio depoſito, & excommunicato à S. Petro Alexandrino ob idololatriam, & ſchiſma, deinde haereticus manifeſtus, effutivit Verbum* Genitum non ex ſubstantia Patris: ex tempore, non ab aeterno, haud quaquam Deum verum de Deo vero, ſed ex nihilo creatum, & minorem Patre. *Sic, inquam, ſub initium IV. Seculi delirare coepit. Sed in poenam ſceleris à Deo Judae proditoris morte punitus, effuſis per ſeceſſum viſceribus miserè interiit.*

(b) *Ariana haereſis progreſſu temporis in tres diviſa eſt factiones. Prima fuit eorum, qui primigenium Arii errorem, & meram blaſphemiam propugnarunt; nimirùm Aëtius, Eunomius Eudoxius, qui dicti ſunt etiam* Ἀνομοῖοι Anomaei. *Altera factio fuit* Semi-Arianorum, *qui* ὁμοιούσιον *quidem repellebant, & Filium minimè* consubstantialem Patri, *ſed* similem per omnia, *adeòque* κατ' οὐσίαν *dicebant, & ὁμοιούσιον edita ideircò formula fidei in Synodo Ancyrana An. 358 Huius factionis principes extiterunt Baſilius Ancyranus, Georgius Laodicaenus, Silvanus Tarſenſis, &c. Vide Natal. Alex.* Secul. IV. & Diſſertat. *ejus ibid. Tertia factio Arianicae Sectae fuit* Acacianorum *principe Acacio Epiſcopo Caeſarienſi, cui alii adhaeſerunt. Non* consubstantialem Patri dixerunt Filium, *neque* unam ex creaturis, *ſed* similem, *non tamen* substantia, οὐσίᾳ. *Hinc propugnabant non* ὁμοούσιον Catholicorum, *non* ὁμοιούσιον Semi-Arianorum *non* ἀνόμοιον Arianorum Eunomianorum, & Eudoxianorum. *Sed duntaxat* ὁμοῖον. *Vide S. Epiphanium* Haeresi LXXIII.

(c) *Laelius Socinus Senenſis* Trinitatem Personarum *in Divinis primùm negavit, ſed eo mortuo Tiguri Ann.* 1562. *aetatis ſuae* 37. *ejus Nepos Fauſtus Socinus eundem renovavit, propagavitque errorem, mortuus Cracoviae Anno* 1604. *De illo ſic cecinere blaſphemando gregales:* Tota Urbis Babylon deſtruxit tecta Lutherus: Muros Calvinus, ſed fundamenta Socinus.

(d) *Michaël Servetus Hiſpanus Tarraconenſis Genevae accuſante Calvino vivicomburio punitus fuit ex Genevenſis Senatus decreto Anno* 1553.

(e) *Valentinus Gentilis natione Italus patria Coſentinus Bernae in Helvetia ob errores contrà SS. Trinitatem cum Serveto promulgatos capite plexus eſt.*

(f) *Sabellius unam in Divinis effutivit perſonam.*

(g) *Ebion I. Eccleſiae Seculo effutivit* Christum conceptum esse ex semine viri.

(h) *Cerinthus* Christum esse merum hominem *blaſphemavit. Adversùs eiusdem, & Ebionis haereſim S. Joh. Evangeliſta ſuum ſcripſit Evangelium, ut tradit S. Hieronymus* Lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis: *Refert quoque Euſebius Caeſarienſis* Lib. III. Histor. Eccleſiaſtic. *cap.* 22. *quòd idem S. Evangeliſta ingreſſus balneum, ut Cerinthum vidit, diſcipulis dixerit:* Fugiamus extemplò, ne balneum, in quo Cerinthus veritatis hostis moratur, subitò concidens nos opprimat.

(i) *Theodotus patria Byſantinus arte Coriarius II. Seculo dixit* Christum esse purum, & merum hominem.

(k) *Paulus Samoſatenus Epiſcopus III. Eccleſiae Seculo aſſeruit* Divinitatem in Christo non per naturam, sed per quandam excellentem gloriae participationem, quam per bona opera meruit.

(l) *Ità etiam Photinus, Aſterius, aliique Nebulones.*

(m) *Ità effutivit Aſterius Sophiſta Arianus Epiſcopus IV. Seculo.*

Digitized by Google

que ventilantes, alii verò dumtaxat Deiparae gloriae detrahentes. Neſtorius (a) quidem Leporii veſtigia ſequens, dum duas in Chriſto diſtinxit hypoſtaſes, Divinam unam, humanam alteram, Verbum humanitati conjunxit per meram quandam extrinſecam unionem, non minùs ac veſtis inhaeret corpori, & homo manet in Templo; quare Sanctiſſimam Virginem hominis, non Dei, matrem commentus eſt; hinc eam dixit Χριστότοκον *Chriſtotócon*; *matrem Chriſti* non verò Θεοτόκον *Theotócon*, *Matrem Dei*. Nec quidem acquieſcens definitioni Concilii Epheſini (b), perfidè conclamavit Virginem ſolùm eſſe dicendam Ἀνθρωποτόκον, ideſt nil ultrà carnem genuiſſe. Eutyches (c), ex adverſo in oppoſitum impingens errorem, duas in Chriſto confundens naturas, & humanam à Divina abſorptam mentiens, dum Chriſtum per Virginis uterum, veluti per canalem tranſiiſſe adſeruit, gloriam Maternitatis Dei ab eadem Coelorum Regina eliminavit, quia natum, & non factum ex Virgine Chriſtum Dominum adfirmavit (d). Helvidius Auxentii Ariani Epiſcopi Mediolanenſis diſcipulus, homo ruſticanus, & imperitus, ut S. Hieronymus ſcribit (e), Deiparam tantùm ante partum Virginem dixit, ſecùs verò poſt partum, quo tempore eam carnali commercio copulatam S. Joſepho adſeruit, ex eoque filios habuiſſe eos, qui in Evangelio dicuntur fratres Domini, impiè oggannivit. Eundem errorem docuit etiam Jovinianus, ut S.P. Auguſtinus ſcribit (f), eſtò S. Hieronymus, qui alia crimina in Apoſtata heterodoxo ventilavit, hunc haud carpat errorem; quem reapſe tenuerunt Antidicomarianitae (g). Ipſiſſimum commentum perpetuae Virginitati Deiparae adverſum P. Dominicus Viva in Arianis caſtigat (h); Verùm hunc errorem haud notarunt in Arianis Athanaſius, Hilarius, Auguſtinus, Nanzianzenus, Epiphanius, Vigilius Tapſenſis, Victor Vitenſis, ceterique Patres, qui Arianorum deliria ventilarunt, nec quidem id fuit adſertum à Card. Baronio, Alphonſo de Caſtro, Cajetano Prateolo, ceteriſque recentioribus, qui Haereticorum commenta retulerunt. Legitur quidem in Actis S. Idelphonſi Toletani Archiepiſcopi, quòd S. Praeſul hunc errorem confutavit in haereticis ſuae aetatis, ſed, ut compertum eſt, in iis hoc ſphalma ſtigmatizavit, qui Helvidianam haereſim renovarunt. Quid inſuper haud effutierunt ſceleſtiſſimi Albigenſes in dedecus Sanctiſſimae genitricis? Referre horreſco: perpetuam ejus Virginitatem inficiantes traduxerunt eam ut ſcortum (i).

Al-

(a) *Neſtorius in Syria natus primùm Monachus Antiochiae, deinde Conſtantinopolitanae Eccleſiae praefectus, contrà Chriſti Divinitatem, & Virginis gloriam deliravit, excommunicatus ab Epheſina Synodo, & Oaſim Ann. 435. in Lybiae deſertis oppidulum relegatus, corroſa eius lingua à vermibus infeliciter fato ceſſit. Vide Evagrium* Libro I. Hiſtor. Eccleſ. *cap.* 7.

(b) *Concil. Epheſinum ſub S. Coeleſtino I. Rom. Pontifice apertum fuit Ann.* 431. *praeſide S. Cyrillo Alexandrino.*

(c) *Eutyches Archimandrita, ſeu Abbas Conſtantinopolitani cujuſdam Monaſterii Sec. IV. Eccleſiam conturbavit, excommunicatus propterea à Synodo Chalcedonenſi coacta An.* 451. *ſub S. Leone I. R. P.*

(d) *Vide V. Bedam* Lib. IV. in Lucam.

(e) *S. Hieronymus* Lib contrà Helvidium.

(f) *S.P. Auguſtinus* Lib. I. contrà Julianum *Cap.* 2.

(g) Antidicomarianitae *iidem ſunt S. Epiphanio, ac Helvidiani.*

(h) *P. Viva T. III. hic* Propoſ. XXIV. *fol.* 268.

(i) *Vide N. Franciſcum Vanraſſ.* Hiſt. Haeretic. & Haereſum *Sec. XIII.*

Digitized by Google

Albigenſium reliquiae, aut haeredes ſphalmatum eorum, vel quomodocumque ſe jactant Novatores (a) quot heu! quot blaſphemias in Virginem Matrem evomuerunt? Lutherus, qui ſemper ſtellionis inſtar multifariàm diſcolor plures è diametro oppoſitos adunavit errores, modò exaltavit Sanctiſſimam Matrem(b), modò (c) eam depreſſit, vel cuilibet mulierculae aequando. Reliqui verò, qui *Reformati* audiunt, eſtò noviſſimis hiſce temporibus (quando nimirùm magna ex parte Patriarcharum ſuorum erroribus nuncium miſerunt, ut pluries obſervavimus, & alibi clariùs oſtendemus) plura congeſſerunt, quae adverſa ſunt decori, & gloriae Reginae Coelorum. Inter cetera eorum ſphalmata praecipua ea ſunt, quae ad praeſentem rem faciunt: nimirùm, quòd non permanſerit Virgo poſt partum reſerato ejus Clauſto Virginali in partu Chriſti Redemtoris, ut effutivit Jacobus Picininus (d), & deliravit Samuel Baſnagius (e), adſerens proinde non pertinere ad dogma fidei articulum de perpetua ejus Virginitate. Eodem quoque ex momento, quia, nimirùm, Deipara naturali modo enixa eſt Regem Regum aperto, videlicet, clauſtro pudoris, ex emiſſo ſanguine, ceteriſque excretis foecibus, quae ceteros humanos partus ſequuntur, eam volunt obnoxiam legi Purificationis: quare ex debito legali eam ajunt ad Templum adceſſiſſe poſt quadraginta à nativitate filii dies oblatis muneribus in expiationem legalis maculae; & nedum prò ſe, verùm & prò filio, juxtà legem feciſſe comminiſcuntur; quia hic etiam commaculatus ex profluvio ſanguinis purificatione indigebat, Sacrificio, nempe, expiativo maculae legalis. Quapropter etſi in praeſentiarum confixum dumtaxat errorem in damnata theſi notatum expungere oporteat, alia tamen hùc facientia non omittam, quamquam ſtrictim, fortaſsè alibi Deo dante fuſiùs, & ex profeſſo.

Ut autem res tota perfectè abſolvatur, priùs Divina Mandata in medium producere oportet, & recta lance librare, omni doloſo pondere rejecto, ut veritate ex Divino Eloquio penſata, Virginis Deiparae immunitas à lege purificationis, & potiori jure exemtio pueruli Jesu dignoſcatur. Tres procul dubio extant in Divino Eloquio ad Hebraeas puerperas ſpectantes leges à Deo per Moyſem datae. Prior extat Leviticí XII. v. 2. ubi praeſcribitur, quòd quae mulier maſculum pepererit, immunda erit quadraginta diebus: hoc tamen eos inter ſtatos dies diſcrimine ſervato, nimirùm, ut ſeptem prioribus diebus ità immunda cenſeatur, quòd ceteros quoque eidem adhaerentes commaculet.

(a) *Ab Albigenſibus, ſicut & ab aliis priſcis haereticis quamplures errores mutuaſſe compertum eſt Eruditis. Videſis praecipuè S. Franciſcum Saleſium* Controverſ. Fidei, *& NN. Dominicum Gravina in* Praeſcriptionibus, *& Cardin. Gotti* Vera Jesu Chriſti Eccleſia.

(b) *Lutherus in* Evangel. de Conceptione B.M.V. *eam eximit ab omni peccato.*

(c) *Idem* Dominica I. poſt Octava Epiphaniae *Deiparam omnibus peccatoribus pejorem effutit, & Sermone de Nativitate ſemetipſum Virgini Deiparae comparat, & exaequat. Vah blaſphemam contumeliam! Proh infamem nebulonem!*

(d) *Jacobus Piciniuus* in Apologia *pag.* 231.

(e) *Sam. Baſnagius* T.I. Annal. Politic. Eccleſ. ad An. I. Chriſti. *Adnotat etiam Joh. Maldonatus in* Cap. II. Lucae *Calvinianos univerſim ità effutire.*

Digitized by Google

macularet, utpotè ex contactu rei immundae; posterioribus verò triginta tribus diebus dumtaxat ipsa à contactu rei sacrae, & adcessu ad Templum arceretur. *Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus juxtà dies separationis menstruae ... Ipsa verò triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suae. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur in Sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suae.* Altera verò lex ibidem versu VI. & seq. expressa praescribit ritum lustrationis puerperae: *Cumque expleti fuerint dies purificationis suae prò filio, sive prò filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbae, sive turturem prò peccato ad ostium Testimonii, & tradet Sacerdoti ..... Quòd si non invenerit manus ejus; nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum prò peccato, orabitque prò ea Sacerdos, & sic mundabitur.* Qua lege, ut constat, obstringebatur puerpera ad duplicem hostiam, unam in holocaustum (sive agnus is fuerit, sive turtur, sive pullus columbarum) quod per combustionem victimae fiebat, eratque in gratiarum actionem prò suscepta prole, & felici partu ad alteram verò prò lustratione, seu purgatione à legali macula, eratque in Sacrificium offerendus columbarum pullus, aut turtur, cujus portio Sacerdoti cedebat; haecque duplex hostia totà prò puerperae purgatione cedebat. Quare, etsi ex Mosaica lege (a), juxtà latinam versionem videatur etiam ad lustrationem primogeniti masculi facere oblationem agni, sive turturis, aut pulli columbarum, id tamen est per quandam inversionem, sive combinationem legis, & facti, quum revera in Lege Levitici ad mulieris purgandae lustrationem id faciat, sive masculum ea pepererit, sive faeminam, sive primogenitus is fuerit, sive non, ut ex nuper laudato Levitici textu innotescit: quare ubi nostra Vulgata vertit *afferet*, textu hebraicus חביא *Tabi*, latinè *adducet* faeminini generis, ut declaret ad faeminae purgationem id spectare, non autem ad purificationem infantis, constatque pariformiter ex laudata lege, qui primogenitus redimendus erat pretio, u

(a) *Ex illo* Levitici XII. Cumque expleti fuerint dies purificationis suae prò filio, sive prò filia, deferet agnum, *&c. videtur colligi agnum, sive columbinum pullum, sive turturem esse offerendum, &c. & ità reapse expendit Erasmus* in Paraphrasi in Evangel. *secutus S. Augustinum, qui* Quaest. XL. in Leviticum *aliorum quoque interpretationi adhaerens, dixit* prò filio, sive prò filia *agnum fore offerendum; & ex eo, quòd in Graeco textu dicatur ἐὰν υἱὸν ἢ ἐπὶ θυγατρὶ explicarunt quamplures* prò filio, aut prò filia, *ut etiam habet nostra vulgata, non autem* super filio, aut super filia, *ut ex obvio graeci textus sensu. Verùm ex reliquis Patribus oppositum evincitur, & quod nos hic adstruimus, universi docent Eruditi. Praecipue tamen consuli possunt Cornelius Jansenius Gandavensis Episcopus* in Concordia Evangelica Cap. X. *Guillelmus Estius* in Leviticum. *Franciscus Lucas Burgensis in* II. caput Lucae, *Johannes Maldonatus* ibidem *N. Jacobus Hyacinthus Serry* Exercit. XXXVI. de Christo, & Deipara, *& alii. Qui itidem advertunt τὸ* ejus *in Purificatione descriptum ab Evangelista*: Postquàm impleti sunt dies purgationis ejus, *non referri ad Christum, sed ad Virginem, cùm haec exspectaverit tempus puerperii adsignatum, haec in Templum venerit se purificatura: hinc ubi in nostra vulgata legitur absolutè* ejus, *in graeco textu exprimitur qualitas personae per expressionem* ejus *faeminini generis* αὐτῆς, *ut ex purgatis codicibus habetur: nec admittendi sunt, qui habent* αὐτοῦ ejus *masculini generis, eoque ex momento potissimùm repellendi sunt, qui habent* αὐτῶν eorum, *quamvis eisdem Codicibus usi sint plures Veteres, quos suspicimus, sed non sequimur.*

Digitized by Google

mox innotesceret (a). III. Tandem lex, quae puerperas adstringebat, ea est, quae habetur Numerorum Cap. III. nimirùm, ut primogenitus masculus pretio quinque siclorum (b) redimeretur. Quum enim occisis primogenitis Aegypti ab homine usque ad pecus Dominus eduxisset filios Israël, jussit, ut primogeniti è Populo Israël sibi sacrarentur. Verùm, quia Dominus ipse è Tribu Levitica sibi adscivit Ministros, qui Templo inservirent, hanc sacrationem redemtione commutavit; praecepitque, ut oblatis in Templo pueris, quinque Sicli prò eorum redemtione solverentur: quapropter Sacerdos oblatum primogenitum excipiens manibus, Deoque offerens, tunc primùm parentibus restituebat illum, quum lytro persoluto ab eis, juxtà legem fiebat; sieque benedicens puero, & genitoribus, eos in pace dimittebat. *Ego tuli Levitas à Filiis Israël prò omni primogenito, qui aperit vulvam in filiis Israël ab homine usque ad pecus; mei sunt, Ego Dominus. Meum est enim omne primogenitum, ex quo percussi primogenitos in Terra Aegypti: sanctificavi mihi quidquid primum nascitur in Israël ab homine usque ad pecus, mei sunt Ego Dominus..... de primogenitis filiorum Israël accipies quinque Siclos per singula capita, ad mensuram Sanctuarii. Siclus habet viginti obolos.* Hac ergò triplici lege prae oculis habita Catholica veritas protinùs conspicua fit, elucetque statim, nullo, vel levi adhibito studio, quod in praesentiarum adsumimus vindicandum.

Quomodo enim Deipara Virgo obnoxia legi adseri potest, quae suprà omnem naturae vim, & exspectationem, nulla virili seminali aura foecundata, sed Spiritu Sancto superveniente obumbrata, de suis visceribus concepit Deum, & hominem? Quomodo filius ejus adstruetur subjectus legi, qui Conditor legis existens, nullam naturae legem subivit in ortu è Virgineo Claustro? Quaenam in tàm admirabili partu legalis macula, qua, aut mater, aut proles conspurcari potuit, quando Puritatis Mater purissimum enixa est Regem, & ex lucida stella Jacob Sol divinus est ortus? Indigitavit utique Lucas Purificationem Deiparae juxtà Mosaicam legem. *Postquàm impleti sunt dies purgationis ejus secundùm legem Moysi;* At legem procul dubio eam expressit Evangelista, quae reliquas Ebraeas puerperas respiciebat, eas, nimirùm, quae ex virili semine conceperant, quae non sine dolore pepererant; quaeque idcircò legali macula conspurcatae purificatione egebant. Haec, inquam, lex ità distinctè reliquas puerperas sub maledicto legis detentas expressit, ut vel ex communi causa exemtam declaraverit Deiparam, Virginem ante partum, Virginem in partu, & post partum adhuc Virgineo decore nitentem; adeòque speciali hoc privilegio decoratam à legis debito exemtam declaravit. En verba legis, ex quibus catholica veritas evincitur: *Mulier, si susceptо semine, pepererit masculum, immunda erit septem diebus juxtà dies*

(a) Sacra verò . . . pecunia fuit, quae Siclus est dicta, quam ceu pretium prò animabus suis dabant Domino, in usum Tabernaculi, *inquit Carolus Sigonius* Lib. IV. de Republica Hebraeorum *Cap. XV.*

(b) *De Siclorum pondere, & pretio disserui T. I. Exercit. XXIII. Videsis Calmetum in* Dictionario Biblico. *Lamy* Apparat. Biblic. *Johan. Morin.* Exercit. Biblic. *& alios Eruditos.*

Digitized by Google

dies separationis menstruae, &c. Hebraeus originalis textus clariùs rem manifestat.

אשה כי תזריע וילדה זכר וטמאה שבעת ימים כימי נדת דותה תטמא

Iscia ki tazriagh vejaleda zachar; vetamea scibghuat jamim: kime niddath devothah titma. Mulier si fecerit semen, & pepererit masculum; immunda erit septem diebus: juxtà dies separationis menstrui sui immunda erit. Ubi, ut constat, ex hebraico idiotismo כי *Chi*, ideſt *cùm*, vim habet particulae conditionalis *Si*, ut praesertim constat ex illo Jeremiae כי אגר *Chi agghid, cùm annunciavero*, ideſt *si annunciavero*, ut nostra Vulgata optimè legit. Quapropter quid factum sit, ex altiori, nempe, momento, sed juxtà ritum, & consuetudinem Ebraearum puerperarum, non quid faciendum foret à Deipara Virgine, velut ex debito Legis, Lucas expressit: exemplar proposuit, cujus instar Virgo se gessit, non verò ex subjectione ad legem adserviit eam purificationis causa properasse ad Templum. Tempus ceteris commune distinxit, quod Virgo expectavit; non quod ipsa consumsit in profluvio sanguinis, sive cujuscumque alterius humoris intrà praefatum tempus scaturientis, domi detenta, à contactu sanctae cujuscumque rei relegata, sicut & ab adcessu ad Sanctuarium: Idque non secùs ac de puero Jesu circumcisioni addicto idem Evangelista inquit. *Postquàm consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer*: ut, nempe, indigitaret, quòd octavo à Nativitate die fuit circumcisus, eo fermè modo, eodemque exspectato tempore, ac ceteri Abrahami filii debito legis adstricti praeputium deponebant; Secùs verò, quòd foret huicce tàm durae legi obstrictus, qui nulla contagione primaevae labis pollutus, solus à peccato liber, omnium peccata delebat: sicut omnes, qui Christiani audiunt, una voce fatentur. Cujus rei causa, ne omnes Ecclesiae Patres id adstruentes in medium proferam, solùm laudo Clarae-Vallensem Abbatem, qui rem totam edisserit, paritatemque Virginem inter & filium, ambos ex virtute, non ex praecepto, legi subjectos, confirmat. *Quid est autem*, inquit, (a) *quòd dicimus Beatam Mariam purificari? Quid verò, quòd ipsum Jesum dicimus circumcidi? Enimverò tàm non indiguit illa purificatione, quàm neque ille circumcisione. Nobis ergò & hic circumciditur, & illa purificatur, praebens exemplum poenitentibus, ut à vitiis continentes, primùm per ipsam continentiam circumcidantur, deinde à commissis per poenitentiam purificentur.*

Neque ullum facessit negotium, quod aliqui opinantur, & Novatores opponunt; nimirùm, ex laudato hebraico כי חשריע colligi puerperam, vel ex sola prole susceptà teneri ad purificationem, quum verbum זרע *Serah*, vel *Zerach*, latinè *Semen*, filium denotet: hinc non semel in Divino Eloquio *Semen* prolem designat II. Reg. VII. *Re-*

(a) *S. Bernardus* in parvis Sermonibus Serm. VII.

gnabit ſemen tuum poſt te. Pſ. LXXXVIII. *Ponam in Seculum Seculi ſemen ejus.* Jeremiae XXII. *Non erit de ſemine ejus, qui regat populum meum Israël*, & ut id genus ſexcenta, quae paſſim in Divino Verbo occurrunt, monumenta miſſa fiant, Lucae II. dicitur. *Sicut locutus eſt ad Patres noſtros Abraham, & ſemini ejus in ſecula.* Quapropter inde inferunt, vel ex *ſemine ſuſcepto*, nempe ex prole, quam enixa eſt puerpera Virgo, obſtrictam fuiſſe ad purificationem in Templo obeundam.

Nullum, inquam, faceſſit negotium, quod opponitur, eſtò ultrò libenterque praefatam uſurpationem *ſeminis* nedum hebraeis, ſed & latinis itidem conſuetam, ſartam tectam ſervemus, & nec per volam, aut per hilum ab ea declinemus. Quandoquidem in praeſentiarum interpretatio laudatae Moſaicae legis violenta nimiùm eſt, extranea ſunt, quae laudantur, exempla, & res aliter in praeſentiarum eſt accipienda. Ut quid enim Moyſes dixiſſet *Mulier, ſi ſuſcepto ſemine, pepererit maſculum*, ſi ſeminis voce prolem deſignaſſet? Vitium Tautologiae dubio procul commiſiſſet, & bis filium ſine cauſſa, & turpiter nimis ingeminaſſet, quum reapſe ex Scitulorum commento idem ſit maſculus, & ſemen; quia ſemen ex eorum placito eſt idem ac proles. Ne ergò defectum tàm gravem in Divino Eloquio carpamus, nefas eſt adſerere, quod comminiſcuntur Novatores ex textu laudato. Tum etiam quia זרע ut obſervarunt viri hebraicè docti, ſignificat *ſerere*, *ſeminare* (a), & *ſemen projicere*, & *ſpargere ad conſervandam ſpeciem*(b): id autem praecipuè viviperis convenit, quia maſculina aura ſeminali foecundatum ovum in Embryon priùs, deindè in foetum commutatur, quod in ſimilitudinem viventis generantis paritur (ſive aliter id fiat juxtà aliorum ſyſtema, quod non eſt hìc examinandum) ideòque cùm hoc praecipuè ſit adinvenire in generatione humana, quae juxtà naturae ordinem haud fit ſine ſpermatis effuſione, rectè ſemen dicitur proles, quia ex ſeminali virtute gignitur, & uſurpatur effectus prò virtute, & terminus prò cauſa, ſeu prò medio. At cùm hoc praecipuè dumtaxat tunc locum interpretationi cedat, cùm, nimirùm, *ſemen* abſolutè pronunciatur, fas ne forſan erit parili modo id expendere, quum *ſemini* id additur verbum, quod effuſionem ſonat, ſive activam, ſive paſſivam; nimirùm effundere ſemen, ſuſcipere ſemen, & id genus cetera? Apage commentum Divini verbi everſivum. Dum enim Geneſis XXXVIII. dicitur, quòd Onam *ſemen fundebat in terram*, non mollitiei reus, & criminis contrà naturam arguetur ſpurciſſimus Ganeo, ſed potiùs immanitatis, & ſaevitiae, qui filios allidebat ad terram, perditurus eos; quia, nimirùm, ſemen, ideſt prolem, fundebat in terram. Sed, quaeſo, quos filios mactabat perditus homo, & nefarius Pater, qui nullum ex Thamare ſuſceperat, quin imò ne illa progigneret, adhuc dum cum ea-

(a) *N. Fontes Pagninus* in Theſauro Linguae ſanctae.

(b) *Johannes Mercerus ibidem V.* זרע *ità etiam obſervat, & ſcribit Johannes Buxtorfius* in Lexico Hebraico Chaldaico *eodem verbo.*

Digitized by Google

eadem concubebat, tàm grave crimen patrabat? *Semen*, inquit Scriptura, *fundebat in terram, ne liberi fratris sui nomine nascerentur*. Dum iterùm Deuteronomii XXVI. dicitur. *Quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui*: fortè inferre fas erit, quòd defuncti frater, aut demortuos liberos fratris sui revocabit ad vitam: quia semen idem est ac proles, & filium designat? Proh ridiculam gerram, vel non sine stomacho, vel non absque cachinnis excipiendam! Dum ergò Moyses inquit: *Mulier, si susceptо semine, pepererit masculum*, Semen illud designavit, quod est medium ad generationem, sperma, nimirùm, cujus aura spirali in concubitu foecundatur mulier; hancque dumtaxat puerperam ex semine suscepto distinxit, quae nempe, eum peperit filium, quem priùs ex carnali commercio, ex concubitu, & seminali commixtione concepit. Quare in hebraico textu ità legitur laudatum Divini Eloquii monumentum: *Mulier si emisso semine conceperit, & pepererit masculum* (a) -- *Mulier si semen emiserit, & pepererit* -- *Mulier si faciet semen, & pariat masculum* -- *Mulier quae edit semen* -- *Si semificaverit Mulier* (b) -- *Si spermate suscepto* (c). Seu ut habent LXX. Interpretes ἀποσπερματισθῇ, ideſt, *si semen, seu sperma susceperit*: quae omnia ut constat, in concubitu carnali habentur, cùm non possit ex semine facto concipere, quae reapse non fuerit ex virili effuso semine foecundata: Et ex semine concipiens certè, non ex prole, dicatur praegnans, velut ex caussa foecunditatis; sed ex aura illa spirali seminis, & plastica, elasticaque virtute, qua uterus foecundatur. Ex quibus luce meridiana clariùs eluceſcit, vel ex eo fuisse Deiparam immunem à lege lustrationis, quia non ex virili semine, sed mystico spiramine concepit Deum pariter, & hominem, & suprà omnem naturae legem enixa est Regem Coelorum: seu, ut ex Oraculis Scripturarum constat, nullam passa est corruptelam, quae filium edidit, non secùs ac sidus radium emittit; quia haec mystica stella Jacob Solem Justitiae protulit Christum: undè S. Bernardus ait, & ex eo Ecclesia canit. (d) *Sicut sidus radium profert Virgo filium pari forma, Neque sydus radio, neque Mater filio fit corrupta*.

Ut autem, quod hucusque diximus (nec ullus refragatur, qui Catholicus audit) adversùs Heterodoxos, magis magisque probetur, ex traditione confirmare fas est: ex qua citrà omnem controversiae aleam cavillatio quaelibet profligatur, nec vel ipsi reluctantes possunt insanias ire, quum eo ex momento Patres I. Nicaenae Synodi consubstantiale ὁμοούσιον Verbum contrà Arianorum deliria, & ostenderunt, & diffinierunt, ità

(a) *Apud N. Thomam Malvenda in* cap. XII. Levitici, *ubi ità suam versionem esse legere*: Vira quia semificaverit, & gignet masculum, & taminabitur, *juxtà hebraicam litteram*.

(b) *Apud N. Hieronymum Oleastro in* cap. XII. Levitici, *qui ità legit*: *ità pariter in* suis Bibliis *vertit N. Xantes Pagninus*.

(c) *Apud N. Hyacinth Serry de* Christo, & Deipara Exerc. XXXVI. *Vide Jansenium* in concordia.

(d) *S. Bernardus in sequent.* Lactabundus, *quo utitur Ordo Noster* in die Nativitatis Domini ad III. Missam.

Digitized by Google

ità expendentes Oracula Scripturarum, quae multifariàm, aut callida tergiversatione declinabant, aut violenta interpretatione corrumpebant Ariani. (a) *Jure merito*, ità PP. Nicaeni dixerunt, *approbandum esse censuimus*, (ὁμοούσιον): *quandoquidem nonnullos ex veteribus insignes Episcopos, & disertos Scriptores in explicanda Patris, ac Filii Divinitate hoc vocabulo consubstantialis usos esse cognovimus*. Ad quod momentum veluti ad Sacram anchoram confugisse cùm Patres Concilii Ephesini in confixione errorum Nestorii, tum Patres Concilii Chalcedonensis contrà Eutychetem, reliquosque sequiorum temporum Patres ad reliquos damnandos errores prò comperto est apud Eruditos, & consuli possunt Polemici de Traditionibus ex professo agentes. Quare cùm ipsi etiam Calviniani, eorumque socii prioribus hisce indigitatis haereticis anathema dicant, & laudatorum Conciliorum definitiones excipiant, ex laudato traditionis momento in praesentiarum certissimè convincuntur. Quòd autem universim Patres cujuscumque aetatis Deiparam, & consequenter, imò potissimùm, ejus filium, Verbum in carne, à praefata Purificationis lege exemerint, dilucidum fit ex eorum monumentis, quae idcircò laudamus.

S. Methodius Episcopus Patarensis, & Martyr, ità ad rem nostram loquitur: (b) „ Audite Moysen clarè populo praedicantem, atque ad eximiae „ illius nativitatis cognitionem velut „ excitimulantem, ac dicentem: *Omne „ masculinum adaperiens vulvam Sanctum „ Domino vocabitur*. O res miranda! „ O altitudo divitiarum Sapientiae, & „ Scientiae Dei! Decebat scilicet Dominum Legis, & Prophetarum, ut „ propriam ipse legem per omnia conficeret, neque faceret irritam, sed „ potiùs impleret, indeque legis termino gratiae suae principium adjungeret. Quamobrem legi superior Mater se legi submittit, Sanctaque illa, „ mundaque tempus quadraginta dierum in eas, quae pollutae essent, „ constitutum observat: ac qui absolvit à lege, legi subjectus efficitur, „ offerturque prò eo, qui nos sanctificaret, par avium mundarum, in „ eorum testimonium, qui mundi inculpatique accedebant. Quòd verò „ impollutus fuerit ille partus, nec „ piacularibus hostiis obnoxius, testis est „ Isaias (cap. 66.) disertè mortalibus „ universis denuntians. *Antequàm*, inquit, *aut parturiens pariat, aut antequàm veniat labor pariendi, effugit, & peperit masculum. Quis tale quid audivit? Aut quis simile vidit?* Effugit ergò, quae sunt muliebria, Sanctissima Virgo Mater, antequàm etiam „ pareret „ &c. Idem disertè, & prolixè expendit S. Athanasius, cujus dumtaxat fragmentum laudamus. Ait enim (c), „ *Postquàm impleti sunt dies purgationis eorum*. At neque de Domino istud dictum est, qui incorruptus, omnique „ major puritate esset, qui non prò „ ho-

(a) *Socrates* Lib. I. Hist. Ecclesiastic. *C. VIII.*

(b) *Methodius III. Seculo clarus* Oratione de Simone, & Anna quo die Domino occurrerunt, *juxtà editionem Cl. N. Francisci Combefis. ex* Cod. Card. Mazarini.

(c) *S. Athanasius* in Domini, Deique, ac Salvatoris nostri Jesu Christi occursum. *Ex* Caten. Card. Mazarin. & Coeder. *Apud Combefis.*

Digitized by Google

„ hominum reliquorum conditione ut „ esset, ac subsisteret, carnem induit, „ sed ut carnem sanctificaret homo factus est „ &c. Titus Bostrorum Episcopus pariformiter eandem veritatem tradit, ait enim (a) „ Sanè rectè ait „ Evangelista : *Postquàm completi sunt* „ *dies purgationis secundùm legem* : Nam „ secundùm rem nulla Sanctissimae „ Virgini necessitas incumbebat, ut „ purificationis dies exspectaret. Quae „ enim ex Spiritu Sancto conceperat, „ nec secundùm legem, ejusve arcanam „ significationem, immunda erat. In „ aliis quidem fiebat expiatio quadragesimo die secundùm legem, quod tanto dierum spatio masculus formetur : „ quae res indicio erat, indigere ipsam „ formationem mundari à Deo. At in „ Christo, sancta est formatio, non „ humano facta semine, sed divina „ virtute. Sed & sanctum, quod nascitur, non quod sanctificetur; emundans, non quod emundetur „ &c. Idem quoque confirmat S. Ambrosius, & ratione corroborat, quod nos adseveramus. (b) „ Non enim „ inquit „ virilis coïtus vulvae virginalis secreta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus Sanctus infudit. Solus enim per omnia ex natis „ de femina Sanctus Dominus Jesus, „ qui terrenae contagia corruptelae immaculati partus novitate non sensit, & coelesti majestate depulerit. „ Quod etiam pluries docuit Augustinus (c) adserens proinde solum Christum ex Matre immaculatum. Adstipulatur etiam S. Cyrillus Alexandrinus dum ait. „ (d) Cum itaque lex in omnes Mulieres, quae vel masculum, vel faeminam peperissent, caderet, universalissimamque adversùs nos sententiam promeret; Sanctissima Virgo, ex qua „ Christus natus est secundùm carnem, „ probro exemta est. Vide enim, „ quaeso, accuratam legis diligentiam, „ *Mulier enim*, inquit (non quaevis, „ nullo delectu, ac discrimine) *sed quae* „ *susceptо semine peperit masculum, im-* „ *munda erit.* Hìc autem ex Spiritu Sancto divinum concrevit corpus, quod „ arcana ratione in Sancta Virgine formatum est, ac naturae tantisper spreverit leges. Non enim inserto indigebat semine, qui Sanctorum primogenitus est; primitiae eorum, qui „ ex Deo per Spiritum nati sunt, de „ quibus perspicuè dictum est. *Qui non* „ *ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis,* „ *aut viri, sed ex Deo nati sunt*. Effugit „ ergò Sancta Virgo legis condemnationem, quae semen quidem nusquam „ susceperit, Divinumque nobis infantem Spiritus Sancti opera ediderit „. Vulgatus Chrysostomus breviter rem ediserit. (e) „ Tametsi Virgo nulla „ purgatione egeret, attamen lex im-

„ ple-

(a) *Titus Bostrensis IV. Sec. clarus* Expositio in Evangel. Lucae *ex edit. Combefisii*.

(b) *S. Ambros. in* Caput II. Lucae.

(c) *S. P. Augustinus* Lib. de Peccato Original. *Cap. XL. & Lib I.* contrà Julianum *Cap.* 2.

(d) *S. Cyrill. Alexandr.* Lib. XV. de adoratione in spiritu.

(e) *Vulg. Chrys.* Orat. de occursu Domini N. Jesu Christi, deque Deipara Virgine, & Symeone. *Hanc Orationem Ducaeus, & Savilius inter dubia Chrysostomi opera rejiciunt, estque XVII.* inter Declamationes Patrum. *In Codice Regio adscribitur S. Gregorio Thaumaturgo, nec dissentitur N. Combefisius* in Bibliotheca Patrum concionat. Tom. VI. *Cuiscumque ea sit Oratio, digna est, quae laudetur, utpotè monumentum Veteris Patris, Genuinus autem Chrysostomus* Orat. de Baptismo *idipsum disertè adserit*.

Digitized by Google

„ plebatur : „ Leontius ille Magnus Neapolis Cypri Episcopus idem dogma apertè confitetur, & adversariorum obstruit ora dicens: (a) „ Quid mirùm, ut „ illorum omnium accessione, Purus „ ille, ac incontaminatus, una cùm „ incontaminata, ac innupta Virgine, „ ac Matre lege praescriptam obeat purificationem; quò factus sub lege, „ ut ait Apostolus, eos liberet, qui „ sub lege erant..... Subdit deinde „ Evangelista. *Sicut scriptum est in lege* „ *Domini; quia omne masculinum adaperiens vulvam Sanctum Domino vocabitur*. Benè fictor meus, & Legislator, „ ac Dominus de iis masculis lege sanxit, qui vulvam aperiunt. At non „ subjacet legibus Legumlator; quando etiam ejus fine semine nativitas „ suprà humani partus rationem exiit. Ne dum enim natus non aperuit vulvam prò more reliquorum „ hominum, quin etiam clausam Virginitatis portam reliquit, juxtà quod „ Propheta Ezechiel dixit: *Et dixit mihi Dominus: Fili hominis, porta haec* „ *clausa erit. Nemo per eam ingredietur,* „ *& egredietur, & erit clausa*. Qua „ ergò ratione in iis constituta, qui aperiunt, in eo possint procedere, qui „ non aperuit, sed clausam portam „ reliquit? Ac neque nunc primùm „ opus habebit Sanctum appellari, quod „ ante etiam conceptionem, *Sanctum,* „ *ac Dei filius*, cùm Patris, tum Spiritus Sancti testimonio fuit declaratum. „ Enim verò haec etiam consequenti „ ratione Salvatorem decet, prò ejus „ oeconomia, ac ea ratione, qua se „ nobis carnem sumendo inclinavit. „ S. Eligius Noviomensis Episcopus, ità luculenter rem totam expendit, ut nullus subsit Novatoribus garriendi locus. Postquàm enim laudavit Evangelii textum, *Postquàm impleti sunt dies purgationis ejus secundùm legem Moysi*, &c. & in medium protulit eam Levitici Legem saepiùs laudatam: *Mulier si suscepto semine pepererit masculum immunda erit*, &c. ità subdit. (b) „ Haec praecepta legalia, si diligenter inspiciantur, non „ solùm Dominus Jesus Christus, sed „ etiam Beatissima Genetrix illius ab „ omni legis subjectione absolutissima „ reperitur. Quum enim non omnem „ mulierem, quae pepererit, sed quae „ susceptο semine pepererit, lex immundam dicat, atque his oblationibus una cum prole mundari decernat: constat, quia non illam sub hac „ necessitate constringit, quae sine susceptione virilis seminis, Virgo concepit, & Virgo peperit. Nequaquam „ ergò immunda judicatur, quae Sancto Spiritu obumbrante, totius munditiae, & sanctitatis auctorem genuisse probatur. Denique, & ipse „ puer Jesus purus ab omni contagione „ peccati; cujus agni oblatione indigeret purificari, qui est *Agnus Dei*, „ *& qui tollit peccata mundi*? Sed quòd „ tàm ille legis Dominus, quàm & „ glorioса Mater ejus cùm legi nihil „ deberent, spontè tamen se decretis „ voluerunt subdere legalibus, nobis „ exemplum praebuerunt quanta humilitate,

(a) *Leontius VI. Seculo clarus* Orat. in Simeonem, quando is Dominum in vulnas suas suscepit. *Ex Codice Vetusto Seguier laudato à N. Combefisio.*

(b) *S. Eligius* in die Purificat. S. Mariae, de Evangelio, & de usu luminarium Homil. I.

Digitized by Google

„ litate, quanta obedientia Dominicis „ praeceptis parere debeamus.„ S.Hidelphonſus Toletanus Epiſcopus idem pariformiter confirmat.Expendens enim ea verba Lucae: *Poſtquàm impleti ſunt dies purgationis ejus*: adſtruit Virginem, & pupulum Jesum ex virtute ſe ſubdidiſſe Legi nulla neceſſitate cogente. „ Ut autem „ inquit „ (a) quantùm „ Deus unà cum Genitrice ſua à praecepto legis immunes extiterint, noverimus, ipſum legis mandatum diligentiùs perſcrutemur. *Mulier*, inquit Deus in Lege, *quae ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus. Octava autem die circumcidetur infantulus, & ipſa triginta tribus diebus manebit in ſanguinis ſui purificatione*. Quum ergò mulierem, quae, ſuſcepto ſemine, peperiſſet, immundam decernat, & per temporum ſpatia expiari jubeat: illam utique ab hac excludit neceſſitate, quae non de virili ſemine, ſed de Spiritus Sancti concepit obumbratione. Sed Dominus legis ſponte ſe voluit ſubdere legi, ut nos à maledicto legis abſolveret: ſimiliter intemerata ejus Genitrix, quae ſe noverat nihil legi debere, humiliatis tamen gratia legale voluit exequi praeceptum; adimplens illud viri ſapientis. Eccleſiaſt.III. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus.*„ V.Beda expendens eadem Levitici verba, ità etiam de Virgine, & de Chriſto loquitur: (b) „*Mulier, quae ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus*, ad diſtinctionem illius, quae Virgo peperit. „ Non ergò filius, non mater hoſtiis „ indigebat purgari.„ S.Johannes Damaſcenus itidem adſtipulatur. Quum enim integram Levitici legem expendiſſet, eique univerſim Judaeos ſubjectos adſeruiſſet, ad rem noſtram ſubdens, inquit: (c) „ At Numini, & Matri illius puriſſimae quid erat adferendum? Aut quomodo ſeminationem admiſit, quae & poſt partum illibata permanſerat: Cùm neque ſordem, neque inquinamentum, ne hilum quidem attigiſſet? Adferebant „ nihilominus, & ad Templum profiſcebantur, ne legi contraire, opponique viderentur, cujus expletionem tantummodo procurabant.„ Id tandem confitentur Patres omnes, omneſque Doctores Catholici, nemine penitus excluſo, quos dumtaxat indigitaſſe ſufficiat (d), ne copia monumento-

(a) *S. Hidelphonſ.* in Purificatione S.Mariae Serm. I.

(b) *V. Beda* Commentar.in Luc. & Homil.de Purificat. B. Virginis.

(c) *S.Joh. Damaſcen.* Orat. in Hypapanthem Domini Noſtri Jesu Chriſti *interprete Leone Allatio*.

(d) *Patres, qui id adſerunt, & luculenter oſtendunt, prae ceteris ſunt S.P.Auguſtin.* Qu.XL. in Leviticum. *Modeſtus Hieroſolymitanus Archiepiſc.* (*de quo Photius* Codice 275.) Oratione in occurſum. *S. Ambroſius Ansbertus Ord. S. B.* de Purificatione S.Mariae, *qui claruit Sec.VIII. Leo Sapiens Imperator Sec. X. clarus* Oratione: Quando intemerata invectus nube, ſenilibus manibus illatus, in Templum umbratile gloriae Sol ingreſſus eſt. *S.Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus XI. Secul. clarus*. Serm. ad populum de Purificatione B.M. Virginis. *B. Ivo Carnotenſis eodem Seculo Epiſcopus* in Purificatione S.Mariae. *S.Bruno Signienſis Epiſcopus* Homil. in Purific. B. M. V. *S. Bernardus* Serm. in Purific. B.M.V. *Euthymius in* Cap. II. Lucae. *Guerricus Abbas* Serm. in Purificat. B. M. V. *S. Laurentius Juſtinianus* in Feſto Purificationis B.M.V. *S.Dionyſius Carthuſianus* in Evangel. S.Luc. Cap.II. *& alii*.

Digitized by Google

rum fastidium ingerat legenti. Sed Angelici Doctoris verba laudare ad coronidem traditionis, & decet, & lubet, ut omnibus innotescat S.Doctorem in omnibus praestò esse ad fidei dogmata firmanda, ad omnes veritates stabiliendas, & ad cunctos errores profligandos. Quum enim S.Magister Articulum instituisset. (a) *Utrùm Mater Dei convenienter ad Templum purganda accesserit?* rem totam de more solito ità dilucidat, ut veritatem plenè probet, & adversa sophismata penitùs dissolvat. „Respondeo „ inquit „ dicendum quòd „ sicut plenitudo gratiae à Christo derivatur in Matrem, ità decuit, ut „ Mater humilitati filii conformaretur. „ *Humilibus enim Deus dat gratiam*, ut „ dicitur Jacobi IV. Et ideò Christus, „ licèt non esset legi obnoxius, voluit „ tamen circumcisionem, & alia legis „ onera subire, ad demonstrandum „ humilitatis, & obedientiae exemplum, ut approbaret legem, & ut „ calumniae occasionem Judaeis tolleret: propter easdem rationes voluit „ matrem suam implere legis observantias, quibus tamen non erat obnoxia.„ Et ad singula argumenta respondens ità procedit. -- „ Ad primùm ergò dicendum, quòd licèt „ B.Virgo nullam habuerit immunditiam, voluit tamen purgationis observantiam implere, non propter indigentiam, sed propter legis praeceptum. Et ideò signanter Evangelista „ dicit; quòd *impleti sunt dies purgationis ejus secundùm legem*: ipsa enim secundùm se purgatione non indigebat„ -- Ad secundum dicendum „ quòd signanter Moyses videtur fuisse locutus ad excipiendam ab immunditia Matrem Dei, quae non peperit susceptò semine: Et ideò patet, „ quòd non obligabatur ad impletionem illius praecepti; sed voluntariè „ purgationis observantiam adimplevit, „ ut dictum est. -- Ad tertium dicendum, quòd legalia Sacramenta non „ purgabant ab immunditia culpae, „ quod fit per gratiam, sed hanc purgationem praefigurabant: Purgabant „ autem purgatione quadam carnali ab „ immunditia irregularitatis cujusdam, „ sicut in 2.parte dictum est. Neutram „ tamen immunditiam B.Virgo contraxerat, & ideò non indigebat purgari.„

His ergò omnibus ità expensis, & roboratis, procul dubio, sicut dilucida veritas adparet, ità dissipatis nebulis, quas obfundere pertentant Heterodoxi, Deiparae, & Christo nimiùm detrahentes, nil ultrà addendum necesse foret ad vindiciam veritatis. Verùm quia hanc ipsam nimiùm impetunt Calviniani, & variis adhibitis cavillis, eam evertere conantur, non abs re futurum existimò ea in medium proferre, quae nuperi gregales coacervarunt ad falsitatem fovendam. Et quia eos inter principem certè locum tenet Samuel Basnagius, vir utique omnigenae eruditionis, sed graece fidei, qui proinde nec fideliter monumenta laudat, omnemque item adhibuit artem, ut commenta stybio, & cerussa deliniat; necnon subdolè nimis, nimiùmque subtestè, quae profert,

(a) *S.Thomas III.P. Qu. XXXVII. Art.IV.*

Digitized by Google

fert, firmet: hinc veluti oracula è tripode fundens, audacter censoriam virgam in omnes Romanae communionis homines extendit, sibiquemet plaudens, veluti de parta victoria canit triumphum; & tunc praesertim, cùm victus cedere debet. Idcircò è re catholica futurum censeo vel ejus dumtaxat objectiones in medium proferre, ut undequaque falsitate detecta, omnium nostrorum hostium causa deperdita cognoscatur. Utque res plenè absolvatur, omni praepedito adversariis effugio, nec commate variato, ejus verba referam, quae actutùm impugnabo. Sic enim ipse scribit de praesenti re verba faciens (a).

„ Legi de purificatione Mariae erat
„ obnoxia, utpotè quae dandam jubente Mose oblationem obtulerit. Nulla
„ verò purgatio est, nisi sordium, quae
„ partum comitabantur. Quarum si
„ Maria expers fuit, nullos utique purificationis dies implere potuit. Quid
„ enim temporis purgationi assignaretur, quae nulla est? Quaenam verò
„ sordes expiandae erant, egregiè Maldonatus pingit (b): *Mulier post partum duobus modis immunda erat, & politicè, & moraliter. Politicè quidem, ideſt quod attinet ad externam veteris illius Eccleſiae politiam, quia poſt partum ſolet diù purgari ſanguis, quae res natura ſua turpis eſt etiam cogitatu ..... Moraliter autem cenſebatur immunda eàm Deo mulier, non quòd ſanctum non eſſet matrimonium, aut ejus immundus eſſet uſus, ſed quòd per conceptum ex viro originale in prolem peccatum traduceretur, ſicut dixit David, Ecce in iniquitatibus conceptus ſum.* Ac moralis quidem impuritatis Divinum Mariae conceptum expertem prorsùs fuisse profitemur, & noſtra semper feretur, & praedicabitur illa fides: eo ìtàque reſpectu nil Sacrificii à Virgine offerri debuit, quia quod ex ea natum, sanctiſſimum erat, ipse nimirùm filius Dei. At legali politicaeque immunditiae sanguinis ex profluvio ortae Virginem obnoxiam fuisse afferere non veremur, praelucente Luca, natura, antiquitate. Jam nobis Lucas audiìus, naturae nunc praebeamus aures. Ea virginei conditio corporis fuit, ut *animale* extaret, non *coeleſte*, quae qualitates reſurrectionem excipiunt: Hevae carni ſimillimum, quae integritatis in ſtatu, abſque sanguinis ſuperflui miſſione liberos non procreaſſet. Quòd ſi muliebre vectigal ſingulis menſibus Virgo ſolvebat, quid cauſae eſt, cur parientis ex utero sanguis non fluxerit, ut legibus naturae, vel integrae, obſequium praeberetur? Miraculum quidem in Virgineo conceptu adoramus; verùm poſtquàm foetus formatus eſt, ſenſim creſcens, materno, vel lacte, vel ſanguine alebatur: pueruli in umbilico inſerebantur venae Mariae, ductu naturae creſcebat. Nec ab ea ſententia abhorrent Veteres. Tertullianus: (c) *Age, jàm perora illa ſanctiſſima, & reverenda opera naturae: invehere in totum quod es ....*

(a) *Sam. Baſnagius* Tom. I. Annal. Politic. Eccleſiaſt. *pag.* 123. §. XL.

(b) *Maldonatus* in Luc. II. n. 62. *ut ad marginem Baſnagii, quod pariter in ceteris monumentis occurrit.*

(c) *Tertullianus* in Marcion. l. 3. c. 11.

Digitized by Google

„ *cloacam vocat uterum, prosequere & partus immundae, & pudenda tormenta, & ipsius exiudè puerperii spureos, & anxios, ludricos exitus.* Quis Ecclesiae patronum ignarum finget modi Virginei partus? Cùm itàque Christianis velut absurda haec objiceret Marcio, non ipsorum opinionis hospes, liquidò constat publicam tunc temporis Ecclesiae fidem fuisse, quòd Mariae partus legalium sordium expers non extiterit. Origenes: (a) *Videbat in Matris utero immunditiam corporum: viscera ejus hinc indè vallatus, terrenae foecis paticbatur angustias* (b), *unde assimilat se vermi.* Quòd si Virginis in utero inerant humoris, & sanguinis *foeda coagula*, simul cum partu ea prodiisse quid miri? Hieronymus in Helvidium: (c) *Junge, si libet, & alias naturae contumelias, novem mensibus uterum infoelescentem, fastidia, partum sanguineum, pannos. Ipse tibi describatur infans tegmine membranarum solito convolutus: ingerantur dura praesepia, vagitus parvuli. ..... tempus purgationis, ut probetur immundus. Non erubescimus, non silemus. Quantò sunt humiliora, quae prò me passus est, tantò plus ei debeo.* Salvianus in Timotheo suo: (d) *Christus in carne praecessit humiliatus, usque ad humani exordii pudorem, & pannorum illuviem*, Antiquae fidei vestigia supererant in ea consuetudine, quae à Constantinopolitanis Patribus Septimo Seculo abrogata fuit. (e) *Quoniam aliqui post diem natalis Christi Dei nostri reperiuntur coquentes similam, & se ac mutuo donantes, praetextu scilicet honoris secundinarum impollutae Virginis Matris; Statuimus, ut deinceps nihil tale fiat à fidelibus.*

Haec, inquam, Basnagius scripsit, quibus adstruere conatur subjectam Virginem legi, eidemque obnoxiam Christum. Sed quot, heu quot! commenta simul adunat, qui larva religionis, & veritatis personatus, miscet sacra profanis? Quot dolis cuncta perturbat, ut mentiatur de vanitate in idipsum? Plura certè simul conglobat, ut decipiat. Ut autem omnia ejus in unum coacervata argumenta plenè dissolvantur, viritim ea profligare operae pretium est, praesertim, ut larva detecta, Calvinianorum, quorum ipse signa movet, fides, & causa dignoscatur.

Ad primum igitur, quod comminiscitur Basnagius, & argumento probare pertentat, facilis est responsio, dum solùm manifestatur nullo ratiocinio probari, quod adserere pertentat; faciliùsque ejus argumentum retunditur ex paritate, qua ad angustias redactus jugulum sibi petat, qui tàm pessumè argutatur. Idcircò ex eo obnoxia fuit Deipara Purificationis legi, quia juxtà Moysis praescriptum oblationem obtulit, & statos purificationis dies servavit. Ergò pariter eo ex momento Christus obnoxius fuit circumcisionis legi, & consequenter se originaria labe pollutum manifestavit, quia exspectato octiduo à Nativitate praeputium depositi. Eodem quippe modo Scriptura loquitur de

(a) *Origenes* in Lucam Homil. *XIV.*
(b) *In textu Basnagii* angustius *fortasse* mendo typographorum.
(c) *Hieronym.* in Helvid. cap. 9.
(d) *Salvianus* l. 2. pag. 396.
(e) *Synodus VI. C.* 79.

Digitized by Google

de Matre, ac de Filio, nimirùm: *Postquàm consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer*: Et *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus*. At quis tàm scelestus homo, qui audeat tàm malè sentire de Christo? Nemò certè, qui Christianus audit. Omnesque universim fideles adserunt servatam circumcisionis legem à Christo octiduo elapso, juxtà Domini mandatum, ut legem impleret, qui omnem justitiam servandam adsumsit, non verò, ut ex debito exsequeretur praeceptum, ut suprà etiam adnotavimus. Parili quoque modò Deipara Purificationis dies servavit, hostiam obtulit, cuncta in lege praescripta custodivit, ut humilitatis, & obedientiae se victimam vivam Deo virtutum offerret, & filii sui Sancti Sanctorum vestigia sequeretur. Utque omnis scrupulus adimatur, quomodo id factum fuerit ex S.Dionysio Carthusiano elucidare placet S.Lucae textum, ut difficultatis, quaelibet, vel umbratilis, nebula dissipetur, praesertim cùm insignis Sacrae Scripturae interpres ex unanimi Patrum sensu rem totam expenderit. (a) *Itàque dies isti dicuntur dies purgationis Mariae non secundùm realem existentiam, sed secundùm hominum aestimationem, quemadmodum Joseph pater Christi vocatur, quia sic putabatur; & quia secundùm Hieronymum consuetudo Scripturae est gesta ità referre, quomodo tunc, quando fiebant, putabantur. Insuper hoc modo dicuntur dies purgationis Mariae secundùm legem Moysi, quamvis secundùm veritatem lex illa super Mariam non caderet. Vel dies purgationis dicuntur impleti secundùm legem Moysi, non quoad obligationem Mariae ad purgationem, sed quantùm ad determinationem, impletionemque temporis. Voluit autem Maria dignissima subjici legi, & quasi purgari in Templo, ad dandum obedientiae, ac humilitatis exemplum, ad vitandum scandalum Judaeorum, ad conformandum se aliis mulieribus in licitis, ac honestis, & quoniam filium suum vidit legi circumcisionis subjectum.*

II. Laudat Basnagius Johannem Maldonatum insignem V. Societatis Jesu Theologum, & Scripturarum interpretem jure merito suspiciendum, ejusque verba transcribit, putans ex tanto Catholico viro suppetias ferre Calvinianis. Sed pròh audacem nimis insolentiam! Quomodo, Bone Deus! Johannes Maldonatus, qui nedum Catholicum hocce dogma confirmat, sed viriliter propugnat, & à Calvinianorum objectionibus vindicat, eorum cavillis penitùs profligatis, inducitur in testem erroris? Per injuriam certè, & per impostruram: quapropter vel ex hac fraude Basnagii fides manifestatur. Expendit utique Maldonatus Hebraeorum Legem hebraico itidem textu Levitici in medium adlato, duplicique ex caussa Judaeas puerperas piaculari hostiae fuisse addictas, & statо tempore sequestratas adfirmat. At quid? earum coetui fortasse etiam B.Virginem adnumerat, qui ità generalem legem expendit? Minimè gentium. Ex professo Deiparam à communi lege exemtam ostendit, cùm ratione, tum etiam variis Patrum monumentis, praesertim ex Tito Bostrense, Augustino, Graeco auctore à S.Thoma

(a) *S. Dionys. Carth.* Enarrat. in Luc. Art. *VII.*

ma laudatò, V. Beda, Theophylacto, Bernardo, &c. indèque concludit: *Utraque ratione Beata Virgo lege soluta erat. Nam neque sanguines illos supervacaneos, & horrendos, qui mulieribus solent fluere post partum, illi fluxisse credendum est, quae sine viro conceperat, sine corruptione, sine apertione, sine dolore pepererat, & non in peccato, sed in spiritus sanctificatione, & conceperat, & pepererat Christum.*

III. Ordine, quod construit Basnagius, argumentum triplici momento firmatum, *Luca*, nimirùm, *Natura*, *Antiquitate*, falsissimum quoque est; utque triplex haec falsitas dignoscatur, cuncta singillatim expendere est opus. Ad S. Lucam primùm adpellat Basnagius, velut ex eo firmum, certumque patrocinium nactus, quare ejus nomine laudato, confestim, velut de parta victoria triumphum canens, inquit: *Jam Lucas auditus est*, & ne verbum quidem addit ad fraudem, ut ostendat nullum superesse dubitationi locum, sibique causam cessisse. Sed dolosè nimis. Auditus est utique Lucas, sed non Basnagianum commentum proferens; quinimò oppositum referens, ut ex Patribus, ex contextu, & ex Hebraeorum consuetudine ponderatis observavimus. Quid factum fuerit, memoriae tradidit Evangelista, non verò, quòd ità faciendum erat, expressit. Dies purificationis secundùm legem expletos dixit, sed non secundùm veritatem, aut existentiam legalis maculae, cui nunquam obnoxia Deipara fuit. *Hanc vim*, optimè adnotavit idem Maldonatus, quem Basnagius in Patronum, sed perperàm, & falsò sibi adscivit, *habere quidam putant verbum illud Evangelistae* „ secundùm legem Moysi „ *quasi dicat non secundùm veritatem; sed secundùm legem Mariam fuisse purgatam: idest non quòd purgatione indigeret, sed ut observaret legem. Sic Augustinus Qu. 40. in Levitic. & Titus Bostrensis, Graecus Auctor citatus à D. Thoma. Alii ex verbis id probant, quòd ità lex habeat Levitic. XII. 2.* „ Mulier si susceptо semine pepereris „ masculum immunda erit septem die„ bus, juxtà dies separationis men„ struae „. *Haerent in illo verbo* „ su„ scepto semine „ *quasi Maria, quae non susceptо ex viro semine, sed ex Spiritu Sancto sine semine conceperit, immunda esse non potuerit. Sic Titus Bostrensis, & Bernardus Serm. 3. de Purific. Theophilactus, Beda in Commentariis, & Origenes, Homil VIII. in Levitic. sive Cyrillus est eorum commentariorum auctor.*

Sed quomodo non *Natura* fueris Sacratissima Virgo ex profluvio sanguinis in partu commaculata, unde legalis ea macula oriebatur, & ex qua ad piacularem hostiam, necnon ad tempus purgationi designatum adstringebatur, operosiùs observandum est, ut singula, quae Basnagius, vel strictim, percenset, & veluti semina iniquitatis festinanter spargens ad copiosam errorum segetem colligendam, profligemus; estò non omnia hic expendamus, quae paulò post ad exsufflanda cetera Vitilitigatoris commenta reservamus. *Animale* quidem, non *coeleste*, corpus fuit illud Christi Servatoris, quod enixa est Deipara Virgo, neque ullus Romanae Communionis Theologus unquam inficias ivit, una voce fatentibus cunctis cum Apostolo, quòd *in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, formam servi accepit* filius Dei ex

Vir-

Digitized by Google

Virgine natus: At non animali modo exortus fuit mundi Redemtor, qui Spiritu Sancto conceptus in utero Virginis, divina quoque virtute, intacto Virginali clauſtro, prodivit ex utero Virginali. Quum enim Deus in formatione hujuſce corporis, & in ejus egreſſu tot mirabilia patraverit, quomodo eſt in eo poſteà adinvenire foeces conſpurcantes, & commaculantes, quae ceteros Adae filios ex ſemine genitos, & communi lege natos conſequuntur? Vectigales ſunt procul dubio ceterae quaeque mulieres fractioni clauſtri Virginei pudoris in coïtu, vectigales ſunt libidini, ſeu ſenſuali commotioni, ac virilis ſeminis perfuſioni, dum gignunt, vectigales gravedini, & incommodo ex formato in utero foetu intumeſcente alvo, vectigales ſunt doloribus dum pariunt, quia utpotè verae filiae Adae non ſecùs ac Eva peccatrix generant, & parturiunt: ideòque nil mirum, ſi ceteras quoque ſubeunt maculas, & conſpurcationes, quae inde ſequuntur. At cùm Deipara (quae non ut Eva concepit, neque ut illa prima parens peperit, ſed ſuperna Divina virtute coelitùs foecundata, & puerpera effecta) ſicut nullam perſenſerit gravedinem creſcente in utero foetu, nullumque paſſa ſit dolorem pariendo filium, qui uterum penetravit, & veluti ſolaris radius per vitrum ſine fractura tranſiens foras exivit, quomodo deinceps adſtruenda eſt commaculata ex profluvio ſanguinis, ſordibuſque illis, quae ceteras quaſque puerperas foedant? Poteſt, & ſapienter quidem, audacia Calviniani hominis ſic obloquentis iis retundi verbis, quibus Auguſtinus (a) temeritatem Manichaei cujuſdam ſic pariter effutientis caſtigavit. *Stulte unde ſordes in Virgine Matre, ubi non eſt concubitus cum homine patre? Unde ſordes in ea, quae nec concipiendo libidinem, nec pariendo eſt paſſa dolorem? Unde ſordes in domo, ad quam habitator nullus acceſſit? Solus, ad eam fabricator, & dominus ejus venit, veſtem, quam non habebat, induit; eamque ſicut invenit, clauſam reliquit. Sicut ille natus eſt ſolus inter mortuos liber: ſic iſtius, ex qua natus eſt, matris pudor ſolus eſt integer: Eva inobedies meruit poenam, Maria obediendo conſecuta eſt gratiam.* Et quamvis menſtrualis ſanguis novem menſium curriculo ſervatus, qui in ceteris ſeparatur poſt partum, ſeparandus quoque fuiſſet in Virgine puerpera; quis ignorat hunc ſanguinem non ità redundantem in Virgine aſcoſi addictae ex parte fuiſſe conſumtum in alimoniam pupuli Jesu, qui non poſt quadraginta, aut plures dies fuit in utero ejus conceptus, ſed ab initio Angelo nunciante, & Virgine adſentiente (b) fuit perfectè formatus, nec non foeculentam, quae reſidua

(a) *S. Auguſtinus* Tract. contrà quinque haereſes *Cap. V. Scio quidem ab aliquibus non adjudicari Auguſtino laudatum opuſculum, quare à PP. BB. in* Appendicem VIII. Tomi *fuit rejectum, ſed novi etiam ab inſignibus Viris praeſertim à Card. Bellarmino, à Lovanienſibus, aliiſque Eruditis eidem fuiſſe vindicatum. Quod etſi demus: nonne inſignis eſt Auctoris VI. Seculi? non inficiatur Eraſmus, qui non abſolutè illud Auguſtino abjudicat, ſed fortè ab eo dum Juvenis erat conſcriptum ſuſpicatur, hinc univerſim, qui Eruditi audiunt, confitentur laudatum opus dignum eſſe, quod ſuppari Patri Africano eloquenti adjudicetur. Videſis* Admonitionem in Tractatum adverſ. Quinque Haereſes *PP. BB.*

(b) *Ità univerſim Patres, & Theologi praeſertim S. Baſilius* Oratione de Humana Chriſti generatione, *S. Gregorius M.* XVIII. Moralium, *& S. Thomas III. P. Qu. XXXIII.* Art. 1.

Digitized by Google

dua erat partem, eadem Divina virtute fuisse consumtam, qua, nimirum, superveniente, nulla virilis seminis aura fuit ejusdem uterus foecundatus? Sed hanc denegat Basnagius cum Soeiis, quia ex Apostolo I. ad Corinth. II. *Animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus*: benè verò perceperunt Patres longè doctiores Calvinianis. Laudati quidem Ecclesiae Doctores unanimi consensu hanc veritatem ut divinitùs traditam docuerunt, & propugnarunt efficacissimis argumentis roboratam: quare satis superque erit eorum testimonia laudare, ut, quod asserimus, plenè probetur monumentis, atque momentis eorum.

Quid hac in re non docuit S. Gregorius Nanzianzenus, qui ità de Christo locutus est: (a) „Filius sine ulla spurcitie ex Virgine progressus est: nihil „ enim est spurcum, ubi Deus est? „ Quod nos in praesentiarum propugnamus, ille diserte docuit. Docuit idem expressiùs S. Johannes Damascenus (b), qui ità de Virgine puerpera scripsit. „ Quomodo seminationem admisit, „ quae & post partum illibata permanserat? cùm neque sordem, neque „ inquinamentum, ne hilum quidem „ attigisset. „ S. Hidelphonsus Toletanus Archiepiscopus non absimili modo loquitur. (c) „ Absit, per quam omnis „ maledictio Evae soluta est, ut ipsa „ non in partu maledictionibus subjacuerit primae damnationis. Absit, „ ubi virtus nascitur; ut ibi tanta „ colluvio vitiorum credatur, ubi gaudium omnium creditur, ubi gaudium omnium praedicatur: quòd „ tanta tristitia, & gemitus intervenerit inter Angelorum discursus: „ quòd immunda septem diebus in „ sanguine immundo sederit; ad quam, „ si ità esset, nec pastoribus manè juxtà legem, ut ità dicam, ingredi liceret. Nunc autem quia Angelus eos, „ evangelizandi gratia, devotus invitat, veniunt, & vident: inveniunt, „ & intelligunt de Verbo, quod eis „ praedicatum fuerat. Nequaquam igitur credendum, quòd invenerint in „ tantis spurcitiis solam, multis linteis, „ ut adsolent puerperae, constratam, „ & obvolutam, ad cujus partum multitudo Angelorum canit; *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonae voluntatis*. Ergò ubi, & per „ quem tanta praedicantur, non credo, quòd ullae ignominiae immaculatae matri contigerint..... Tantò „ magis Virgo libera fuit à corruptione „ passionis, à dolore carnis, à sordibus ignominiae, quantò gratia plena, & incorrupta, quasi Spiritu Sancto Domino dedicata, & virtute Divina adumbrata. „ S. Bruno Signiensis Episcopus idipsum diserte adserit, & probat. (d) „ Quamvis autem purgationis dies ad Beatam Mariam Virginem non pertinerent, expectavit tamen

(a) *S. Gregorius Nanzianz.* Oratione XL.
(b) *S. Joh. Damascenus* Orat. in Hypapantem Domini N. Jesu Christi.
(c) *S. Hidelphonsus* in purificatione S. Mariae.
(d) *S. Bruno ex Astensi nobili familia ad claustrum, è claustro Episcopatum Signiensem à S. Gregorio VII. Ann.* 1079. *evectus* Serm. de Purificatione B. Mariae Virginis. *Non desunt qui omnia opuscula sub hujus Brunonis nomine edita adjudicent S. Brunoni Carthusianorum Patri ejusque Seculi Scriptori. Vide Guillelm. Cave* Histor. Litterar. Seculo Hildebrandino.

Digitized by Google

„ men ipsa donec omnes purgationis „ dies complerentur, quos non sibi, „ sed aliis mulieribus lex constituerat. „ Non enim de ea dictum fuerat. *Omne Sanctum non tanget*, quae ipsum „ Sanctum Sanctorum in gremio tenebat, in sinu fovebat, & virgineo lacte nutriebat.„ S. Bernardus (a) dum Virginem aemulantem charismata meliora, & ad filii circumcisi exemplum se purificationis legi subdentem adserit, sic eam, ad exemtionem à lege adstruendam, loquentem inducit, priusquam nobile facinus exsequatur. „ Cur non ingrediar Templum, quae peperi Dominum Templi? Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum: nimirùm, cùm proles ista fons puritatis sit, & purgationem venerit facere delictorum. Quid in me legalis purificet observatio, quae puriſſima facta sum ipso partu immaculato?„ At cur longum trahere funem, cùm nullus sit Ecclesiae Pater, qui in eam haud iverit sententiam, ad eos Apostolica divina traditione delatam? Audiat tandem Basnagius cum suis M. Basilium Christi nativitatem, & modum admirabilis ejus egressus ex utero Virginali, & obmutescat, qui nec novit de Divinis eloqui, &, nonnisi carnaliter sentiendo, in Coelum posuit os suum, Virginem, & Deum blasphemando. „ Sed „ inquit Magnus Antistes (b) „ nec Virgo subdita erat legi purificationis. Scriptum „ enim est in Deuteronomio. (c) *Mulier, quae susceptо semine peperit masculum, immunda erit quadraginta dies.* „ Haec autem cùm non susceptо semine mater facta sit Emmanuelis, pura „ omninò, sanctaque, ac immaculata „ est; & mater facta Virgo permanens. „ Nam quia primus Adam non ex viri, „ ac faeminae congressu ortus est, sed „ ex terra formatus, etiam novissimus „ Adam, illius sarciens corruptionem, in „ Virginali utero formatum corpus accepit, ut per carnem in peccati simi„ litudinem fieret.„ Quòd si ut primus Adam ex utero virginali prodivit, ubi nam sordes in matre, quae idcircò ex M. Antistite nulla purgatione indiguit? pessumè erravit Basnagius Calvinianorum sententiae adhaerens, non secùs ac in aliis ejusdem furfuris opinionibus, quas in eo viri docti meritò stigmatizant.

Ut autem fraudem fraude contegat Basnagius argumentum ex antiquitate confirmat. At iterùm dolo. Et nonne ad venerandam antiquitatem spectant Methodius Patarensis, Athanasius Alexandrinus, Titus Bostrensis, Basilius Caesarienſis, Gregorius Nanzianzenus, Ambrosius Mediolanensis, & Cyrillus Alexandrinus, qui disertè has sordes à Virgineo partu eliminarunt, vel expresè de iis verbum habentes, vel non obscurè, dum haud obnoxiam purgationi, (quae nonnisi ex profluvio sanguinis provenit) Deiparam adseruerunt? At videamus quinam sint testes isti antiquitatis venerandae, ad quos Basnagius adpellat, quidve docuerint, ut omni ex parte ejus falsitas, & haeresis plenius exsufflentur.

(a) *S. Bernardus* Serm. de Purific. B.M.V.
(b) *S. Basilius M.* in Cap. VII. Isaiae.
(c) *Portasse memoriae lapsum passus* Deuteronomium *prò* Levitico *laudavit Basilius, cùm* Levitici XII. *id scriptum fuerit, sed verum textum, genuinum, nempe, canonicumque laudavit.*

Digitized by Google

Quem primùm laudat, is est Marcion sub dimidio II. Seculi famosus, qui eas in Christi nativitate admittit sordes, quas Christianis objicit, ideòque haud hospes opinionis, quae apud Christianos vigebat, ut Basnagius ait, ab eoque idcircò ut Ecclesiae fidei testis laudatur. At proh Seclus! Marcion ille, quem S.Polycarpus in faciem arguens adpellavit *primogenitum Sathanae*, (a) testis est veritatis? Marcion, quem ejus met Pater ob sacrilegum stuprum ab Ecclesia extorrem fecit, Virgini immaculatae statuet sordes? Marcion, qui ab ipsis met *Reformatis* una voce declaratur haereticus, ad fidem firmandam adducitur sine ulla exceptione? Marcion, qui innumeris adunatis erroribus duos nedum, verùm tres, imò quatuor adseruit Deos (b), fidelis est Basnagio testis, dignus proinde, qui firmum proferat monumentum? Vah detestabile sphalma! Marcion, inquam, qui nec nomine Christianus adseri potest, ceu ille, qui Corpus Christi phantasticum fuisse effutivit, omnemque redemtionem evertit, testimonium fidele praestabit? O praeclarum custodem ovium, ut ajunt, lupum! Sit ergò. Eccur etiam Basnagius in ceteris erroribus Marcioni haud adstipulatur, quem adserit probatum fidei testem? Dum ergò in reliquis, utpotè falsitatis adsertorem, Marcionem carpit, nobis eum in praesentiarum haud obtrudat testem veritatis. Non enim Ecclesiae fidem, sive fidelium opinionem sic garriendo Marcion in medium protulit, sed commentum proprio marte procusum insultando effutivit. Quòd verò Tertullianus haud retuderit blasphemias Nebulonis ità detrahentis, indicium nullum perhibet hanc invaluisse apud Christianos sententiam, quam perditus homo promebat. Totus erat Tertullianus in evertendo errore Vitilitigatoris, quem, ut argueret ad hominem, ejusque telis configeret hostem, ultrò concessit ità fore: indulsit ad duritiam, quod ille ogganniebat, ut vel ex eo convinceret blasphemantem. Quum enim Marcio veram Christi nativitatem inficiaretur, & ideò probra in infantem, & Virginem effutiret, qui tamen non denegabat Christi mortem, ultrò libenterque Tertullianus argumenti causa non impugnavit ejus scommata, ut confunderet stultitiam ejus. En verba Tertulliani non interpolata, ut Basnagius refert, sed integrè, sincerèque transcripta, ex quibus alius certè obvius est sensus: *Planè nativitatis mendacium recusasti: ipsam veram carnem edidisti. Turpissimum scilicet Dei etiam vera nativitas. Age jam perora in illa sanctissima, & reverenda opera naturae: invehere in totum, quod est carnis atque animas originem destrue: cloacam voca uterum tanti animalis, idest hominis producendi officinam: persequere, & partus immunda, & pudenda tormenta, & exindè ipsius puerperii spurcos, anxios, ludicros exitus. Tamen cùm omnia ista destruxeris, ut Deo indigna confirmes, non erit indignior morte nativitas, & cruce infantia, & natura poena, & carne damnatio. Si verè ista passus est Christus, minus fuit nasci.... Ea enim, quae expugnas*

haec

(a) *Ità scribit S. Irenaeus* lib.3. adv.haeres.c.3.

(b) *Ità Theodoretus* Haeret. Fabul. lib.I. c.14.

Digitized by Google

haec haereſis, confirmantur: quum ea, per quae expugnat, deſtruuntur.

Alter, quem Baſnagius laudat, teſtis eſt Origenes, qui etiam ab eo profertur velut inſignis Eccleſia Pater, & monumentum venerandae antiquitatis, cujus proinde momentum nimium ab eo exaltatur. Dignum certè patella operculum. Talem ſibi adſcivit Patronum, qui veterum haereſes renovavit. At nos qui Origenem novimus haereſeon fontem, eumque alibi ſuos ſparſiſſe furfures, jure ſummo in praeſentiarum rejicimus, quum etiam hic erraverit, ſuoſque effuderit errores. Nec quidem ejus momentum ullius ponderis eſt, ut inde poſſit Baſnagius exſultare, & inſultare. Quid ergò? Quia ex Origenis ſententia Chriſtus carnem aſſumſit in utero Virginis, ibique integro novem menſium tempore delituit, non exoſus foecum officinam, & humorum cloacam, medius inter ſtercus, & urinam, ideò ex Baſnagio fortaſsè etiam ſuo in ortu eas Chriſtus perpeſſus eſt maculas, eaſque ſubiit ſordes, quas ſubeunt cereri quique filii Adae? illegitima concluſio, & inepta illatio. Non exhorruit utique Virginis uterum, qui *exinanivit ſemetipſum formam Servi accipiens.* Sed ab eis fuit exemtus foecibus, quibus ceteri exoriuntur conſpurcati infantes, qui ſuprà omnem naturae legem exivit ex utero Matris. In alvo Virgineo Jesus Spiritu Sancto cōceptus, & Divino, non humano modo egreſſus ex utero Matris, ſicut Virginale clauſtrum non reſeravit, ſic neque foecibus fuit dehoneſtatus. Quòd ſi cauſſam quaeras, in promtu eſt, & manifeſta diſparitas utriuſque. Status in utero fuit juxtà naturam, aſſumtio carnis, & ex utero egreſſus fuit ſuprà naturam. Quia verè factus eſt filius hominis, nonniſi in utero formari potuit, ibique debuit exſpectare tempus ceteris Adae filiis conſuetum. At quia non deſiit eſſe filius Dei, & ità carnem aſſumſit ex Virgine, ità prodiit in Mundum: intacto Virginitatis flore intrà Materna viſcera ſe clauſit, nec reſerato pudoris clauſtro foras exivit: quare ſicut nulla praeeunte terreni patris ſpurcitie, ſeminali, nimirùm, effuſione, fuit in utero formatus, ſic nulla concomitante matris foeditate, videlicet ſanguinis profluvio, ex utero exivit. Utrumque ſimul conjunxit, qui fecit utraque unum, nempe humilitatem in utero permanens, & majeſtatem ex utero naſcens. Et qui Virginem in primo ingreſſu decoravit Virginitate intacta, eandem quoque in egreſsu cohoneſtavit illaeſo virgineo clauſtro, ſordibuſque eliminatis.

At verò tertius, qui à Baſnagio inducitur teſtis proprii erroris, negotium indubitanter faceſſeret, ſi oppoſitum nobis monumentum eò collimaret, quò Baſnagius intendit, cùm Hieronymi authoritas magni ſit ponderis, magnique momenti. Verùm quia alius eſt ejuſdem Bethleemitici Doctoris ſenſus, & omninò alienus, ideò ut explicetur oportet. At, ut verùm fatear, nulla noſtra expoſitione eget, quod longè antè commentario S. Hidelphonſi Archiepiſcopi fuit illuſtratum. Sed hunc Baſnagius fortaſsè non ſine arte reticuit, ut poſſet calumniari: quòd ſi revera ignoravit, inde deſpicabilis eſt, quia Patrum revera opera non luſtravit, qui ex Patribus monumenta colligit, ut inſultet. Ità enim loquitur Sanctus Hidelphonſus.

Digitized by Google

„ (a) Quamvis enim Doctor Hieronymus in eo opere, quod contrà Helvidium ex hoc egit, videatur ei cessisse; & eo in loco, ubi ait de hospitio vulvae novem mensium, & de veritate nascendi, quod ille haereticus insultando proposuerat, quasi majestati Divinae esset indignum ad tantam dignationem se humiliasse, ut inter viscera in utero versaretur Virginis, aut inter foemora foeminea nasceretur tàm sordidus. Sic enim omnia in contrarium opponens, quasi haereticus, ut destrueret fidei Catholicae veritatem. Cui è contrario, egregius ille veritatis assertor, non cedendo, ut isti volunt, sed dignationem glorioſissimae humilitatis Dei amplius commendando ait: *Quantò viliora, & inhonestiora prò nobis illa Majestas Divina suscepit, aut sustinuit, tantò cariùs nos redemit: & propensiùs honorandus est.* Tali namque sensu, & si non eisdem verbis, in quantùm recolo, eidem respondens haeretico, videtur Beatae Virgini non infamiam ullius colluvionis, aut poenam peccati intulisse: sed dignationem Divinam, & exinanitionem immensam, & in forma servi, reverenter satis commendasse. Non ut Virginem vexatam à Domino, & exhonoratam ostenderet, sed ut clementiam pii conditoris, etiam hujusmodi haereticis demonstraret. Idcircò non cessit istis cum Helvidio certantibus, sed corripuit, ut discerent non infamare Virginem, & Domini non derogare in forma servi humilitatem. Non enim pudicitiam ejus in aliquo laesam docet, qui tantùm in ejus laude triumphat: neque ad horam cessit adversariis, qui prò ea tantùm, & tàm diù dimicavit verbi gladio: cui Deus contrà hostes ejus tantam resistendi contulit gratiam, revincendi praebuit virtutem, ut nemo contrà eum audeat insurgere.

Quartus itidem, qui à Basnagio laudatur sui erroris Patronus, obsisteret nobis, si aliud certè non designaret in ipsis met suis verbis, quàm Vitilitigator contendit: quod ut clariùs fiat, iterùm hìc lubet repetere verba Salviani, eaque in statera Sanctuarii appendere, & rectè librare, ut oppositoris fides plenius dignoscatur. *Dominus*, ait, (b)... *ex carne pariter, & in carne processit, humiliatus usque ad humani exordii pudorem, & pannorum inluviem, & praesepii vilitatem*, &c. Hac, inquam, Salvianus habet: at dum Christi humilitatem commendat, ubi nam conspurcatio ejus ex sordibus parturientis Matris? *Pannorum*, inquit, *inluviem*, non corporis, ut discriminaret foeditatem in pannis, ab ea, quae in corpore potest adinveniri. Utique non negamus Christum propter nos passiones eas suscepisse, quae facerent ad nostram salutem, quas, inquam, sine dedecore Majestatis Divinae hominis filius sustineret, non secùs ac reapse ce-

(a) *S. Hidelph.* Ser. *II.* in Purificatione B.M.V.
(b) *S. Salvianus* in Timotheo Lib. *II.* Cap. *I.* *seu* De Ecclesia *sub nomine Timothei, ut tradit Card. Bellarminus* de Scriptoribus Ecclesiasticis in Salviano. *Seu* adversùs Avaritiam, *ut scribit Gennadius in* Catalogo Virorum illustrium, *& in praesentiarum inscribitur, praecipuè in editione Parisina* 1684. *cum notis Baluzii, quae utor.*

Digitized by Google

ceteri sustinent filii Adae, quum factus sit prò nobis malidictum, ut eos, qui sub maledicto erant, redimeret. At quòd ex alvo Virgineo prodiens, profluvio sanguinis, aliarumque foecum madidus, conspurcatusque adparuerit, nec per vim potest ex Salviani verbis inferri. Ex pannis, & in pannis infantiliter vivens, infantumque miseriis oppressus, *inluviem* sustinuit, sed non antequàm pannis involveretur. Nam, ut saepius dixi, pannis involutus humilitatem solam manifestavit, sed antequàm pannis obvolveretur, seu ut primùm egressus est, humilitatem Majestati copulavit, quo etiam facto decoravit Matrem, quam non sine miraculo adhuc in partu Virginem conservavit.

Tandem, ut finem Exercitationi imponam, & claudam rivos, monumentum, quod ex VI. Synodo (seu verius ex Synodo Trullana Quini-Sexta(a)) Basnagius petit, expendere operae pretium est, ut, quot scateat commentis à capite ad calcem integra ejus dissertatio, manifestetur. Et quidem non sine horrore mirari subit audaciam oppositoris, ut primùm hoc postremum additamentum occurrit. Quomodo enim, bone Deus! audet Basnagius prò sua sententia referre monumentum illud, quod ei directè adversatur? Laudata Synodus ità declarat Deiparae Virginis partum ἀλόχευτον immunem à secundinis, & supervacaneis eluvionibus, sicut, & adserit illum fuisse τόκον ἀσπόρως συλλήπτα absque ullo semine; ità ut nec minimum quid sit adinvenire immunditiei. En verba Canonis LXXIX. ejusdem Concilii in medium producta. *Absque ullis secundinis ex Virgine partum esse confitentes, ut qui sine semine constitutus sit; idque toti gregi annunciantes, eos, qui propter ignorantiam aliquid faciunt, quod non decet, correctioni subjicimus.* Haec autem priora verba Canonis laudati, aut reticuit, aut detruncavit Basnagius, ut fucum faceret ex posterioribus, quae laudat: Sed nec quidem ei prosunt, estò mutilata, & seorsim relata. Quid enim ex eis inferre pertentat? Ex occasione superstitiosi ritus exorti ex fide populorum de Secundinis B.M.V. harumce veritatem adstruere conatur, & idcircò etiam sub VI. Synodi nomine *Trullanam* laudat, & Oecumenicam idcircò adserit, quam nos uti talem haud agnoscimus, notumque est cunctis quale sit de Trullano Quini-Sexto Concilio judicium ferendum. *Antiquae*, inquit, *fidei vestigia supererant in ea consuetudine, quae à Constantinopolitanis Patribus* (ad marginem autem *Synod. 6. c. 79.*) *Septimo Seculo abrogata fuit*. Ità ne? Papè quàm nobile ratiocinium! Cachinnis citrà dubium esset excipiendum stramineum ejus argumentum, nisi rei gravitas aliud exigeret in praesentiarum. Ut autem firmius elidatur machina Basnagiana, rem ipsam seriò ventilare lubet residuo Canonis per integrum laudato. Quomodo enim antiquae fidei vestigia extare conten-

(a) *Concilium* Quini-Sextum *dictum est Constantinopolitanum celebratum in* Trullo *imperialis Palatii Secretario superne fornicato An. 692. & dictum fuit* Quini-Sextum, *ut Quintam, & Sextam Synodum conciliaret, quasi Canones addisciplinam, qui in eisdem Synodis non fuerunt procusi, suppleret: convenerunt Episcopi CCXXVII.*

Digitized by Google

tendit ex superstitioso illo ritu, quum ex Patribus longè prioris aetatis oppositum fuerit probatum? Ex istis namque, haud è populi ignorantis falsa traditione, veritas est exspiscanda. An fortasse universim in Oriente ità sentiebant omnes, quia aliqui idcircò ad placentas superstitiosas postridie Nativitatis Domini se se dedebant, unde traditio hujusce adserti firmari potest? Nonnisi per mendacium: quum laudatum Concilium vulgarem traditionem hanc detestetur, diriscque devoveat, veluti anile delirium, & Circulatorum commentum, quod propterea ad fabulas, nugas, gerrasque amandat, & retinentes hujusce commenti tesseras in offulis illis mulctat Ecclesiasticis poenis. Notum est insuper Eruditis cunctis id genus traditiones quamplures aliquando fuisse, easque apud vulgum constanti firmitate retentas, quinimò symbolis etiam similibus easdem fuisse sacratas, nemo, qui sapiens audit, ignorat. At quis unquam, vel leviter doctus, ex hisce popularibus observantiis, aut antiquae fidei vestigia infert, aut ex traditione vulgari veritatem audet demonstrare? Nemo certè. Quomodo ergò Basnagius nobis haec obtrudere pertentat, ut suum dogma confirmet? Qui ità fucum facere contendit, sibimetipsi mentitur, & falsitatem ostendit; quod ut clariùs innotescat, sequentia Canonis verba sat est recitare. *Quare quoniam ALIQUI post Sanctae Christi Dei nostri nativitatis diem similam coquere ostenduntur, & eam sibi invicem impertiri, honoris, scilicet, praetextu secundinarum impollutae Virginis Matris, statuimus, ut deinceps nihil tale fiat à fidelibus. Neque enim hoc honor est Virginis, quae suprà mentem, & sermonem, quod comprehendi non potest, Verbum peperit carne, ex communibus, & iis, quae in nobis fiunt, inenarrabilem ejus partum definire, metiri, aut describere. Si quis ergò deinceps hoc facere aggressus fuerit, si sit quidem Clericus, deponatur, si verò laicus, segregetur.*

Ex quo Concilii monumento sicut nobis fas est profligare Basnagianam blasphemiam, ità etiam eliminare commentum aliquorum illustrium virorum, quorum tamen non immeritò gloria reboat per orbem, eorum nempe, qui ad eximendam Virginem, & Jesum ab immunditia Secundinarum, eò confugiunt, quod promtum expeditumque videtur effugium, certumque asylum, quia naturali virtute possibile, quodque aliquando viri alioquin docti non sine errore docuerunt, de quibus profectò illud Poëtae repetere lubet

... *Quandoque bonus dormitat Homerus*

Quare Cl. Cornelius Jansenius Gandavensis Episcopus, vir aliunde eruditus, ex testimonio Aristotelis *Cap. VII. de animal.* docuit fieri potuisse, ut *naturaliter parientes fluxum secundarum non patiantur*, ex quo Deiparae munditiem in partu tuetur; estò aliud in medium producat argumentum ad vindicandam Virginis immaculatum partum, eumque adstruat exemtum à legali macula, quod suprà nimirùm propugnavimus, & post pauca confirmabimus. Ad haec, inquam, & similia nos haud confugimus in praesentiarum; quinimmò, ut veritatem edisseramus omni abacto dolo, quavis falsitate dejecta, ultrò libenterque adserimus Christum Dominum in utero Virginis

Digitized by Google

ginis (a) fuiſſe à Spiritu Sancto Divina virtute formatum, ſed ex naturali foeminae materia cunctis univerſim conceptibus neceſſaria, ità ut ſolus foecundandi modus fuerit Divinus, nullo, nimirùm, aut humano ſemine, aut ſeminali foeminea libidine interveniente (b); ſed ut verè diceretur filius hominis, non fuit creatus ex nihilo, ſed ex praejacente materia in utero ad generationem opportuna fuit productus. Velis remiſque contendimus foetum omnem, dum in utero eſt, ſecundina contectum pelle ſervari, creſcere, alique ex materno ſanguine; eandemque legem ſubiiſſe Dei filium in ſimilitudinem hominum factum. At dum iterùm iterùmque adſerimus naturaliter omnem foetum, aut hiſce ſecundinis membranis veſtitum errumpere ex utero, (quod tamen rarius evenire compertum eſt) aut etiam (quod communius accidit) effractis iſtis foras prodire, eiſdem in utero relictis, quae niſi poſteà emittantur, procul dubio peribit puerpera eiſdem infecta: alio ex momento adſerimus nullimodè ex ſecundinis iſtis, aut pupulum Jesum, aut Deiparam fuiſſe commaculatam; ſicut utrumque à labe profluvii ſanguinis indemnem propugnavimus. Qua enim virtute Virgo concepit, & Virgo peperit Maria, eidem prorsùs immunis ipſa fuit ab immunditia menſtrualis retenti ſanguinis, ſecundinarum, aliorumque conſpurcantium humorum. Nec aliter poteſt quiſquam effari, ſi non vult delirare. Quid enim majus fuit, ut Virgo ſine virili ſemine conciperet, abſque fractura Virginalis clauſtri pareret, an quòd careret effluvio foecum? Extrà omnem dubietatis aleam illud majus fuit, illud mirabilius. Quum ergò illud fecerit Dominus, ut novum faceret ſuper terram, quomodo hoc inferius etiam conducens ad miraculi complementum, decoremque exorientis Regis omiſit? Utrumque fecit omnium Plaſmator, cujus perfecta ſunt opera; ideòque ſicut virginem ante partum, & in partu ſervavit Deiparam, ſic quoque eandem Coeli Reginam immunem ab hac legali macula praeſervavit; ſed potiſſimùm ab effluvio harumce ſecundinarum, quae indubitanter ſimul emitti haud queunt, niſi reſerato clauſtro. Id, repeto, dumtaxat adſerendum cenſeo, dicendumque judico, ne, dum aliter divinare contendo, delirare cogar. Neque hac in re, ubi Divina elucent myſteria, ſtandum eſt ſententiae Philoſophorum, ſed dictis Sanctorum: cùm non minùs Incarnatio Divini Verbi fuerit ſuprà omnem humanae mentis captum, quàm nativitas inſuper ejus; adeòque utpotè deliria ſunt eliminanda, quae Heterodoxi opponunt, ad naturales cauſſas, & naturalia

(a) *Vide S Thomam III. P. Qu. XXXI. Art. V. S. Iob. Damaſcenum* de Fide Orthodoxa lib. *III. & univerſim Patres laudatos, nec non Theologos omnes, id univerſim adſtruentes. ſed praeſertim ex Patribus conſule SS. Ambroſium* Lib. de Incarnatione Cap. *VI. & Auguſtinum in* Epiſtola ad Voluſianum, *quos etiam laudat S. Thomas ibidem* Art. *VI. ex Theologis Legeſis Petavium, & N. Card. Gotti* de Incarnatione.

(b) *Ità S. Thomas ibidem, & cum eo univerſim Noſtrates, aliique illuſtres. Corrigendi ſunt autem Theologi, quos laudat Franciſcus Suarez, vir aliunde pius, aequè ac doctus, qui adſtruunt Deiparam in conceptione filii tranſmiſiſſe naturale ſemen ad materiam generationis, diſſolutione illius in utero facta, eſtò ſine ulla complacentia libidinoſa.*

Digitized by Google

lia momenta confugiendo, & ut despicabilia sunt omittenda, quae ex aliis Philosophis, sed non probata, ad profligandum errorem alii laudant. „ Cum „ ergò „ repetendum hìc jure summo existimo, quod olim S. Leo Papa I. ad rem hanc faciens inquit. (a) „ Cum ergò ad intelligendum Sacramentum „ Nativitatis Christi, qua de Matre „ Virgine est ortus, accedimus, abigatur procul terrenarum caligo rationum, & ab illuminatae fidei oculo mundanae sapientiae fumus abscedat: Divina est authoritas, cui credimus, Divina est doctrina, quam sequimur. (b) Advenientibus ergò temporibus dilectissimi, quae redemtioni hominum fuerant praestitura, ingreditur haec infima Jesus Christus filius Dei, de Coelesti sede descendens, & à paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus. Novo ordine, quia invisibilis in suis, visibilis factus est nostris; incomprehensibilis voluit comprehendi; ante tempora manens, esse coepit ex tempore; universitatis Dominus servilem formam obumbrata Majestatis suae dignitate suscepit; impassibilis Deus non dedignatus est homo esse passibilis, & immortalis mortis legibus subjacere. Nova autem nativitate genitus est, conceptus à Virgine, natus ex Virgine sine paternae carnis concupiscentia, sine maternae integritatis injuria: quia futurum hominum Salvatorem talis ortus decebat, qui & in se haberet humanae „ substantiae naturam; & humanae „ carnis inquinamenta nesciret. Autor „ enim Deo in carne nascenti Deus est, „ testante Archangelo ad B. Virginem „ Mariam: Quia *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideòque, quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Origo „ dissimilis, sed natura consimilis: humano usu, & consuetudine, quod „ credimus, caret; sed Divina potestate „ subnixum est, quòd Virgo concepe„ rit, quòd Virgo peperit, & Virgo „ permanserit. Non hìc cogitetur parientis conditio, sed nascentis arbi„ trium, qui sic homo natus est, ut „ volebat, & poterat. Si veritatem „ quaeris naturae, humanam cogno„ sce materiam: si rationem scrutaris „ originis, virtutem Divinam. „

Ex his autem plenè exsufflato errore Novatorum ad reliquas eorum falsitates ventilandas gressum facere haud oportet; & quamvis hìc retundenda foret audacia Basnagii inficiantis unà cum suis perpetuam, omnimodamque Virginitatem Deiparae, in partu reseratum adstruendo claustrum pudoris illius Sacratissimi Templi, quod Dominus inhabitavit, ex quo commento in nuper confixum errorem ultrò descendit Adversarius, quem impugnavimus; tamen quia alibi ex professo Deo dante de hac re agendum erit, ubi etiam expendam lytrum prò Christo solutum in ejus oblatione, idcircò è vestigio eò pergo, quò properandum est, ne longiorem, quàm fas est, protraham funem.

EXER-

(a) *S. Leo M.* Serm. V. de Nativitate Domini. (b) *Idem* Ser. II. de Nativ. Dom. & Ep. XXIV.

Digitized by Google

EXERCITATIO XV.

XXV. PROPOSITIO.

Dei Patris Simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare.

QUàm dirè, & quàm diù adversùs Christi Servatoris, Sanctorumque omnium imagines dimicaverint fidei hostes, is procul dubio ignorat, qui plenè hospes est in Ecclesiastica historia. Multifariàm quippe, multisque modis, & primitùs, & indè adversùs eas calamo, & ferro, blasphemiis, & bello surrexerunt Sathanae emissarii; nec quidem ii dumtaxat, qui Christo nunquam dederunt in Baptismo nomen, Judaei, & Mahumedani; sed, quod deterius est, ii etiam, qui Christianam professi fidem, ab ea defeciverunt. Primus, qui occurrat erebi satelles, is citrà omne dubium est Julianus Augustus, qui sicut à Christo ad Ethnicismum convolavit, ità Christi, & Sanctorum imagines contemsit, comminuit, dehonoravit. Labarum namque, seu vexillum Crucis, quod Constantinus M. exercitui praeferre jussit, mutavit Imperator Apostata (a): Statuam suam inter idola collocavit, ut Christiani, vel honoris Imperatori in illius imagine recusati arguerentur, ac veluti Majestatis contemtores plecti possent; vel certè ejus imaginem venerando, juxtà posita idola, coluisse viderentur: quare seducti primùm non pauci milites Christiani, deindè errorem dignoscentes, palàm detestati sunt, anathema idolis, & fraudi Juliani dicentes: ex quo diversis cruciati tormentis martyres obierunt (b). Christi statuam, quam mulier à profluvio sanguinis liberata posuerat, deturbavit; suamque loco illius erexit, quam tamen Dominus coelitùs fulmine percussam incendit, dejectamque contrivit (c). Alia, quae impius, sceleatusque Apostata patravit, sat est ex indigitatis hisce colligere: cùm nonnisi strictim Iconomachorum historiam percensere animo sit ad prodromam eruditionem, qua via sternatur ad eliminandam damnatam thesim.

Alter, qui inter primores Sacrarum imaginum hostes possit recenseri, est Xenajas quidam natione Persa, confessione Christianus, haeresi Eutychianus, Petri fullonis discipulus, & Hierapolitanus Episcopus, nuncupatus etiam *Philoxenus*, qui V. labente seculo, Christi, Sanctorumque imagines haud esse colendas commentus est (d).

At, quae Seculo VIII. in Sacras imagines exarsit persecutio, ea praesertim, etsi breviter, enuncianda est, quum tunc diriùs debacchati fuerint fidei hostes. Quum enim Judaeus quidam *Sarantaphechys* nomine, praestigiator maximus, ut suum, quem adversùs Sacras imagines corde fovebat, furorem faciliùs, feliciùsque exsequeretur, *Ezidum* Arabum Regem commovit ad nefarium opus. Vaticinio namque fatidico ei diuturnum spopondit imperium, si adversùs

(a) *Ità tradunt S. Gregor. Nanzianzen.* Oratione I. in Julianum, *& Sozomenus* Lib. V. Hist. Eccl. *Cap. XVI.*

(b) *Idem Nazianz. ibid. Theodoretus* Lib. *III.* Hist. Ecclesiast. *Capp. 15. & 16., & Sozom. loc. cit.*

(c) *Sozomen.* Lib. V. Histor. Ecclesiasticae. *Cap. XX.*

(d) *N. Franciscus Vanraß* Historia Haeresum Secul. V.

Digitized by Google

Sacras imagines bellum indiceret : fidem ei praestitit seductus Rex, & è vestigio ferale publicavit edictum, quo jussit Christi, Deiparae, omniumque Divorum statuas, & imagines fore comminuendas, lacerandas, exturbandasque : quod tamen cùm recusassent exsequi Christiani satellites, Arabes, & Hebraei laetanter perfecerunt. Verùm nulli magis obfuit vaticinium infelix, falsumque omen, quàm ipsi praestigiatori, quem, defuncto intrà octodecim menses Ezido, *Otinus* ejus filius, & Regni haeres, de medio tulit, ceu illum, qui sacrilego consilio, falsoque vaticinio seduxerat Patrem, idcircò Divino judicio citiùs ereptum è vivis (a).

Nec tamen cessavit quassatio : excitatum namque à Judaeis bellum contrà Sacras imagines alibi exarsit. Eo quippe tempore Leo, anteà *Conon* dictus, obscuro loco in Isauria natus, sed militaribus suffragiis ad imperium evectus, ut Sacramentum de evertendis Sacris imaginibus, quo se obstrinxerat duobus Ebraeis, qui ei adhuc gregarium militem agenti coronam fuerant auspicati, servaret, excitatus, praesertim à duobus Christianis deserteribus, nimirùm Constantino ignobilis loci in Pamphylia Episcopo, è sede sua ob crimina ejecto, & à Bezere de Christiano in Mahumedanam superstitionem lapso, facile dictu haud est, quàm dirè in Sacras imagines, earumque defensores saevierit. Lapides, ignem, ferrum, rotas in eosdem armavit, multisque necatis, pluribus in exilium actis, post innumeras contumelias in Sacras imagines illatas, prae ceteris S. Germanum Constantinopolitanae Ecclesiae Patriarcham sanctitate, doctrina, & canitie (b) venerandum alapa, priùs percussum in exilium egit : substituto ei Anastasio scelesto viro, sacrilegae haeresis propugnatore (c) ; Et S. Johannem Damascenum tunc humanarum, divinarumque rerum florentissimum subdola arte accusatum, falsoque crimine dijudicatum reum, atroci tormento dexterae manus amputationis adflixit, & ad majorem infamiam eandem dexteram recisam in foro adpendit : quamvis insignis fidei pugil à Deipara Virgine, ante cujus statuam pronus, lacrymis perfusus, & sanguine cruentus fervidas effuderat preces, miraculo fuerit sanatus, dextera ei restituta (d), quam in defensionem Sacrarum imaginum adplicare non destitit eximius vir, scriptis suis Ecclesiam illustrando, & errores confutando. Verùm perfidus Caesar Dei iram haud evasit, dum citiùs, quàm censebat, diem clausit extremum, diris torminibus ità vexatus, ut inter ejulatus indignantem animam emiserit (e), ab Ecclesiastica pridem communione rejectus, & anathemate fulguritus à Gregorio III. Rom. Pontifice in Concilio Ro-

(a) *Ex Cedreno, & Zonara* in Leone Isauro. *Vide Dissertationem N. Natalis Alexandri, & reliqua, quae tradit in* Hist. Ecclesiastica Sec. *VIII. N. Franciscum Vavrasi* Hist. Haeres. Sec. *VIII. Card. Baronium, Brietium, & alios eod. Seculo.*

(b) *S. Germanus tunc prope centenarius erat, nam Anno 727. quinque, & nonaginta annos babebat, ut adjeveravit Gregorius II.* Epistola *II.* quae extat *in VII.* Synodo.

(c) *Idem ibidem. Vide Petavium ubi infrà.*

(d) *In Vita S. Joh. Damasceni scripta à* Johanne Patriarcha Hierosolymitano, *quam N. Michaël Lequien praeposuit* suae editioni Operum S. Joh. Damasceni *T. I.*

(e) *Vide suprà laudatos Authores praecipuè Card. Baronium* Ad Annum Christi *DCCXIX.*

Digitized by Google

Romae coacto (a).

Nec tamen eo è vivis sublato suam obtinuit Ecclesia pacem: recruduit quidem adversùs eam, & Sanctorum imagines, reliquias, omnemque eorum cultum persecutio, quum imperio, & impietati extincti Caesaris successit Constantinus Leonis Isaurici, ex Theophane, filius *Copronymus* dictus (à κόπρος *copros*, latinè *stercus*, & ὄνομα *onoma*, latinè *nomen*: quasi *stercoonomis*) quia dum in Sacro fonte lustraretur, exonerato ventre, baptismales urnam, & aquas conspurcavit; ex quo, velut ex manifesto omine scelerum ejus, S. Germanus Constantinopolitanae Ecclesiae Patriarcha, praedixit pessimam Ecclesiae, & Reipublicae sortem, dictusque fuit propterea ex tunc Antichristi praecursor (b), nec fefellit eventus. Quandoquidem scelestissimus Caesar, nedum ad angustias subjectos sibi populos redegit, sed furore percitus in omnes fidei defensores, contrà eosdem omnes saevitiae nervos intendit, dum adversùs Sanctorum imagines, reliquias, & cultum totus exarsit: ad lapides, ignem, gladium, rotas, omniaque Sathanae instrumenta, & tormenta catholicae veritatis propugnatores demandavit; & tunc praecipuè furentiùs debacchatus est, cùm coacta Constantinopoli Pseudo-Synodo tercentum, & triginta Episcoporum, eorum nempe, qui à fide defecerant, saevitiam suam nebulonum authoritate firmavit, innumeris Dei viris variis tormentorum generibus, aut è vivis sublatis, aut extorribus factis. Attamen perditus Caesar non imparem patri sortem subiit, & finem: velut alter Julianus Apostata, etsi non à Christo, à Virgine Maria percussus, miserè interiit, nam in Bulgarica expeditione infirmatus, internoque igne exustulatus, inter gemitus, & suspiria exclamans se vivi comburium pati ob dehonestatam Deiparam Virginem, ad aeternas infernales transiit flammas (c).

Prosecutus est idem bellum adversùs fidei pugiles, & Sanctorum imagines Constantini filius Leo, *Porphyrogenitus* dictus, paternae impietatis haeres, qui etsi Catholicum se principio simulasset, tamen postquam largitione popularem quaesivit gratiam, in apertam haeresis professionem erupit: Sed paternae infaustae sortis, promeritaeque poenae particeps etiam fuit. Cùm enim lapidibus pretiosis, gemmisque redimiram auream coronam, quam Mauritius Imperator Majori Ecclesiae, S. Sophiae nempe, sacrarat, vi & sacrilega manu rapuisset, majorique perfidia, & audacia suo imposuisset capiti, statim fuit à Deo percussus: erumpentibus namque circumcirciter è capite igneis carbunculis, statim ardenti correptus febre, miser vale dixit mundo (d), cùm vix quinque annis imperasset.

Quievit aliquantulùm Ecclesia, & pristina revocata est Sacrarum imaginum pietas sub Irene, & Constantino,

(a) *Ex Zonara Dionysius Petavius* Rational. Tempor. P. I. Lib. VIII. Cap V.

(b) *Ex eisdem Historicis nuper laudatis.*

(c) *Ex Cedreno, Theophane, & Zonara* in Constantino Copronymo. *Ex Paulo Diacono* lib. XXI. c. 32. *Anastasio in* Gregor. II.

(d) *Ex Theophane, Cedreno, & Paulo Diacono, Dionys. Petavius in* Rational. Temporum P. I. Lib. VIII. Cap V. *Card. Baronius, & Natalis ubi supra.*

Digitized by Google

ad Patriarchalem Constantinopolitanam Sedem evecto Tharasio viro sanctissimo, qui cum duobus Romanae Sedis Legatis Concilio Oecumenico VII. Nicaeno II. praesedit (a), in quo adversùs Iconomachos avitum fidei dogma de cultu Sacrarum imaginum definitione peculiari fuit firmatum, variisque monumentis Divini Verbi, & Patrum doctrinae, nec non etiam miraculorum à Deo patratorum fuit cultus Sacrarum imaginum vindicatus ab impostorum commentis, & fallaciis Nebulonum; devictis quoque in ea Synodo callidis, fallacibusque arguratoribus. At non multò post demortuis Constantino, Irene, Nicephoro, & Michaële Curopalata, varioque fato Orientali imperio exagitato, sopiti errorum susciti sunt cineres, iterùmque excitatum fuit bellum adversùs Sacras imagines à Leone *Armenio* Anno DCCCXIII. ad imperium Orientale evecto, qui non secùs, ac Leo Isauricus, aliique perfidi priores Caesares, exarsit in Catholicos, praecipuè Monachos, eo praesertim tempore strenuissimos fidei propugnatores; omnemque cultum Sacrarum imaginum insectatus, eas quoque omni adhibita impietate evertit, proscidit, conculcavit (b). In poenam tamen sceleris, Deo justo judice sic disponente, inter Sacra ipsa trucidatus est Anno Christi DCCCXX.

Perduravit itidem bellum adversùs Sacras imagines sub Michaële, ob vitium linguae *Balbo* dicto, imperii, & iniquitatis successore, qui ex infecta lacuna Sectae cujusdam in Amorio Phrygiae oppido, (ubi ortus fuit) grassantis ex Judaeorum, & Manichaeorum colluvione conflatae pleno pectore potatus, in fidei dedecus, Ecclesiaeque perniciem erroris venenum evomuit, quare, & Sacras imagines, & Catholicum nomen omne proscripsit (c). Eumque post IX. circiter annorum imperium fato functum secutus est ejus filius *Theophylus* paternae impietatis aemulus, & haeres (d): quo defuncto pax Ecclesiae restituta fuit sub Michaële, & Theodora Matre, ceterisque Imperatoribus Orientis, quibus imperantibus Sacris imaginibus primaevus avitusque restitutus fuit cultus, & honor (e).

Verùm, heu! Septem fortassè post secula, sphalma in Oriente ex Judaeis sacrilegisque exortum, ibique sub piis Imperatoribus extinctum, è tartaro revocatum in Occidente, fuit itidem promulgatum ab iis, qui *Reformatorum* sibi nomen adsciverunt, in fidei dedecus, & Sanctorum injuriam: quare usque in hodiernum diem, qui *Reformati* audiunt eandem putidam, recoctam, flaccidamque recoquunt cramben, quam Judeo-Graeci quondam adposuerunt, eorumque verbis, ac sarcasmis utentes, dum Sacras imagines, & reliquias insectantur, Romanae Communionis homines reliquiarios, & superstitiosos, uti idololatras accusant, cinerarios per contumeliam adpellant; quid-

(a) *Concilium Nicaenum II. coactum fuit Anno DCCLXXXVII. sub Adriano I. Rom. Pontifice, convenientibus in eo trecentis, & quinquaginta Episcopis Orientalibus.*

(b) *Ex Zonara, & Cedreno in* Leone Armenio.

(c) *Ex Zonara, & Cedreno in* Michaële Balbo.

(d) *Ex Cedreno C. Baronius, Natalis, & Petavius.*

(e) *Glycas, & Segebertus* Anno *DCCCLXV. & ex* Annalibus Pithoeanis *eodem Anno laudati Scriptores Ecclesiastici.*

Digitized by Google

quidve furoris in Galliis, & in Anglia primùm exercuerint eo ex momento, qui à fide defciverunt, notum eft omnibus, qui vel leviter funt eruditi (a). Sed ut jus unicuique fervetur illaefum, non omnes, qui primitùs Pfeudo-Reformationi nomen, & initium dederunt, aut qui poftcriùs ad eadem caftra confugerunt, in eandem convenere fententiam; etfi è varia factione ii fint, praecipuè tot poft excitatas fectas. Qui primus primùmque Judaicam ganeam ructans, & graecanicam haereſim renovans, adversùs Sacras imagines fenfit, fcripfitque, dubio procul fuit Johannes Calvinus, qui nedum cultum Sacrarum imaginum omninò fuit inficiatus, & Idololatris adcenfuit Romanae Communionis, feu verè Orthodoxos homines, quos per contumeliam (revera tamen fummi honoris charactere inſignitos) *Papiſtas* adpellat: exturbandas itidem dixit eafdem Sacras imagines ab Eccleſiis, eſtò ad hiſtoriam ibidem repoſitas, quum ad curioſitatem oblectationem, & levitatem id pertineat, ut peſſimè effutit (b); & ut plenariè fucum faceret veritati, diris etiam II. Nicaenam Synodum devovit; Sanctorum decretum proſcidit, variiſque calumniis oppetivit viros omni gloria illuſtres, eorum doctrina multifariàm traducta (c). Verùm eadem in re ſibi contrarius fuit Calvinus, dum etiam in Sacra Coena permiſit adorationem Symbolorum, utpotè ad Chriſtum tendentem (d). Quid enim ex eo eſt Euchariſtia, niſi mera puraque imago, nuduſque typus (e)? Andabactarum ergò more pugnavit, qui Catholicorum Caſtris terga vertit. Sectatores ſui erroris habuit Calvinus, quotquot in varias diſciſſi ſectas ex ejus Schola prodierunt: quamvis nonnulli minori coecitate detenti mitiùs ſcripſerint, & hac in re, aut non longè à vero, aut non ità procul abierint, ut mox innoteſcet. At ex adverſo Lutherus potiùs prò Sacris imaginibus ſtetit; & quamvis juxtà morem ſibi conſuetum variàm fuerit locutus, nunquam tamen adversùs eaſdem exarſit; quin potiùs in plurimis earum propugnator fuit. Primùm quidem (f) adversùs Anabaptiſtas earumdem Sacrarum imaginum hoſtes calamum acuens, adſeruit

(a) *Vide P. Joſephum M. Perrimezzi Ordin. S. Franciſci de Paula inſignem Noſtri Regni Theologum, & Eccleſiaſtem, nunc Boſtrenſem Archiepiſcopum in* Vita S. Francifci de Paula, *& univerſim, qui hiſtoriam haereſeon XVI. Sec ſcripſerunt.*

(b) *Joh. Calvinus* Lib. I. Inſtitutionum *C. XI. ſect.* 12. Deum effingi viſibili ſpecie nefas eſſe putamus, quia id vetuit ipſe, & fieri ſine aliqua ejus gloriae deformatione non poteſt, *& poſt pauca de imaginibus ad hiſtoriam effor matis loquens ait*: Quid praeter oblectationem afferre poſſint non video, & tamen conſtat tales fuiſſe omnes propemodum imagines, quae hactenus in Templis prottiterunt. Unde judicare licet non judicio, aut delectu, ſed ſtulta, & inconſiderata cupiditate illic fuiſſe excitatas, *&c.*

(c) *Idem ibidem Section. XV.* Venio nunc ad impietatum portenta, quae (*Patres Nicaenae II. Synodi*) evomere autos eſſe mirum eſt. non fuiſſe autem illis reclamatum cum ſumma omnium deteſtatione, bis mirum. Atque hanc flagitioſam amentiam traduci expedit, ut ſal tem fucus antiquitatis, quem Papiſtae obtendunt, ſimulachrorum cultui detrahatur. *B* Lib. *IV. Cap. IX. diris devovet Concilium Nicaenum II. laudatque Conciliabulum Haereticorum Conſtantinopoli adversùs Sacras imagines coactum, & à nobis paulò ante indigitatum.*

(d) *Calvinus* Lib. *IV.* Inſtitution. *Cap. XVII. ſect.* 38. Si in Coena hoc (*adoratio, nempe*) fieret, dicerem adorationem eam demum eſſe legitimam, quae non in ſigno reſidet, ſed ad Chriſtum in Coelo ſedentem dirigitur.

(e) *Idem ibidem ſect. I.* Signa ſunt panis, & vinum, quae inviſibile alimentum, quod percipimus ex carne, & ſanguine Chriſti, nobis repraeſentant.

(f) *Lutherus Ad* maledict. Reg. Angl. *T. II. pag.* 498.

Digitized by Google

ſeruit ex vi Divini mandati Exodi XX. ſolummodò vetitum fore Dei imagines efformare, haud tamen imagines S. Crucis, Deiparae, aliorumque Sanctorum, quas proinde pariter adfirmavit licitè poſſe à fidelibus retineri, & religioſa veneratione coli: quinimò adſeruit oppoſitores dicendos fore Doctores Legis, haud verò Doctores Evangelii; addiditque nefas omninò eſſe, & *Reformatis* omninò vetitum, repellere eaſdem, aut inſultare Romanae Communionis hominibus religioſa veneratione colentibus illas. Similiter alibi (a) gratias egit Deo, quòd in Romana Eccleſia retineretur Crucifixi imago in memoriam paſſionis Domini noſtri Jesu Chriſti Redemtoris: quo etiam ex momento omnibus operibus ſuis publici juris factis praepoſuit imaginem Jesu Chriſti Crucifixi, ad cujus pedes ipſe ſimul cum Saxoniae Duce provolutus, ſupplexque orans, jacebat expreſſus. Et quamvis Kemnitius (b) adfirmet Lutherum ſolummodò adſeruiſſe ad hiſtoricam notitiam ſervandas fore Sacras imagines, quod ex eo repetiit Jacobus Picininus (c), imò Johannes-Albertus Fabricius (d) eo ex momento dixit Lutheri operibus praefixam fuiſſe laudatam Crucifixi imaginem, coram qua pronus jacebat Lutherus, ut inſinuaretur eundem *Reformatorum* Patriarcham corde coluiſſe Sanctum Sanctorum prò nobis in ara crucis immolatum in prètium, & lavacrum; haud verò id factum, ut Lutheri cultus ergà Sacras imagines manifeſtus fieret. Tamen quàm procul à vero loquuntur nuperi Reformati, ex iis, quae nuper ex Luthero adnotavimus, clariſſimè conſtat; & evidenter colligitur ex doctrina Flacci Illyrici Rigidiorum Lutheranorum anteſignani, & Centuriarum Magdeburgenſium praecipui compilatoris. Hic enim (e) ab Apoſtolico ferè Seculo conſuetum in Eccleſia Sacrarum imaginum cultum ait: *Ob hoc enim Ethnici Chriſtianis objiciebant, quòd Crucis religioſi eſſent: Scribit Euſebius vidiſſe ſe aſſervari in Aſia imagines Apoſtolorum Petri, & Pauli, & ipſius Chriſti. Sic Lampridius Alexandrum Severum optimum Imperatorem in privato, quod domi habebat, Larario ſuo, Chriſti, & Abrahami imagines habuiſſe narrat.* Et iterùm (f) commendat ſtatuam Servatoris Chriſti Jesu Paneade ab Haemorrhoiſſa erectam. Quapropter etiam, qui puriores Lutherani audiunt, conformiter quoque ad Lutheri dicta loquuntur; etſi in Auguſtana Confeſſione nec verbum ea de re occurrat. Diverſimodè deinde locuti ſunt de Sacris Imaginibus agentes ceteri heterodoxi, quorum aliquos, eorumque ſententias hic vel digito monſtrare ſolummodo lubet, quum cetera, quae ad impugnandam Veterum, recentiorumque Iconomachorum haereſim fa-

(a) *Idem* Tractatu de Miſſa privata To. *VII.* p. 226. & *ſeq.*

(b) *Kemnitius in* Examine Concilii Tridentini *p.* 637.

(c) *Jacobus Piciniui* in Apologia.

(d) *Fabricius* in Codice Apocrypho Novi Teſtamenti, *ubi de ſtatua Salvatoris à Syrophoeniſſa erecta.*

(e) *Magdeburg.* Centuria *III. Cap. VI.*

(f) *Idem* Centuria *IV. Cap. VI. Vide etiam Cl. Benignum Boſſuet* Hiſtor. Variation. Eccleſ. Proteſtantium, *ubi variam eorum circà hanc rem invenies doctrinam, & ſententiam. Conſule itidem N. Card. Gotti* Vera Eccleſia Chriſti, *ubi pariter idem offendes.*

Digitized by Google

faciunt, consuli possint apud eruditos Polemicos (a); nobisque properandum sit ad directè exsufflandum errorem in damnata thesi confixum; Satisque sit addidisse ad majorem recentiorum Iconoclastarum confutationem, quòd neque Johannes Vvicleff, neque Johannes Hus, ad quos ipsi saepè confugiunt, eisdem praeluserint, sed potiùs isti colendas eas duxerint, ut adnotavit Cl. Jacobus-Benignus Bossuet (b).

Quamvis enim nonnulli acriùs contrà imagines, earumque cultum scripserint, qui nimirùm majori obduratione detenti amariorem foverunt animum adversùs Ecclesiam Romanam Caput, & Magistram omnium Ecclesiarum: Aliqui tamen mitiùs sunt locuti, qui, nempe, tanto non fuerunt praejudicio detenti. Alii tandem re penitiùs inspecta, & veritate cognita nobiscum contulerunt manus, estò è nostris haud sint, & in ceteris à nobis longè abeant, neque sint è Schola Lutheri: (estò è Lutherana Secta nonnulli etiam Calviniistis hac in re victas dederint manus, uti Forbesius, Fabricius, Sagittarius, & alii) Sed è variis Sectis extrà illam, ut ex eorum catalogo innotescet.

Posse retineri, & pingi Sanctorum imagines ad memoriam dumtaxat, & ad historiam docent quamplures *Reformati*, praecipuè Catechismus Heidelbergensis, qui eas idcircò etiam in Templis retinendas esse statuit (c), & Jacobus Ouzelius (d), nec refragatur Stephanus Curcellaeus (e): & quamvis hic posterior diversimodè de cultu earum loquatur, concludit tandem, quòd si abusus eliminetur, libenter subscribet sententiae Concilii Moguntini sub Sebastiano Archiepiscopo, & doctrinae Henrici Holden Doctoris Sorbonici, aliquam venerationem eisdem impendendo (f), Josephus Bingham IV. Seculo viguisse consuetudinem retinendi in Ecclesia imagines Sanctorum ad memoriam, & instructionem fidelium ingenuè confitetur (g). Samuël Basnagius idem testatur (h), & rem hanc esse meae disciplinae cum Helia Dupinio adfirmat; estò priorum trium seculorum disciplinae tutiùs adhaerendum esse censeat. Hugo Grotius tamen absolutè licitum adstruit Sacrarum Imaginum usum, & cultum, imò venerationem adoratio-

nem

(a) *Polemici, qui de hac re agunt plures certè sunt, praecipuè consuli possunt Cll. Cardinales Baronius ubi suprà, Bellarminus* in Controversiis Lib. III. de Ecclesia triumphante. *N. Card. Gotti ubi sup. N. Natalis Alexander* in Hist. Ecclesiast. Sec. VIII Dissert. VI. *Johannes Pronto* in Dissertationibus, *Johannes Molanus* de imaginibus, *Gretzerus pariter* de imaginibus. *Ex Patribus praesertim legendi sunt S. Johannes Damascenus, & cum notis N. Michaëlis Lequien, Theodorus Studita, & Jonas Aurelianensis.*

(b) *Bossuet* To. II. Lib. XI. Histor. Variat. Eccles. Protestantium.

(c) *Catechism. Heidelberg.* Quaest. XCVIII.

(d) *Ouzelius* in Commentario Minutii Felicis *pag. mihi* 284. *edit. Lugdun. Batav.* 1677.

(e) *Curcellaeus* Ad Adrianum Patium *inter* Epistolas Praestantium Virorum, &c. Ep. DCVII. *pag. mihi* 886.

(f) Quibus si reliqui omnes Catholici subscribere vellent, libenter eos, quod ad me attinet, à crimine non solùm idololatriae, sed etiam superstitionis hac in parte absolverem.

(g) *Bingbamus* Origin. & Antiquit. Ecclesiastic. *Lib. VIII. cap.* 8.

(h) *Basnagius* Annal. Politic. Ecclesiastic. T. II. ad An. Christi *CCCV. pag.* 602. Cùm ea disciplina, & antiqua sit, & prudentissima, ab ea discedere tutum non existimamus.

Digitized by Google

nemque imaginis Dei, modò in D.O.M. cultum referatur (a). Et Geverarhtus Elmenhorſtius licitè quoque venerandas, non adorandas, eſſe Sacras imagines adfirmat (b). Noviſſimè tandem *Quakerus* Scriptor Petrus Poiret nimium commendat SS. imaginum uſum ad pietatem excolendam, & fovendam devotionem ergà Chriſtianae Religionis myſteria; (c) ſuadetque, ut ubique adponantur ex praefato momento, carpens proinde *Reformatos*, qui eas eliminarunt, profanis adhibitis, adverſùs quos exardeſcit (d).

Haec, inquam, univerſim de Sacris imaginibus, eorumque cultu exegreges à Romana Communione ſcripſerunt. At circà imaginem D.O.M. alius apud aliquos, etſi paucos Catholicos Scriptores, irrepſit error. Aliqui enim duriùs, quàm fas erat, loquentes, minùſque ſapienter opinantes adſeruerunt imagines D.O.M. & Sanctiſſimae Trinitatis (eas, nimirùm, quas Eccleſia in uſu habet, ſecùs autem trifaciatam illam, ineptamque imaginem ſimul unicò corpore trivultino adſpectu conſtantem, quam diris R. Eccleſia devovit, ſicut, & alias id genus, fortaſsè ex ignorantia Pictorum, indecoras) ab Eccleſiâ potiùs tolerari, quàm adprobari. Alii omninò nefas eſſe eaſdem pingere, aut efformare apertè docuerunt, non advertentes id eſſe ipſiſſimum purum putumque Lutheri, & Calvini commentum, quorum etiam monumentis adſertum ſphalma probare ſtuduerunt. Tandem alii illicitum omninò eſſe adfirmarunt imaginem Dei Patris in Templo collocare, quos directè fulgurivit Alexander VIII. Quare in praeſentiarum mei oneris, & muneris eſt dumtaxat hunc errorem confutare, ſecùs verò Sacrarum imaginum cultum vindicare, aut illicitum uſum aliarum quarumcumque, eſtò Angelos repraeſentantium, ne è via recedens in diverticulo ſine cauſſa protraham moras. Et quamvis non importunè aliqua debeam adnotare, quae etiam ad licitum uſum, cultumque imaginis D.O.M. fa-

(a) *Hugo Grotius* Diſcuſſ. Rivet. Apologetici. *Ubi tandem de imagine Dei loquens ait*: De Deo autem ſi agimus. Certum eſt ſi eo animo ſimulacra, aut etiam hiſtoriae, quales dixi, fiant, ut credatur Deus homini, aut animanti alicui ſimilis, id illicitum eſſe. Patet hoc per ſe, & docetur à Paulo ad Romanos I.23. At verò naturaliter non eſſe illicitum Deum ea forma exprimere, qua ſe Patribus conſpiciendum dedit, idque ante legem licuiſſe ſentiunt Judaeorum eruditi. Nec Deo injuriam fieri, ſi non naturam ejus, ſed Majeſtatem, adumbramus, & Majeſtatem, quae inter homines maxima eſt, puta potentiſſimi Regis, ſenſere Philoſophi, ut inter eos Maximus Tyrius diſſertatione de imaginibus.

(b) *Elmenhorſtius* commentar. in Minut. Felic. *ubi ſup. in ea verba Minucii*. Cruces nec colimus, nec adoramus, *inquit*, verè Octavius: Chriſtiani enim non crucem coluerunt, ſed illum, qui in Cruce pependit. *Ibidemque ex profeſſo oſtendit non lignum coli, neque telas, aut tabulas, ſed Sanctos, Deiparam, & Chriſtum, & benè quidem, quod probat Authoritatibus Chryſoſtomi* in Epiſt. ad Corinth. I. cap. 4. *Damaſceni* de fide Orthodoxa lib. IV. c. 12. & Orat. II. de imaginibus. *Athanaſii* Tom. II. Qu. XXXIX. ad Antiochum, *Sedulii* Lib. I. carmin. pag. 13. & *Jodoci Clichtovaei* in paraphraſi ad Damaſcenum de fide Orthodoxa fol. 309. & ſequ. *laudat itidem alios PP. & Hiſtoriam* Paſſionis imaginis Domini Noſtri Jesu Chriſti Beriti in Syria.

(c) *Petrus Poiret* de eruditione ſolida *Tractat. I.* Principia Religionis Chriſtianae ad Liberorum educationem Sect. 3.

(d) *Idem* Irenicum univerſale *Sect. I.* Amicum ex charitate conſilium §. *XI. ait*: Ego certè mallem Chriſti, Sanctorumque hominum effigies ubique potiùs exponi, quàm picta quaedam & ſcripta diabolica, ac impudica, quibus impurae cogitationes turpiſſimaeque libidines in animis reviviſcunt, & ſunt tamen, qui iſtis offenduntur, in his nihil periculi metuunt, — O' coecas hominum mentes! ò pectora coeca!

Digitized by Google

faciunt, praecipuè cùm damnatae hujuſce theſis Patroni eiſdem utantur argumentis, quibus impugnatur laudatae imaginis efformatio, indirectè tamen id agam, ut eò tandem perveniam, quò advocor, & veritatem à Patronis hujuſce theſis oppetitam propugnem: ſolvamque, occaſione data, ſophiſmata Novatorum.

Et quidem, ut directè proſcriptam theſim impugnem, ex triplici capite eam ventilare operae pretium eſt. Vel enim nefas eſt collocare Dei imaginem in Templo, quia id prohibitum eſt jure Divino: Vel quia ex eodem ſimulacro in Eccleſia collocato occaſio praeſtatur rudioribus ad Eccleſiam confluentibus errandi circà Dei naturam: Vel tandem quia id fieri Eccleſia prohibuit. Ex hiſce tribus momentis dumtaxat, & dubio procul, adverſariis inſultare fas eſſet. Atqui nullo ex capite id evinci poteſt. Igitur omninò commentitia eſt eorum adſertio, & futilis eorum cavillus.

I. Pars evidenter oſtenditur: quum nullum in Divino Eloquio, ſive Veteris, ſive Novi Teſtamenti extet vetitum iſtud, quo prohibeatur collocare in Templo Dei Patris ſimulacrum; quinimò in Veteri Teſtamento luculentiſſimum extat monumentum, quo dignoſcitur fas eſſe D. O. M. ſimulacrum in Templo collocare, & inſuper ejuſdem ſimulacri cultus ibidem ſummopere laudatur. Quandoquidem Deo jubente in Hieroſolymitano Templo non ſine decoris ornatu, religioſaque inſigni pompa repoſita fuit Arca Foederis, quae Dei Israël figura, typus, & imago erat; necnon eidem Arcae idem legitur praeſtitus latriae cultus, qui Deo vero in proteſtationem ſupremae Majeſtatis debetur: Cùm Divina Scriptura teſtante adoratio fuerit Arcae Foederis, utpotè Deo vero, ab Ebraeis in religionis teſſeram exhibita (a): nec alio certè ex momento (ut Ebraeorum religio ab omni idololatriae ſpecie vindicetur) niſi quia in prototypum cultus ille ſupremus referebatur, & in imagine, Deus ipſe, quem illa repraeſentabat, adorabatur. Ex eo igitur momento licitum eſt Chriſtianis in Eccleſia collocare ſimulacrum Dei Patris.

Scio quid reponant adverſarii, ut vim argumenti, & paritatis declinent. Adpellant, nimirùm, ad diverſitatem, quae Arcam, aliamque omnem ſimilitudem membris animantis haud diſtinctam, inter, & imaginem, ſeu ſimulacrum verſatur: & dum primam admittunt, alteram omninò inficiantur. Sed frigidam nimis, & inſulſam eſſe reſponſionem, diſtinctionemque adinventam ad cavillandum, rectè novi ex ſenſu omnium Eruditorum. Quid enim refert, quòd faciata, ſeu effigiata ſit, vel non ſit, imago, ut ſimulacri quidditas, aut conſtituatur, aut eliminetur? Si Pſelli definitio adtendatur, ſimulacri nomine (quinimò, & ἀδύνατον) quidquid aliam perſonam denotat, ſignificat, & repraeſen-

(a) *Dicitur* Levitici *XIV.* Immolare Agnum coram Domino. *Et ſaepè aliàs* orare coram Domino. *Et id genus alia: ubi eſt adnotandum*, *quòd* Dominus *ibi exprimitur per* יְהוָה Jehova D. O. M. *Similiter* Joſue *VII.* Joſue ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini, uſque ad veſperam tam ipſe, quàm omnes Senes Israël.

Digitized by Google

sentat, communi hominum idea usurpatur, exprimitur, manifestatur: ideòque ex sententia Ebraeorum, praesertim R. Moysis (a), Arca Foederis vera, & verè imago Dei Israël erat. Similiter nonne Antiquis Authoribus, nedum ea dicta sunt simulacra, quae oculos habent, nasum, & cetera animantis membra, verùm etiam ea omnia signa, & simbola quibus numen quodlibet exprimebatur, seu significabatur? Solinus quidem dum de Neuris loquitur (b), ità per symbola idololatricum eorum cultum exprimit. *Populis istis Deus Mars est: prò simulacris enses colunt.* Et Pomponius Mela. (c) *Mars omnium Deus: ei prò simulacris enses, & tentoria dedicant.* Arnobius itidem de Gentilibus verbum faciens, ità Ethnicos colloquitur: (d) *Ridetis temporibus priscis Persas fluvium coluisse, memoralia ut indicant scriptae; Informem Arabas lapidem: Acinacem Scythiae nationes: Ramum prò Cinxia Thespios: Lignum Icarios prò Diana indolatum: Pessuntios silicem prò Deum Matre: Prò Marte Romanos hastam.* Cùm igitur Arca Foederis verè, & propriè fuerit simulacrum D.O.M. eodemque jubente fuerit in Templo reposita, ac ibidem latriae cultu fuerit ab Israële adorata, qua fronte, qua audacia potest unquam adseri nefas esse Christiano collocare in Templo simulacrum Dei Patris? Sicut enim illa Dei majestatem repraesentabat, ideòque dicebatur *sedere super Cherubim* Deus ipse per eam repraesentatus (e), cùm non semel sedes prò imagine, & ex Divino eloquio, & ex Ethnicis Scriptoribus usurpetur (f). Sic pariter Dei Majestas effulget, & repraesentatur per simulacrum effigiatum, seu faciatum. Ipse porrò, qui Patribus adparuit, per simulacrum praefatum exprimitur, ejusque gloria, & majestas manifestatur, dum coloribus, ac lineamentis exprimitur modus, quo se illis videndum praebuit. Quid enim refert, quòd in aëreo corpore vario lucis colore distincto conspicuus fiat, & quòd terrenis coloribus pennicillo distentis propatulus reddatur? In utroque imago, in alterutro simulacrum. Primum eo operante visum, adoratumque fuit, Alterum etiam, ut videatur à Populo, & à fidelibus adoretur, fas est, ut collocetur in Templo.

Nec quidem praesens, quam Novatores carpunt, Ecclesiae consuetudo pingendi Dei Patris simulacrum aliò spectat, quàm ad ejus Majestatem religiosa expressione manifestandam. Pingitur quippe in forma Venerandi Senis, candido indutus amictu, thiara redimitus capite, & nubibus obvolutus. Sed procul dubio hisce symbolis distinctus ille met exprimitur, qui est principium, fons,

(a) *R. Moyses in* More Neuchim.
(b) *Solinus* Capite XX.
(c) *Pomponius Mela* Libro *II. Cap. I.*
(d) *Arnobius Philosophus Christianus Anno CCCIII. clarus* Lib. *VI.* adversùs Gentiles.
(e) *Psalm. LXXIX.* Qui sedes super Cherubim.
(f) *Philostratus* Lib. *II.* de vitiis Sophistarum in Herode καὶ κατίοι ες ἀκαδημίαν τὸ τῦ Διονύσου ἕδος: Et descenderet in Academiam Dionysii sedes, *idest*, simulacrum. *Vide* Dissertationem de cultu Sanctorum *Johannis Fronsonis*, & Dissertationem *N. Natalis. De Arca autem, quae erat imago Dei dicitur Psal. XCVIII.* Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est. *I. Paralipomenon XXVIII.* Cogitavi, ut aedificarem domum, in qua requiesceret arca foederis Domini, & scabellum pedum Dei nostri. *Ex Psalmis hìc laudatis Arca foederis dicta fuit sedes Dei.*

Digitized by Google

fons, & Origo divinitatis, Omnipotens Genitor omnia regens, majestate sublimis, qui ità se conspicuum Patribus fecit. Sic prae ceteris Daniel Cap. VII. eum vidit, & memoriae tradidit. *Antiquus dierum sedit: vestimentum candidum, sicut nix: capilli capitis ejus, quasi lana munda: Thronus ejus quasi flamma ignis.* Eumque utpotè Regem *sedentem super thronum excelsum, & elevatum* vidit Isaias Cap. VI. Sic pariformiter reliquis Patribus se conspicuum fecit in Veteri Testamento. Dum igitur eo modo, quo se conspicuum reddidit Deus, Ecclesia Patrem in tabulis, aut telis, coloribus distinctum exprimit, Deo morem gerit, ejus Acta commendat, & dum in Templo sic expressum ejus simulacrum collocat, Religionem fovet, Deo obsequitur, & fidelibus prodest.

Et nonne (ut ex altero capite veritatem ostendamus) dum fideles Ecclesiam intrantes Deum Patrem sic depictum, aut quovis alio modo effigiatum intuentur, ex visibilibus ad invisibilia confestim devenientes, & fide majestatem ejus venerantes, procumbunt in genua, adorant in Coelis sedentem, & sancto repleti timore modestiam in Templo servant, & devotionem colunt? Dubio procul id universim, qui veri fideles audiunt, exercent. Nec vel rudioribus, modò instructis, causa ulla est errandi laudata effigies Dei Patris sedentis in Templo; quin potius ex his, quae animus novit, surgendi ad incognita, quae non vidit, est incentivum. Quòd si fortè fortuna, id ex confecto momento nefas foret, illicitum quoque esset pingere Spiritum Sanctum in forma columbae, sicut in Jordane adparuit; quinimò scelus non leve foret pingere ipsum Dei filium Crucifixum, quum in humanitate expressus, contumeliisque refertus, & cruci suffixus non Dei filium, qui se obtulit in redemtionem, factum maledictum prò populo, sed reapse fontem manifestet. Sicut enim rectè collocatur in Templo Crucifixi imago, ut ex ea animi fidelium benè instructi surgant in congnitionem Dei veri, qui propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cùm adhuc inimici essemus, tradidit semetipsum prò nobis Sic pariformiter jure summo Dei Patris simulacrum in Ecclesia collocatur, ut ex ejus adspectu fideles benè instructi, & quid Deus in Veteri, aut Novo Testamento fecerit, cognoscant, & ex exterioribus lineamentis ad inscrutabilem Majestatem ejus mente devenientes, venerentur Regem, timeant potentem, adorent Majestatem, confiteantur Trinitatem in Personis, & in essentia unitatem.

Et quidem (ut ex III. Capite res propatula fiat) mirari satis occurrit, quomodo scituli quidam recentiores Magistelli, ità scrupulis ex religionis momento in praesentiarum angantur, quando adhuc prioribus Ecclesiae Seculis Viri summi pietate, & doctrina insignes liberè Dei Patris simulacrum collocarunt in Templo, & nedum absque ullo scrupulo, verùm, & religiosè nimis, nimiùmque prudenter. Citrà omnem dubietatis aleam, vel horumce dumtaxat exemplum, vel illius avita disciplina poterat eos à deliriis coërcere, eorumque conscientiam, ex errore, & ignorantia trepidantem, perfectè quietare. Nec quidem ità serò, ut Binghà-

Digitized by Google

mus adſerit, nimirùm poſt II. Nicaenam Synodum, VIII. nempe Seculo, eam conſuetudinem vigere coepiſſe, exiſtimandum eſt, (quamvis, vel ea jam probata diſciplina, totque Seculorum curriculo retenta, ſolidioris monumenti loco foret ad omnem dubietatem procul abigendam) ſed longè ante, ut ex Hiſtoria Eccleſiaſtica benè librata colligere fas eſt. Refert quidem S. Paulinus Nolanus Epiſcopus in Baſilica, quam in honorem S. Felicis extruxerat, ipſo demandante fuiſſe muſivo opere imaginem SS. Trinitatis depictam. Et quidem expreſſis, diſtinctiſque per ſimulacra Perſonis; nec certè Primam Patris per ſolam vocem deſuper tonantem, fortaſſè litteris expreſſam, ut Binghamus praeposterè interpretatur, ſed diſtinctam per imaginem effigiatam deſuper Chriſtum è Coelo, veluti divinitatem ejus conſeſtantem. Hoc totum clariſſimè liquet ex verſibus ejuſdem S. Paulini, ex quibus, ſicut apertè colligitur Apoſtolos itidem fuiſſe per imagines effigiatas, ſeu per ſimulacra diſtinctos (quod nec inficiatur Binghamus, patetque ex aliis ejuſdem Paulini carminibus, aliiſque Divis, quos in parietibus pictos adfirmat, eſſò Apoſtolos itidem allegoricè in carmine *columbas* dicat:) Ità pariformiter Patris Perſona per ſimulacrum indicatur, dum dicitur Coelo tonare, charactere nempe adſumto ad eam diſtinguendam. Sic enim ait: (a)

Pleno coruſcat Totius Trinitatis Myſterio.
Stat Chriſtus Agnus: Vox Patris Coelo tonat,
Et per Columbam Spiritus Sanctus fuit.
Crucem corona lucido cingit globo;
Cui corona ſunt corona Apoſtoli,
Quorum figura eſt in columbarum choro.

Quod firmius contrà Binghamum oſtenditur, cùm Paulinus haud rem à ſe primùm inventam tradat, ſed pridem in Eccleſia ſervatum deſcribat. Et quidem fuiſſe longè ante Paulini tempora conſuetum fidelibus Dei Patris ſimulacrum effingere in lapide, aut in ligno inſculptum, tradit Lactantius Firmianus, qui deſcribens Ethnicorum furorem in evertendis Chriſtianorum Templis, ità ſubdit. (b) *Devulſis foribus, ſimulacrum Dei quaeritur, Scripturae repertae incenduntur, datur omnibus praeda.*

Quid inſuper roboris non addit eadem deinde continuata diſciplina, & conſuetudo pingendi in Eccleſia Dei Patris ſimulacrum tot annorum curriculo ſervata poſt Nicaenum II. Concilium, & ad haec uſque tempora ab omnibus cuſtodita, nec unquam aliquo Eccleſiae decreto interdicta, ſed ſemper operè confirmata? Procul dubio vel ex communi ſententia Paſtorum, quibus detrahere nefas eſt, & iniquum: ex concordi calculo Theologorum, quos ſuſpicere jure ſummo debemus, fas eſſe Dei Patris ſimulacrum in Eccleſia collocare apertè colligitur. Quare illud Angelici Doctoris identidem hic uſurpare oportet. (c) *Maximam habet authoritatem Eccleſiae conſuetudo, quae ſemper eſt in omnibus aemulanda.*

Occurrunt tamen adverſarii, & multifariàm Apoſtolicum decretum impetere conantur. Et primùm ex aperti-

(a) *S. Paulinus* Epiſtol. *XII.* ad Severum Sulpitium.

(b) *Lactant.* de mortibus perſecutorum *C.* 12.

(c) *S. Thom.* 2. 2. *Q. X. Art. IX.* in corpore.

Digitized by Google

tissimo (ut ajunt) testimonio M.P. Augustini dicentis: (a) *Simulacrum Deo nefas est Christiano in Templo collocare*. Et quidem, ut adversarii adnotant, adpellat M. P. ad Ecclesiae vetitum, quo hasce imagines fieri absolutè prohibetur: (b) *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur*. Deinde illud confirmant ex testimonio Scripturarum. Exodi XX. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quae est in Coelo desuper, & quae in terra deorsum, nec eorum, quae sunt in aquis sub terra*, &c. Quare Binghamus ex eo probat in Ecclesia S. Felicis à S. Paulino memorata dumtaxat Dei Patris vocem, secùs verò Personam, fuisse depictam, characteribus, nimirùm, expressam, quia id conforme est Divino Eloquio, in quo perhibetur solam Dei vocem fuisse à Populo in Monte auditam, sed Dei loquentis personam nullatenus fuisse visam. Hinc loquens de Christianis V. Seculi, apud quos ea consuetudo characteribus exprimendi Dei vocem primùm vigere coepit, sic ait: (c) *Et hos faciebant ad ductum sacri textus Deuter. IV. 12. Allocutus est vos Jehova è medio illius ignis, vocem verborum ejus audistis, & similitudinem nullam animadvertistis praeter vocem*. Similiter addunt. In Concilio Nicaeno II. ubi de Sacris imaginibus ex professo, & ubertim est actum, nec jota quidem est observare de imagine Dei Patris; quinimò, vel ex eo luculenter ostenditur eam omninò vetitam, quum ibi idcircò Angelorum imagines permittantur, quia sicut isti utpotè corporei possunt circumscribi, ità possunt depingi (d): Quod cùm nefas sit, vel somniare de Deo, illicitum est omninò ejus simulacrum efformare, & sacrilegum est illud collocare in Templo. Tandem, ut evertant Romani Pontificis dogmaticum decretum, opponunt magni nominis Theologos, qui apertè adseruerunt illicitum omninò esse formare imaginem Dei, nimirùm Henricum Gandavensem (e), Peresium (f), N. Durandum à S. Portiano (g), Alphonsum Toslatum (h), aliosque, praesertim Theologorum Principem S. Thomam Aquinatem (i).

Verùm erroneè nimis argutantur, qui ista opponunt. Et ut singillatim eorum commenta elidantur. Dicimus in primis, quòd M. P. Augustinus non adseruit nefas esse Christiano collocare in Templo Dei Patris simulacrum eo modo, eademque ideâ, qua in praesentiarum nos illud collocamus, nimirùm, ad majestatem ejus indigitandam, dum eum ità exprimimus, sicut adparuit Prophetis; sed illicitum id dumtaxat, & optimè quidem docuit, dum sic exprimitur, ut ejus natura per imaginem manifestetur: idque constat ex integro ejus textu, non ex mutilo ab adversariis laudato. Sic enim scribit Aquilinus Doctor: „ Credimus etiam, quòd SEDET „ AD DEXTERAM PATRIS. N.c

„ ideò

(a) *S. P. Augustinus* Libro de Fide, & Symbolo *Cap. VII.*
(b) *Concil. Eliberitan.* Canone *XXXVI.*
(c) *Bingham. ubi suprà.*
(d) *Concil. Nicaen. II.* Actione V.
(e) *Henric. apud N. Natal. Alex.* Histor. Ecclesi. Sec. *VIII.* Dissertatione *XVI.*
(f) *Peresius* de Traditionibus *P. III.* Tractatu de Imaginibus.
(g) *Durandus in III.* Sentent. Dist. *IX. Q. II.*
(h) *Tostatus in* cap. *IV.* Deuteron. Qu. V.
(i) *S. Thomas III. P. Qu. XXV.*

Digitized by Google

„ ideò tamen, quasi humana forma „ circumscriptum esse Deum Patrem „ arbitrandum est, ut de illo cogitantibus dexterum, aut sinistrum latus „ animo occurrat: aut idipsum, quòd „ sedere Pater dicitur, flexis poplitibus „ fieri putandum est, ne in illud incidamus sacrilegium, in quo execratur „ Apostolus eos, *qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis*. Tale enim simulacrum Deo nefas est Christiano „ in Templo collocare, multò magis „ in corde nefarium est, ubi verè est „ Templum Dei, si à terrena cupiditate, atque errore mundetur.„ Quum ergò errore detecto, eoque exsibilato dicat Augustinus *tale simulacrum*, quod Dei naturam corpoream exprimat, nefas esse Christiano in templo collocare, nonne dumtaxat Audianorum, seu Antropomorphitarum (a) errorem ventilat? Dubio procul id unum fuit in votis Augustino, praecipuè cùm tunc extarent adhuc reliquiae horumce nebulonum, qui decepti ex illo *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*. Geneseos I. sibique perperàm adscisentes testimonium Tertulliani (b), Deum humana figura circumscriptum effutiebant. Et quidem summo jure tunc temporis id illicitum esse adsertum fuit à Pastoribus: Cùm res ad disciplinam spectans ex momento ritè posset, aut suspendi, aut aboleri, & prò temporum diversitate, multifariàm sit actum, ut in id genus innumeris constat. Adeòque etiam eo ex momento tunc id licuit Augustino, ne fortè imago Dei Patris in Throno sedentis ex Religionis momento collocata in Templo ad majestatem Supremi Divini Numinis manifestandam, aut ne Vitilitigatoribus occasio foret firmandi errorem, aut rudioribus incentivum prolabendi in eum, quod totum ex addendis clariùs innotescet.

Ad id, quod additur ex Concilio Eliberino, facilis, & expedita foret responsio Cl. Annalium Parentis Baronii adserentis (c) suppositicium eum esse Canonem, quem ipse à Veteribus Iconoclastis adjectum suspicatur. Verùm quia universim eruditi, & emunctae naris Critici (d), uti genuinum laudatae Synodi eum Canonem excipiunt, vindicantque, idcircò dicendum est alio ex momento, eoque longè à re nostra, fuisse laudatum Canonem procusum. Primò, nempe, ne penitiora Christianae Religionis mysteria, quae etiam Catechumenis celabantur, & nonnisi post plenariam illuminationem eisdem enucleabantur, haud nota fierent omnibus universim, graecisvè Ethnicis, Judaeis, ceterisque fidei hostibus, qui facillimè poterant traducere illa, & in Catholi-

cos

(a) *Haeresis* Anthropomorphitarum *ab Audaeo originem habuit IV. labente Seculo, ut ex Epiphanio refert Augustinus* Lib. de Haeresib. ad Quod vult Deus Haeresi L.

(b) *Quia Tertullianus* Lib. de Carne Christi *Cap. VII. inquit*: Omne, quod est, corpus est sui generis, nihil est incorporale, nisi quod non est. *Existimarunt nonnulli Tertullianum Anthropomorphitis praeiviisse. Verùm alii, nec inerudisti, eum vindicarunt, & nomine* corporis. *Tertullianum intellexisse* ens reale *dixerunt, praecipuè cùm* latissimè *corpus usurpet. Idque confirmarunt ex aliis Tertulliani libris praecipuè* Apologetici *Cap. XX.* de Baptismo *Cap. VII. &* adversùs Praxeam. *Vide Antonium Boucat* Dissert. *III.* de Essentia, & Constitutivo Dei.

(c) *Cardin. Baronius* Tom. *I.* Annalium ad An. Christi LVII.

(d) *Bellarminus, Bona, Cabassutius, Albaspinaeus, Pagi, Mendoza, NN. Gutti, Natalis Alexander, aliique mox laudandi.*

Digitized by Google

eos recudere fabam de idololatria, quam isti objiciebant Paganis (a). Secundò ne aut simpliciores, & non dum perfectè instructi seducerentur, aut Idololatrae in proprio firmarentur errore circà Dei naturam, nefas existimarunt esse humanis membris circumscriptum pingere invisibilem incorporeumque D.O.M. (b). Tertiò tandem ne à barbaris impetum in Christianos, eorumque Sacra facientibus violarentur Sacrae imagines, vetitum fuit, ne quod colitur in Coelis, in parietibus pingeretur. Et consultò additum, seu expressum fuit: *ne in parietibus depingatur*, ut ostenderent, notumque facerent laudati Patres haud absolutè vetitum pingere Dei Patris imaginem, sed depingere illam in parietibus, è quibus cùm avelli nequirent, dubio procul ludibrio exponebantur, & furori barbarorum impetum facientium in Christianos, & Sacra eorum. Ne igitur ità violarentur Sacrae imagines, in *parietibus depingi* vetitum fuit: secùs verò in tabulis, ac telis, quae facillimè amoveri, celarique poterant persecutoribus classicum canentibus, sicut celari poterant Sacri calices, & cetera Sacra Ecclesiae vasa, codicesque Divini (c). Quo etiam ex momento, nimirùm, ad irreverentiam evertendam, Theodosius, & Valentinianus legem promulgarunt, ne signum Crucis in silice humi sculperetur (d), quod itidem sanxit Concilium Quini-Sextum, & causam addidit (e) *Ne incedentium conculcatione, quod victoriae nobis trophaeum est, injuria afficiatur*.

Neque ullum Acatholicis, ceterisque errantibus patrocinium affulget ex laudata Illiberina Synodo, etiamsi ejus lex prohibens absolutè spectetur: quandoquidem vel ex ea vindicatur avita, probataque Ecclesiae consuetudo collocandi in Templo imaginem Dei Patris. Ex quo enim peculiaris lex ex speciali momento alicubi aliquod prohibet, idque non ut primùm adinventum, sed dumtaxat statu tempore ex causa vetat, signum evidens est, quòd primitùs id probata consuetudine tenebatur. Et vel ex eo primaeva disciplina pingendi Dei imaginem confirmatur, quia, ut Lactantius tradit, in laudata simulacra Gentiles Templa Christianorum occupantes, furebant, eaque, ut reperirent abscondita, operam adhibebant. Quod ut firmiùs ostendatur, nonne suffocatum, & sanguis licita erant pridem cunctis fidelibus, etsi ex momento pacis servandae Gentiles inter, & Hebraeos ad fidem conversos, lex prohibens illorum usum lata fuerit in Concilio Hierosolymitano? Jure summo pariter Ezechias ad coërcendam Ebraeorum idololatriam confregit combussitque serpentem

(a) *Ità sentiunt Mendoza* not. in Concil. Eliberitan. C. *XXXVI. Cardin. Bona* Rer. Liturgic. Lib. *I. c. XVI. n.* 2. *Emmanuel Schelstrate* de disciplina Arcani *Cap. VI. Art. 3. Antonius Pagi* Critic. in Baronium An. LV. n. V. *Gabriel Albaspinaeus* in Can. *XXXVI.* Concil. Iliberitani.

(b) *Albaspinaeus ibidem. Dionysius Petavius* de Incarnatione Lib. XV. *Cap.* 14. *NN. Natalis Alex.* Hist. Novi Testam. Sec. *III.* Differ. *XXI. & Card. Gotti* Vera Eccles. Christi, De Sacris imaginibus *Art. XVI. §. X. aliique*.

(c) *Ità exponunt laudatum Canonem Cardinales Bellarminus* Lib. *II.* de Imaginibus *cap. 9. & Perronius* in Act. Collat. Fontisb. *Johannes Gabassutius* not. in Can. *XXXVI.* Concil. Eliberini, *aliique*.

(d) In Codice Justinianaeo L. *I.* Tit. *VIII.*

(e) *Synod. Trullan.* Canone *LXXIII. Vide NN. Natalem, & Gotti, ubi supra, lege etiam Johannem Antonium Delphinum* Li. *III.* de Eccles.

Digitized by Google

tem aeneum, quem in Religionis tesseram, & in signum Moyses Deo jubente in deserto erexit, quem, cùm percussi à serpentibus, adspicerent sanabantur. Dum igitur gravi ex momento Illiberitana Synodus usum imaginum Dei Patris, imò quorumcumque etiam Coelitum, inhibuit, signum evidens est, quòd ex se haud oberat Religioni cessante periculo, cujus caussa illorum usus vetitus fuit.

Sed tandem dato, & non concesso, quòd Illiberitana Synodus absolutè, ut primitùs adinventum, usum imaginum Dei Patris (de imagine Christi Servatoris, & Apostolorum extant dilucida testimonia Tertulliani (a), Eusebii Caesarienſis (b), D. Hieronymi (c), omniumque Ecclesiae Patrum (d)), nedum in Ecclesia collocandam, sed absolutè efformandam vetuerit: quid ad rem? Aliud quippe est dogma, aliud est disciplina: Cultus, & efformatio imaginum ad dogma pertinet, usus autem earum ad disciplinam: primum invariabile est, avitum, perpetuum in Ecclesia Dei: posterior verò sicut mutationem subire potest, sic etiam serius originem potest habere; quare nil mirùm, quòd tribus prioribus Ecclesiae Seculis, aut ex disciplina arcani, aut ex momento averruncandi scandalum, aut quocumque ex alio fine haud viguerit laudatae Dei Patris imaginis usus, sit etiam, & cererorum Coelitum, etiam Christi Domini. Sat est, quòd dogma divinitùs traditum servarit Ecclesia, quod & semper retinuit, & pace Ecclesiae reddita, per exteriorem disciplinam confirmaverit, ut ex hucusque dictis abundè clarescit.

Ad illud verò, quod ex Divina lege depromtum objiciunt Heterodoxi, estque vetus insulsa eorum cantilena, dicimus nullum nobis facessere negotium: siquidem Dominus introducturus populum suum in terram alienigenarum varios adorantium Deos, variaque sub imagine falsa Numina colentium, omnia idola sub nomine *sculptilis* prohibuit Ebraeis, omnemque imaginem eo ex momento interdixit. Quare non veri Dei simulacrum, sed falsorum Numinum icones fieri vetuit; idque clarissimè colligitur ex verbis cùm antecedentibus, tum subsequentibus, recta illorum serie servata. Praemittuntur enim ibi haec verba: *Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me*. Ista verò subsequuntur: *Non adorabis eos, neque coles*; idola, nimirùm, Deos alienos repraesentantia. Quare septuaginta interpretes prò *sculptili* vertunt εἴδωλον *idolum*; & Moyses versu vigesimo tertio ejusdem Capitis Divinum illud interdictum de sculptili non faciendo clarius

(a) *Tertullianus* Lib. de Pudicitia Cap. X. *refert apud Christianos consuetum usum sculpendi imaginem Boni Pastoris ovem deperditam in humeris deportantis.*

(b) *Eusebius Caesarienſis* Lib. VII. Histor. Ecclesiasticae Cap. XVIII. *tradit Caesareae Philippi, quam Paneadem dicunt, Hemerrhoissam Christi aeneam Statuam erexisse, ad cujus pedes in basi ignota quaedam herba nascebatur, quae ad fimbriam usque aeneae diploidis assurgens depellendis omnis generis morbis praesentissimum remedium erat.*

(c) *S. Hieronym.* in Cap. IV. Jonae *memorat imagines Apostolorum depictas in vasculis Ecclesiae.*

(d) *Ità S. Ambros.* Epist. LIII. *S. Greg. Nyssen.* Orat. in Theodorum Martyrem. *Et alibi S. August.* lib. I. de consensu Evangelistarum, *aliique apud laudatos Theologos.*

Digitized by Google

rius explicat his verbis: *Non facietis Deos argenteos, neque Deos aureos*. Quapropter duae illae sententiae: *Non habebis Deos alienos in conspectu meo*, &: *Non facies tibi sculptile*, &c. unum indivisumque conflant praeceptum, ut Patres docent (a): alioquin non decem, sed undecim forent Decalogi praecepta, neque idcircò *Decalogus* dici posset, ut constat. Ut autem obstruatur os Binghami, & sociorum loquentium falsa, & adpellantium ad Hebraeorum leges de sculptili non faciendo, eis oppono R. Moysen Maimonidem inter Hebraeos eruditissimum, qui, etsi adserat Hebraeis absolutè vetitum imaginum usum, etiam ornatus gratia, causam tamen adsignat, ex qua res nostra contrà oppositores firmatur. (b) *Ne per eas seducantur errantes, atque existiment idololatriae causa factas*. Objicio itidem eis è Schola Protestantium hebraicè doctissimum Johannem Seldenum, qui rem totam eruditè expendit. (c) *Neque Noachidis, nedum Israëlitis, apud ipsos permissum est quidpiam, quod ex civili, & singulari Israëlitis jure ideò vetitum, ne fortè idololatriae animis in eam pronioribus occasionem, seu ansam praeberet, utcumque per se, seu jure Noachidarum, aut naturali non omninò illicitum*. Idque evidentissimè constat ex ipso Dei Verbo Scripto. Si enim universim sculptile omne fuisset interdictum Hebraeis, idque Divino naturali jure (ut ex eo illicitum ostendere conantur Oppositores Dei Patris simulacrum) procul dubio Deus ipse, qui hanc tulit legem, haud permisisset Ebraeis in Templo super Arcam Cherubinorum simulacra collocare (ut serpentem aeneum in deserto erectum, aliaque animalium simulacra Deo jubente formata silentio praeteream). Quum autem id Deo mandante sit factum, non utcumque sculptile fuit vetitum Judaeis, sed dumtaxat idolum. Plura itidem supeterent ad exsibilandum Novatorum commenta petita ex hoc Divino naturali jure de sculptili haud formando, praesertim numismata, in quibus Moysis imago, aut etiam Tauri, vel Unicornis, &c. effigies impressae fuerunt, & ab Eruditis, etiam de Schola *Reformatorum* percensentur (d): verùm ne ultrà, quàm fas est, digrediar, fortasse alibi ea de re ex professo acturus, satis sit haec solùm indigitasse, ut ad reliqua Binghami commenta protinùs impugnanda occurram.

Et quidem praeposterum est, quod

(a) *Patres, qui ità sentiunt, sunt Clemens Alexandrinus* Libro *VI.* Stromatum, *S. Hieronymus* in Psalmum *XXXII.* & *S. Augustinus* Quaestione *LXXI.* in Exodum, & Epistola CXIX. ad Januarium. *Vide S. Thomam* 2. 2. *Qu. CXII. A. II.* & *Guillelmum Estium* in Cap. XX. Exodi.

(b) *Rabbi Moses Maimonides* lib. de idololatria *Cap.* 3. *Maimonides hic natus Cordubae Ann. Christ.* 1135. *Septuagenarius obiit, ut Job. Marshamus in* Canone Chronologico *scribit. In Aegypto scholam erexit, unde à pluribus dictus fuit* Moses Aegyptius, *calluit linguam Hebraicam, Chaldaicam, Arabicam, Turcicam, Graecam, Philosophiae, Theologiae, Jurisprudentiae, & Medicinae peritissimus: certè omnium* doctissimus, scientissimus, & acutissimus, *ut tradunt Scaliger* Canone Isaico lib. 3. *Mercerus* Praetar. in Job, *Seldenus* de Synedriis Hebraeorum *lib.* 3. *cap.* 3. *& alii*.

(c) *Johannes Seldenus* de Jure Naturae, & Gentium juxtà disciplinam Ebraeorum *lib.* 2. *c.* 2: *fol. mihi* 136. *edit. Argentor.* 1665.

(d) *Johannes Seldenus ibidem* Cap. *VI. Stephanus Morinus* de Lingua primaeva Exerc. *Cap. IX.* de Nummis Ebraeorum. *In domo Davidis fuisse statuam, qua Michol uxor ejus usa est ad fallendum satellites Saulis constat ex* Lib. I. Regum cap. 19.

Digitized by Google

Binghamus addit ad suam adsertionem firmandam, nimirùm, vocem Dei desuper tonantis fuisse à S. Paulino in Nolano Templo characteribus expressam, conformiter ad illud Deuteron. VI. ubi Dominus vocem suam dumtaxat sensibilem Populo fecit, similitudinem autem suam nullam expressit. Quid enim ad rem, quòd Dominus Israëli dumtaxat vocem suam obtecta persona manifestavit? Numquid ne semper id egit? Minimè gentium. In monte quidem legem daturus Majestatem suam signis, & prodigiis ostendit, eisque vocem suam sociavit, ut fidem suis verbis praestaret populus signorum portentis adactus, Judicisque supremi pertimesceret iram, ne contemneret inibi in Monte latam ab eo legem. Ex quo autem alibi aliis suam Majestatem ostendit in exteriùs formato corpore Supremi Divini Numinis gloriam praeseferente, licitum est eum ità exprimere, aut pictura, aut sculptura, ad eandem gloriam manifestandam. Quapropter sic ad hominem impugno Binghamum, & catholicum dogma confirmo. Fas fuit ex eo Dei vocem characteribus exprimere, quia Deus, etsi incorporeus, nec potens vocem humano modo proferre, divinitùs eam in aere repercusso formavit. Ergò pariter fas erit Dei Patris simulacrum efformare, quia Deus, etsi summè immaterialis, in visibili materiali externa forma suam Majestatem expressit. Idque, eo vel magis, quia non minùs characteres illi indicant, quid Deus dixerit, quàm lineamenta illa manifestant, quomodo Deus se conspicuum fecerit Prophetis. Utraque signa: cur unum fas, alterum nefas? Certè inter incudem, & malleum Binghamus constituetus suos patitur angustias, quia à Romana Ecclesia veritatis Magistra segrex abscedit.

Utque magis res adversùs eum firmetur. Nonne, ut ipse met tradit, S. Paulinus Spiritus Sancti personam per columbae speciem expressit in laudato Nolano Templo, ut Trinitatem compleret? Utique. Sed cur id licitum, nisi quia in columbae specie super Christum in Jordane conspicuus apparuit? Ità quidem ex sententia Patrum. Licet ergò quoque nobis Dei Patris personam in forma venerandi senis, supremique Regis coloribus, aut sculptura expressum in Templo collocare, quia sic apparuit Prophetis. Symbolum Spiritus Sancti columba. Symbolum quoque Dei Patris, Originis, fontisque Divinitatis, imago senis canitie decorati triplici redimiti corona, & regio paludamento ornati. Nec quidem alio ex momento, neque ad aliud indicandum Dei Patris effingitur simulacrum, & in Templo sic efformatum collocatur. Quamobrem omni ex capite corruit Novatorum adsertio, & catholica doctrina firmatur.

Remanet modò enodandum, quod ex VII. Synodo objicitur nobis, quodque duritiem aliquam specietenùs praeseferet, sed revera nobis favet, dum totum ad trutinam veritatis juxtà pondus Sanctuarii revocatur. Admittimus quidem, & ultrò, libenterque concedimus, quòd in laudata II. Nicaena Synodo nullum habeatur verbum de imagine Dei Patris, etsi universim de Sacris imaginibus plenus ibi sit sermo. Verùm, quòd ex praefato silentio inferre fas sit omninò illicitum usum efformandi simulacrum Patris, alienum prorsùs

est

Digitized by Google

est à laudati Concilii mente, & scopo. Nihil ibi ea de re actum est, ut ad praesentem quaestionem pertinet; ideòque nulla fuit causa sententiam de illa ferendi. Docuerunt utique Patres laudatae Synodi Dei invisibilis, incorporei, & incircumscriptibilis nullam fieri imaginem, quae ejus essentiam manifestet, quin eo ex momento nefas esse imaginem Dei efformare, quae materialem exprimat illius naturam, apertè docuerunt, ne cum gentilibus conveniremus, & catholica fides labefactaretur: quia id fuit ab Heterodoxis objectum ad evertendas aliorum Coelitum icones, cui venerando decreto collum submittimus, & fasces. At verò, quòd non possit efformari Dei simulacrum ad majestatem ejus enunciandam per exteriora symbola quaedam, quibus se conspicuum reddidit hominibus, nunquam laudata Synodus diffinivit, quia nunquam Heterodoxi ea de re verbum habuerunt. Quae ibidem objecerunt Sacrarum imaginum hostes ex libris Exodi, & Deuteronomii, depromta, quaeque repetunt hodie Novatores, & Binghamus exscripsit, ità expenderunt Patres laudatae Synodi, sicut, & nos nuper explicavimus. Quare potiùs ex II. Nicaena Synodo nobis objecta fas est sagittam in adversarios retorquere, quàm ex ea ullum est pati damnum, ullum pertimescere periculum. Quinimò, ut firmiùs elidatur commentum, ex decretis, momentisque ejusdem Concilii facilè est oppositores ventilare. Cur enim ex laudata Synodo fas est Sanctos Angelos humanis distinctos membris, & hominis forma depictos habere, etiam in loco Sacro, eisque debitum rependere cultum, estò Coelestes illi spiritus nunquam fuerint humanam sortiti naturam? Ex eo procul dubio, & dumtaxat, quia humana specie conspicui in terris conversati sunt cum hominibus; ideò hoc modo pinguntur, ut quomodo aliquando sunt visi ab hominibus, per simulacrum manifestentur, & per signum exteriùs fidelibus repraesententur, quod aliquando peregerunt, Deo mandante, in mundo. Sic enim ex doctrina B. Johannis Thessalonicensis Sacro adprobante Concilio fuit haereticis responsum. (a) *Quid autem forma hominum pingantur* (SS. Angeli) *in causa est, quòd in ea visi sunt, si quando ministerium Dei apud homines objerunt*. Quum enim eo ex momento liceat Angelos humanae speciei expertes sub humana forma pingere ad memoriam, instructionem, & cultum: cur parili ex causa non licet formare Dei Patris simulacrum, quando, & ipse dignatus est Majestatem suam sub laudatis Symbolis venerandi senis, &c. aut alia sub specie se conspicuum reddere Patribus, & Prophetis, Abrahamo, Jobo, Moysi, Ezechieli, Isaiae, Danieli, aliisque? Symbola haec sunt, quae majestatem ejus enunciant, haud verò Divinam naturam manifestant; sicut pariformiter signa sunt Angelici ministerii, quae per juvenum species eos distinguunt. Quomodo ergò fas est ex laudata Synodo pingere Angelos, eorumque imagines in Templo collocare; ità quo-

(a) *Liber B. Johannis Thessalonicensis Episcopi, seu* disputatio cum Gentili *Sacras imagines impugnante, lectus fuit in II.* Nicaena Synodo Actione V.

Digitized by Google

que fas est Dei Patris simulacrum formare, & in Templo collocare.

Neque ullum facessit negotium, quòd in eodem Concilio, idcircò Angelos pingere permittatur, quia isti haud plenè corporeae substantiae sunt expertes (a). Adeòque cùm D. O. M. sit purissimus spiritus, nullimodè fas est ejus simulacrum formare. Quandoquidem non Conciliaris definitio haec fuit, nec causa adaequata. Sententia peculiaris Doctoris, ex Veterum Patrum Platonicae Scholae (b), fuit responsio in laudato Concilio Heterodoxis data; eaque ad explicandum, quare liceret per sensibilia signa Angelorum naturam circumscribere.

(a) *Idem S. Johannes* : Solummodo autem Deus incorporeus, & informabilis. Intelligibiles autem creaturae nequaquam ex toto sunt incorporeae, & imitabiles pictura existunt.

(b) *Patres, qui adseruerunt Angelis ultrà spiritum (quem animam vocare Religio fuit S.P. Augustino* Lib. II. Retractationum Cap. *XII.* & *XVI.*) *inesse materiam quandam subtilem, sive igneam, sive aëream, seu etheream, plures certè fuerunt, & dubio procul ii praesertim, qui fuerunt è Schola Platonis, qui itidem ex illo Davidis ab Apostolo repetiti.* Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis, *docuerunt Angelos haud esse plenè incorporeos, & Deo dumtaxat rationem puri spiritus tribuerunt. Prò hac sententia steterunt ex Graecis Justinus Martyr in* Dialogo cum Triphone, *& in* Apologia I. *Methodius Mart. apud Photium* Codice 234. *Clemens Alexandrinus* Lib. *III.* Stromatum, *Origenes* Lib. *I.* Periarchon in prooemio, *estò in* Libro *VI.* contrà Celsum *oppositum dicat, S. Basilius* Lib. de Spiritu S. contrà Eunomium c. XV. *Severianus Gabelitanus* Homil. *I.* & *IV.* de Mundi opificio, *Caesarius Nanzianzeni frater* Dialogo *I.* interrogatione 58. *Anastasius Sinaita* Qu. *I.* in Scripturam, *aliiqui. Ex Latinis autem ejusdem opinionis fuerunt Tertullianus* Lib. de Carne Christi, & lib. de velandis Virginibus, & lib. contrà Marcionem *cap.* 8 *Lactantius* Lib. *II.* Divinar. Institut. Cap. *XV. S. Hilarius in* Matth. Cap. *V. S. Ambrosius* Lib. *II.* de Abrahamo Capit. *VIII. S. P. Augustinus in* Libris de Civitate Dei *pluries, & alibi, praesertim in* Epistola ad Nebridium (*istò Cl. Cardinalis Norisius ex aliis M. P. monumentis eum hac in re dubium haesisse adfirmet*) *Cassianus* Collatione *VII.* Cap. *XIII. Claudianus* Lib. *III.* de statu animae, *aliique, itaque praesertim, cùm ex Graecis tum ex Latinis, qui in ea fuerunt sententia de carnali Angelorum commercio cum filiabus hominum, ex quibus genuere gigantes, quam alibi impugnavimus. At prò sententia adstruente Angelos omnis materiei expertes, & omninò incorporeos stant reliqui Ecclesiae PP. Ex Graecis nempe Ignatius in* Epistola ad Trallenses, *Gregorius Thaumaturgus, sive quisquis sit author* Homil. in Theophania *inter opera Chrysostomi. Titus Bostrensis* Lib. *I.* contrà Manichaeos, *S. Gregorius Nyssenus* Lib. *XII.* contr. Eunomium, *& in* Epistola de Trinitate ad Eustachium Medicum *inter* Epistolas S. Basilii LXXX. *Eusebius Caesariensis in* Lib. *IV.* Demonstration. Evangel. c. 1. *S. Epiphanius* Haer. XXVI. n. 13. *Theodoretus* Q XX. in Genesim, & Q XXIX. in Exodum, *Moses Bar-Cepha Syrus* Lib. de Paradiso P. *I.* Cap. *VIII. Johannes Philoponus* Lib. *I.* de mundi opificio cap. 16. & 17. *Procopius, aliique apud Sozomenum* lib. *II.* c. 18. *Ex Latinis autem praesertim Marius Victorinus* Lib. *IV.* adversùs Arium, *Julius Africanus* Lib. *II.* cap. 21. *S. Leo M.* ad Turibium cap. 16. *S. Fulgentius* Lib. *IV.* de Trinitate, *S. Gregorius M.* Lib. *II.* Moralium cap. 8. *S. Isidorus Hispalensis* Lib. de differentiis cap. 12. *Hugo Victorinus in IV.* de Trinitate, *aliique praesertim omnes universim Theologi post Magistrum in II.* Sententiar. Dist. *VII. & S. Thomam* I. P. Qu. L. Art. 1. *& LI.* art. 1. & 2. *Vide Cll. Viros Guillelmum Estium in II.* Sentent. Dist. *VII.* §. 3. *Dionysium Petavium* T. *II.* Theologiae Dogmatic. lib. 1. de Angelis cap. 2. & 3. lib. 3. cap. 1. *Ferdinandum Velosillum Episcopum Lucensem* Advert. Theol. Scholast. &c. ad *VII.* Tom. Hieronymi Quaesito *II.* & ad *I.* To. Augustini Quaesito *III. Card. Norisium* in Vindiciis Augustinianis, *Alvarum Gazaeum* Not. in Cassian. Collat. *VII. Johannem Cabassutium* Not. Concil. in *VII.* Synod. Actione *V. NN. Job, Thom. Cassaldum* de Potestate Angelica, *Natalem in* Hist. Vet. Testamenti, *Job. Nicolai* ad margin. S. Thomae *I.* P. Qu. L. Art. 1. *& LI.* Art. 1. *Card. Gotti, & alios Thomistas in* Tract. de Angelis, *sed prae oculis maximè habeas, quod in Concilio Lateranensi sub Innocentio III.* Cap. Firmiter de Summa Trinitate, & fide Catholica *habetur* : Deus utramque de nihilo condidit naturam, spiritualem, & corporalem, Angelicam, videlicet, & mundanam, deinde humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam. *Consule itidem Cl. N. Melchiorem Cano* Lib. V. de locis Theologicis, de Authoritate Conciliorum.

Digitized by Google

cumscribere. Verùm causa adaequata, cur liceret Angelos sub humana specie delineare, ea fuit, quia sub hac forma conspicui adparuerunt Divina ministeria obituri. Et quamvis laudata Synodus huicce sententiae calculum addidisse videatur, dum Tharasio dicenti. *Ostendit autem Pater, quòd & Angelos pingere oporteat, quando circumscribi possunt, & ut homines apparuerunt.* Concilium respondit: *Etiam Domine*: tamen Conciliaris adprobatio fuit solùm circà conclusionem, nimirùm in ordine ad sententiam de licito usu imaginum Angelorum; non autem fuit confirmatio opinionis veterum Patrum, ex quorum sensu Tharasius loquebatur: praesertim quia id obiter fuit ab eo dictum, nec ulla ea de re disquisitio facta fuit à Patribus laudatae Synodi, nec ibi unquam, vel verbum de Angelica natura habitum fuit. Idque vel ex eo praecipuè luculenter innotescit, quia in eodem Concilio *Actione VII.* Euthymius Episcopus in professione fidei, quam nomine ipsius Concilii se legere professus est, inquit se adorare imagines *incorporalium Angelorum* τῶν ἀσωμάτων. Quinimò etiam si Patres, qui Tharasio adhaeserunt in licito Angelorum imaginum usu ex momento circumscriptionis eorum, in ejusdem sententiam plenè jvissent, quia tamen non conciliariter decretum ea de re ediderunt, nullum pondus eidem sententiae praestiterunt.

Ad illud tandem, quod ex doctrina Vererum Theologorum objiciunt, respondeo, quòd laudati Theologi, aliiqui magni nominis Viri, qui ex adverso possunt laudari, longè à Novatorum commento abierunt. Docuerunt utique Dei invisibilis effingi non posse imaginem, quae ejus naturam repraesentet, & ad manifestandam ejus essentiam velut externum Symbolum se habeat; & jure merito quidem, quia quodcumque externum Symbolum ad eam naturam significandam adsumtum, utpotè materiale, nonnisi corporeum nobis indigitaret Deum, quod nefas, & nefarium est, ut ex Augustino suprà dictum est. Idque clarissimè expendit Angelicus Doctor, qui perperàm nimis opponitur nobis. Cùm enim Theologorum Princeps prius docuisset ex Decalogi praecepto prohiberi efformationem imaginum ad cultum indebitum eis praestandum, seu idolorum, quae Ethnici adorabant, utpotè, quae nonnisi falsos Deos repraesentabant; idque, *quia idem est motus in imaginem, & in rem.* Posteà de imagine veri Dei loquens, subdit idcircò non potuisse ab Ebraeis efformari imaginem Divinae naturae expressivae, quia Deus est summè spiritualis, & spiritus purissimus, cujus nulla res creata potest esse typus. At quòd non possit simulacrum Dei effingi, quo Dei majestas manifestetur, nimirùm, repraesentando quid Deus in Veteri Testamento egerit, vel quomodo se conspicuum fecerit Patribus, dum eis Divina Mysteria patefecit, nullatenùs docet: quinimò ex adverso stat, ut ex ejus verbis apertè constat. Inquit enim: *Ipsi autem Deo, cùm sit incorporeus, nulla imago comporalis poterat poni, quia ut Damascenus dicit* (lib. 4. cap. 17.) „ insipientiae summae est, & „ impietatis figurare, quod est Divi„ num.„ *Sed quia in Novo Testamento Deus factus est homo, potest in sui imagine corporali adorari.* Solummodò igitur imaginem

Digitized by Google

ginem illam Dei, quae figuraret *Divinitatem*, ex Damaſceno docuit Angelicus illicitum fuiſſe formare Judaeis; (& nos iterùm iterùmque repetimus), quod è contrà evenit in imagine Redemtoris, quia cùm Verbum Caro factum ſit, & intimè ſit ei unitum, itàut in unica perſona duae ſubſiſtant naturae, verè in imagine exteriori repraeſentatur Deus, & homo, quia in humanitate, quam figurat imago, verè relucet Deus. *Vidimus eum quaſi unigenitum à Patre plenum gratiae, & veritatis.* Joh. I. Quod clarius innoteſcit ex textu Damaſceni, quem laudat Angelicus, & ex quo ſuam firmat doctrinam. (a) *Praeterea quiſnam eſt, qui inviſibilis, & incorporei, incircumſcriptique, ac figura vacantis Dei ſimulacrum efficere quaeat? Unde extremae dementiae, ac impietatis fuerit DEUM figurare. Atque hinc eſt, quòd in veteri Teſtamento minimè tritus erat imaginum uſus.* Neutiquam verò, ſive ex Damaſceno, ſive ex Aquinate colligi poteſt nefas eſſe illud efformare Dei Patris ſimulacrum, quod ſolùm hiſtoriam denotet, & in hiſtoria Majeſtatem Dei Patris manifeſtet, ut eſt in uſu Eccleſiae Romanae, & optimè ex utroque Theologorum Coriphaeo, Orientali, nempe, Damaſceno, & Occidentali Aquinate obſervarunt tres Cll. Ordinis noſtri Theologi Johannes Nicolai (b), Franciſcus Combefiſius (c), & Michaël Lequien (d).

EXERCITATIO XVI.

XXVI. PROPOSITIO.

Laus, quae defertur Mariae, ut Mariae, vana eſt.

ITerùm grunniunt contrà Sacratiſſimae Virginis Mariae decorem, & gloriam Hetorodoxi Romanae fidei hoſtes; certè pejores Turcis, qui ſumma veneratione Deiparam colunt (e). Iterùm contrà venerationem, & laudem Coelorum Reginae blaterant Novatores pietatis, & Religionis expertes, è quorum certè deliriis praeſens haec, jure maximo confixa, theſis fuit excerpta, & à nebulonibus venditata. Verùm, ut ingenuè fatear, non *ità* apertus eſt ejus ſenſus, ut confeſtim poſſit, ut fas eſt, ventilari: cùm variam poſſit ſubire explicationem ex vario mentiendi momento Acatholicorum. Neque Orthodoxi Theologi, qui in ea impugnanda operam navarunt, dilucidarunt eam; ſicut nec omnia, quae unus ex eis in medium protulit, momenta, etſi ad pietatem faciant, opportuna ſunt, quae commendentur, utpotè inermia ad elidendos Vitilitigatores. Quare ut meum qualecumque judicium de ea feram, etſi minùs ſapiens, non omittam; ſed priùs, quae ab haereticis revera prodierunt, commenta in medium proferam; deinde ex eiſdem ſenſum damnatae theſis aperiam, apertumque impugnabo.

Uni-

(a) *S. Joh. Damaſcen. ibid. ex editione N.* Michaëlis Lequien.
(b) *Joh. Nicolai* ad margiem S. Thomae *ibid.*
(c) *Franciſcus Combefis in* Epiſtolam S. Germani Conſtantinopolitani Patriarchae.
(d) *Mich. Lequien* not. in Damaſcen Lib. IV. de Fide Orthodoxa Cap. *XVII.*
(e) *Vide Johannem Bonifacium* Lib. *II.* C. 16. Hiſtoriae Virginalis.

Digitized by Google

Universim contrà Virginis cultum *Reformatos* dimicasse, saltem ex communi eorum systemate, (etsi quamplures fortasse veritate devicti longè aliter loquantur (a)) quo Sanctis omnibus adimitur, utpotè puris creaturis, in derisum etiam revocata concordi Theologorum calculo probata distinctione cultus religiosi in latriam, hyperduliam, & duliam (b), nemo est, qui ambigat, modò in Polemica Theologia non sit peregrinus: adeòque cùm solùm, solique D.O.M. cultum, venerationem, & laudem fore rependendam adstruant, laudem certè abripiunt Deiparae, quae etiam ut Dei mater est, creatura est. Non defuerunt itidem procaciores quidam, qui ejus vitam carpserunt (c), & in Sole maculas notantes, easque chimericas, & ex propria iniquitatis penu depromtas, laudis immeritam dixerunt eam, seu personam hanc Sanctissimam, *quae, ut ad conceptionem Verbi pertingeret, meritorum verticem suprà omnes Angelorum choros, usque ad Solium Deitatis erexit*, ut S. Gregorius M. optimè scripsit(d). Alii tandem, vel ex eo dedignantes laudare Sacratissimam Virginem, quia nuperà est, & recens in Ecclesia laus ejusdem, haudque consuetа Patribus prioris aetatis (e), nullimodè laudandam à fidelibus adstruxerunt, variàmque stigmatizarunt laudem, quae à Romanae communionis viris ei defertur. Ex hisce ergò Novatorum blasphemiis conflata haec thesis duplicem potest habere sensum, vel I. nimirùm. Quòd laus, quae defertur Mariae, ut Mariae, ideſt praecisivè, ut talis persona est, & seorsim à Maternitate filii Dei, sit omninò

(a) *Religiosum cultum à Sanctis omnibus, Deo solùm excepto, abjudicant Novatores, verùm longe aliter aliqui Doctiores Protestantes, qui adseruerunt religioso cultu primario terminato ad Deum, secundarò ad Sanctos propter Deum, à quo fuerunt specialibus donis insigniti, posse eos à nobis coli, ità Amelius in* Lib. Bellarminus enervatus T. II. Lib VI Cap. V. *Hugo Grotius in* Animadversionibus contrà Rivetum p. 43. *Franciscus Rivetus ipse* in examine animadversionis Grotii ad Artic. *XI. Posse itidem coli Sanctos cultu, seu honore altioris ordinis, nimirùm ex meriento, vel Societatis, vel charitatis altioris Ordinis, docent alii: ità Stephanus Curcellaeus* Epist. ad Adrianum Patium *inter* Epistolas Praestantium virorum *folio mihi* 884. *Praecipuè autem de Beatissima Virgine, ità scribit Henricus Spanhemius* Dub. Evangel. *Dub. XLVIII. & XLIX.* de Adoration. Magor. *T. II fol.* 420. Honorem ceteroquin illi (*B. Mariae*) deberi ultrò fatemur, sed honorem certis cancellis circumscriptum, & convenientem objecto honorando, qualis, nec hyperdulia Pontificia, quae Deo injuria, nec adoratio ulla religiosa, quae illi indebita, nec cultus civilis, qui non cadit in objectum glorificatum. Sed I. cogitatio, & commemoratio honorifica insignis illius honoris, quo illam Deus prae omnibus creaturis prò gratiosa sua bonitate dignatus fuit, ut mater illius, & esset, & diceretur, qui omnium Pater est, & Dominus. II. Praedicatio virtutum ejus, quae nobis in Scriptis describuntur, pietatis, charitatis, humilitatis, constantiae, & aliarum id genus virtutum, quae singulariter in eximio hoc Dei organo emtuere, & omnibus in exemplum proponi debent. III. Commendatio gloriae, & beatitudinis, qua fruitur in Coelis. Hae honoris species B. Virgini debentur, & comprehenduntur sub μακαριτμῷ, quo se afficiendam ipsa praedicit Luc. I. 48.

(b) *Johannes Calvinus* Lib. *I.* Institutionum Cap. *XI.* §. 10. & Cap. *XII.* §. 2. *ex quo hauserunt ceteri gregales praecipuè Theodorus Beza* adnotat. ad Cap. *IV.* Matth. *Humbertus Humfredus* lib. 1. de interpretatione linguarum, *Johannes Dallaeus* Lib. *III.* de Religiosi cultus objecto.

(c) *Idem Calvinus* Harmon. Evangel. ad Capit. *I.* Luc *n.* 34. *& alii infrà referendi. De vario loquendi modo Lutheri suprà est actum. Bullingerus verò* in Serm. de B. Maria *miris encomiis exaltat vitam SS. Reginae, & virtutes ejus laudat suprà omnem aliam creaturam.*

(d) *S. Gregor. Magn.* Expos. in *I.* C. Libri *I.* Regum.

(e) *Ità Dallaeus* de Religiosi cultus objecto, *cui adhaerent alii quamplures, praecipuè Bingha-mus infrà referendus, etsi bis nimiùm mentiatur.*

Digitized by Google

ninò vana. Vel II. quòd ex eo censenda est vana laus, quae defertur Mariae, ut Mariae, etiam ut Mater Dei est, (cùm Maria, ut Maria, reapse sit Mater Dei, ab aeterno ad tantam dignitatem praedestinata, estò solùm mente concipi possit à Maternitate Dei abstracta, & personalibus ejus virtutibus solummodò ponderatis) quia nullam habet in Primaevae Ecclesiae disciplina fundamentum. Et quamvis magis obvius sit prior sensus, juxtà scholasticam normam, magis tamen ex intento scitulorum proprius videtur posterior sensus: praesertim, quia in priori modo potiùs dicenda foret sacrilega, & superstitiosa laus, quàm vana. Ut ut autem sit: utrumque delirium profligabo solidis momentis; genuinis, probatisque monumentis, ut omni ex capite debitam Deiparae laudem sartam tectam custodiam, directè impugnando adversarios: totisque viribus insudabo, ut catholicum dogma firmetur, & vindicetur honor debitus Virgini Matri, quam Deus elegit, & praeelegit, quam super choros Angelorum exaltavit: cui, utpotè Matri meae (est enim *Mater Dei, & rei, justi, & peccatoris*) (a), & maximae Advocatae meae, Reginae meae, Patronae meae, me tota devotione commisi: cujus sub auspiciis Deo vota sacravi (b), & Ordini suo (c), nomen dedi: cujus precibus, ac intercessione spem habeo in Domino, & fiduciam in introitu Sanctorum in Sanguine Christi, ex quo, & per quem veritas, & gratia, salus, & gloria. Et quamvis non omnia in medium producam monumenta ad rem hanc perfectè complendam, ut praefixam mihi metam, ac methodum servem, nobiliora tamen seligam, cùm cetera apud Encomiastes Virginis (d), Selectosque Theologos (e) consuli possint.

Laus, & gloria virtuti respondent, sicut etiam, & honor in testimonium, ni-

(a) *S. Petrus Chrysologus* Serm. de Annunc. B. M. V.

(b) *In Ordine Praedicatorum in Solemni professione haec est forma vovendi*: Ego N. facio professionem, & promitto obedientiam Deo, B. Mariae, & B. Dominico, *&c.*

(c) *Ordo Praedicatorum, nedum ex speciali devotione ergà Deiparam*, Virginis Ordo *dicitur, verùm etiam propter innumera Beneficia, quibus à Virgine fuit cumulatus, & praecipuè quia SS. Matre promovente, hortante, indicente fuit institutus à S. Patre Dominico. Vide N. Thomam Malvenda* Annal. Ord. Praedicatorum.

(d) *De B. M. Virg. laudibus agentes, quàmplures commendantur, ultrà PP. praecipuè Damascenum, Idelphonsum, Bernardum, Anselmum, Thomam Aquinatem, Bonaventuram, & alios, consulendi sunt praecipuè Theophylus Raynaudus in* Nomenclatore Mariano, *Simon Vvangnereckius in sua* Pietate Mariana Graecorum, *Petrus Antonius Spinellus in libro, quem inscripsit* Maria Deiparae thronus Dei, *Alvarus Novarinus in* Umbra Virginea. *Johannes Baptista Novatus in opere de* Eminentia Deiparae. *Hypolytus Maracci cùm in* Polyanthaea Mariana, *tum in pluribus aliis operibus in honorem Virginis, Emmanuel à Jesu Maria in* Alphabeto Mariano. *Ex Ordine nostro innumeri cerè sunt, qui hanc spartam susceperunt, feliciterque perfecerunt, ut videre est apud N. Jacobum Echard* Scriptores Ordinis: *prae ceteris consuli possunt Justinus Miekovienſis in* Litaniis Lauretanis, *Angelus Pacucchelli de* B. Virgine.

(e) *Theologi insignes, qui prò laudibus Deiparae vindicandis calamum adplicaverunt plures, itidem sunt, praecipuè Jodocus Coccius toto* Lib. III. Tom. I. Thesauri Theologici, *Petrus Canisius quinque libris* de Deipara, *Franciscus Suarez* de B. Virgine, *Cardinalis Bona* de Divina Psalmodia Cap. *XII. Baillettus* de religioso S. Mariae cultu, *aliique plures. Ex Nostris multos certè possem laudare, praecipuè adversùs hoc Novatorum commentum, consuli possunt Natalis Alexander* Histor. Eccles. Sec. V. Dissert. XXV. *Cardinalis Gotti* Vera Ecclesia Jesu Christi *Tom. I. Cap. IX. §. VIII. & Tom. II. P. II. Art. XV. §. V.*

Digitized by Google

nimirùm excellentiae personae, quae digna est, ut glorificetur, & decoretur: (estò honor, laus, & gloria inter se differant, ut S. Thomas advertit (a), sed ad praesens haec distinctio nil facit, cùm saltem ex eadem religionis virtute procedentes hi actus inter se diversi, ad unum quid à nobis intentum pertineant) nec quidem vana est laus, quae defertur viris sanctitate conspicuis, sed commendabilis, & Divino eloquio probata: quare de Heroibus Veteris Testamenti Sirachides loquens Ecclesiastici XLIV. ait: *Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus, magnificentia sua à seculo.* Et Salomon Proverbiorum ultimo de muliere forti loquens, adclamatum ei adserit à filiis, & laudem praestitam jure merito fuisse à viro suo, quia laude digna erat ex momento virtutis: *Surrexerunt filii ejus, & beatissimam praedicaverunt: vir ejus, & laudavit eam .... Mulier timens Dominum ipsa laudabitur.* Atqui Sanctissima Virgo Maria, etiam ut Maria est, & praecisivè à Maternitate Verbi, virtute maxima enituit, summa polluit sanctitate, quam propterea sibi Dei filius in Matrem adsumsit, quia nimirùm digna fuit, ut Deum ventre conciperet, quae Deum prius mente conceperat, ut Patres expendunt (b), & iterùm adnotabo. Igitur digna est, ut omnium hominum, nedum, sed, & Angelorum omnium encomiis extollatur. Adeòque laus, quae nunc ei defertur, etiam inspecta sola sanctitate personali, abstracta à dignitate Deiparae, nedum vana non est, sed summo jure ei debita ex momento Religionis, commendabilis, & meritoria, ut quotquot verè Christiani audiunt, una voce fatentur.

Et hic mirari nimiùm subit, nimiùmque tristari, & ingemere, qua fronte, quantave impudentia audeant Sycophantae ità detrahere Virgini Sacratissimae, quum ità ipsi ogganniendo, uti palpones pessimos, & adulatores detestabiles criminentur Angelos, & Sanctos, necnon Ecclesiam ipsam, quae *est columna, & firmamentum veritatis.* Et nonne Archangelus Gabriel Virginem Mariam non dum Verbo foetam gratia plenam edixit, salutavit, laudavitque eam uti benedictam inter mulieres, quae

(a) *S. Thomas 2. 2. Qu. CIII. Art. I. ad 3.* Dicendum, quòd laus distinguitur ab honore dupliciter. Uno modo, quia laus consistit in solis signis verborum, honor autem in quibuscumque exterioribus signis: & secundùm hoc laus in honore includitur. Alio modo, quia per exhibitionem honoris testimonium reddimus de excellentia bonitatis alicujus absolutè. Sed per laudem testificamur de bonitate alicujus in ordine ad finem: sicut laudamus benè operantem propter finem. Honor autem est etiam optimorum, quae non ordinantur ad finem, sed jam sunt in fine, ut patet per Philosophum in I. Ethic. (ut sup.) Gloria autem est effectus honoris, & laudis, quia ex hoc, quòd testificamur de bonitate alicujus claresci bonitas ejus in notitia plurimorum. Et hoc importat nomen gloriae. Nam gloria dicitur quasi claria. Unde ad Romanos I. dicit quaedam Glossa Ambrosii, quòd gloria est clara cum laude notitia. *Advertit tamen N. Job. Nicolai* ad marginem, *quòd non sit ex genuino Ambrosio glossa haec, esto tempore S. Thomae ità venditaretur. Sumta est autem haec glossa ex S. P. Augustino* lib. 3. contrà Maximinum cap. 13. *Vide laudatam notam marginalem.*

(b) *S. P. Augustinus, Beda, S. Thomas, & alii, vide notulam infrà adponendam. Sed adentè nota verba Angelici Doctoris III. P. Quaest. II. Art. XI. ad 3.* Beata Virgo dicitur meruisse portare Dominum omnium, non quia meruit ipsum incarnari, sed quia meruit ex gratia sibi data illum puritatis, & sanctitatis gradum, ut congruè posset esse mater Dei.

Digitized by Google

de virtute in virtutem proficiens, usque ad Deitatis thronum pervenit? Ex Evangelio liquet (a). Nonne Elisabeth Spiritu Sancto plena palàm testata est, nec sine laude, fidem gloriosissimae Virginis, quae credendo concepit filium Dei? Ex Divino Eloquio clarum (b). Quid non laudis insuper ei detulit Ecclesia tota, dum fidem, humilitatem, obedientiam, ceteraque ejus virtutes exaltavit? Sat est, vel obiter, lustrare Patres, aliaque Ecclesiastica monumenta, ut veritas haec acu tangatur: aliqua tamen hìc breviter colligemus, eaque prioris aetatis, indigitatis dumtaxat reliquis Doctoribus IX. & sequentium Seculorum, ut retundatur procacia Novatorum. Procul dubio S.Irenaeus Mariae, ut Mariae, laudem praestitit, dum ejus virtutem glorificavit dicens. (c) *Sicut Eva inobediens facta, & sibi, & universo generi humano causa facta est mortis: sic & Maria habens praedestinatum virum, tamen Virgo obaudiens, & sibi, & universo generi humano causa facta est salutis.* Et infrà: *Sic autem Eva inobedientiae nodus solutionem accepit per obedientiam Mariae. Quod enim alligavit Virgo Eva per incredulitatem, hoc Virgo solvit per fidem*; quod etiam alibi latiùs expendit (d). Eandem virtutem glorificavit, idemque meritum in Mariae persona demiratus Tertullianus, ità pariformiter ait: (e) *Crediderat Eva serpenti, credidit Maria Gabrieli. Quod illa credendo deliquit, haec credendo delevit*: Idipsum etiam inquit Origenes, dum eam gratia plenam admiratur, & ab Angelo salutatam perhibet (f). S. Gregorius Neocaesarienſis, vel quisquis sit antiquissimus Pater, Virginem maxima virtute praeditam exaltat, cujus momento ad supremum fastigium Divinae Maternitatis evectam praedicat. (g) *Ave gratia plena: Dominus tecum. Tuum enim verè est, ut aveas gaudeasque, quòd tecum divina gratia, uti novit, habitaculum elegit: cum ancilla Rex gloriae: cum speciosa speciosus forma prae filiis hominum: cum impolluta, qui sanctificat universa*, &c. Et iterùm Beatissimam semper Virginem adpellat. (h) *Omnium vas miraculorum*; aliis itidem in ejus laudem prolatis encomiis, quae cùm sanctitatem vitae, tùm dignitatem maternitatis extollunt. Quibus itidem laudibus eam non glorificat vulgatus S.Atha-

(a) *Luc. I. v.* 28. Ave gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.

(b) *Ibidem v.* 42. Benedicta tu inter mulieres: *v.* 45. Beata quae credidisti, &c.

(c) *S.Irenaeus* lib.III. adverſ. haeref. *cap.* 33.

(d) *Idem* Lib. V. *Capite XIX.*

(e) *Tertullianus* Lib.de Carne Christi *Cap.*17.

(f) *Origenes* Homilia VI. in Lucam.

(g) *S.Gregor. Thaumaturg.* Homil.I. de Annunciatione B.Virginis. *Haec* Homilia, *ſicut & aliae duae ejuſdem aliis Authoribus adjudicantur à Criticis. Vide noſtram not. critic. Tom.II. pag.* 313. *Cave autem ne fidem praeſtes Thomae Popebrount* Cenſur. Celebrior. Author. in Gregor. Thaumaturgo, *& Caſimiro Oudin* in Supplem. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, *qui omnia ſub nomine* Gregorii Neocaeſarienſis Epiſcopi *opera extantia Thaumaturgo abjudicant: mentiuntur certè. Legeſis S. Hieronymum de* Viris illuſtribus, *alioſque Veteres, & Noviſſimos etiam Catholicos Criticos. Stant etiam contrà binos hoſce Hetheroduxos ceteri Eruditi etiam Acatholici, Gerardus Voſſius, Guillelmus Cave, Samuel Baſnagius, Joſeph Binghamus, Henricus Juſtellus, ceteriique.*

(h) *Idem* Homil.III. de Annunc. B.Virginis.

Digitized by Google

S. Athanasius (a)? S. Epiphanius dum Mariae dignitatem magnificat, laudat etiam vitam, vocans eam (b) *selectum quoddam vas, atque eximium, amplissimis honoribus affectam* omnibus Sanctis idcircò praeponit, eamque salutans cum Angelo, ait: (c) *Ave gratia plena: Immensa gratia Sanctae Virginis. Ave gratia plena: Virtutibus multis exornata, inextinguibilem lucem, velut accensa face, lucem splendediorem, praetendens*, indèque concludit, (d) *Mariae vita causam praebuit, per quam vita est nobis ipsa producta*. S. Ambrosius ità prò merito Mariam, ut Mariam, laudat, ut eam veluti exemplar virtutum cunctis imitandam proponat. (e) *Sit vobis tanquam in imagine descripta Virginitas, vitaque B. Mariae, de qua velut in speculo refulget species castitatis, & forma virtutis .... Quid splendidius ea, quam splendor elegit? Quid castius ea, quae corpus sine corporis contagione generavit?* deinde totam ejus vitam edifferit, ejus virtutes commendat, laudibusque effert actiones ejusdem. S. Petrus Chrysologus (f) dum expendit illud Angeli ad Virginem *Ave gratia plena*, ità ejus gloriam personalem magnificat. *Benè gratia plena: quia ceteris per partes praestatur: Mariae verò se tota simul infudit gratiae plenitudo*; & idem plenius alibi habet(g). Quid pariformiter laudis in ejus gloriam non protulit S. Pater Augustinus, dum sanctitatem ejus admiratur? propterea inquit: (h) *Maria faciens voluntatem Dei, corporaliter Christi tantummodo mater est, spiritualiter autem, & soror, & mater. Ac per hoc una illa faemina, non solùm spiritu, verùm etiam corpore, & mater est, & virgo. Et mater quidem spiritu non Capitis nostri, quod est ipse Salvator, ex quo illa magis spiritualiter nata est, quia omnes, qui in eum crediderint, in quibus, & ipsa est, rectè filii sponsi appellantur. Sed planè mater membrorum ejus, quod nos sumus, quia cooperata est charitate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius corporis membra sunt: corpore verò mater ipsius Capitis*. Idem in Deiparae laudem reperitur in aliis sub nomine M. P. operibus (i), ut alia ejusdem genuina, & indubia ejus opera, praeteream; sicut, & innumera alia, cùm Graecorum, tùm Latinorum Pa-

(a) *S. Athanasius* Oratione in SS. Deiparam. *Hanc Orationem Athanasio abjudicat Calvinista Rivetus futili argumento, quod robustè elidit N. Natalis Alexander* Histor. Eccl. Sec. IV. Cap. VI. *Ex aliis melioribus momentis eam Cardinales Baronius, & Bellarminus, necnon N. Natalis adjudicant Patri posterioris aetatis, qui floruit post exortam haeresim Monothelitarum, & post Oecumenicam VI. Synodum.*

(b) *S. Epiphanius* Haeresi LXXIX.

(c) *Idem* Oratione de laudibus B. Mariae Virginis.

(d) *Idem* Haeresi LXXVIII.

(e) *S. Ambrosius* Lib. II. de Virginibus.

(f) *S. Petrus Chrysologus* Serm. CXLIV. *qui est de* Annunciatione: *alim hic Sermo pervolabat sub nomine S. Hieronymi* de Assumtione, *& sic laudatur à S. Thom. III. P. Qu. XXVII. A. V. Vide N. Johannem Nicolai* in nota marginali ejusdem Art.

(g) *Idem* Sermone LXIV.

(h) *S. P. Augustinus* Lib. de S. Virginitate *cap. 6.*

(i) *Sub nomine M. P. Augustini sequentia laudantur opera, in quibus summopere Virgo laudatur, nimirùm*, Lib. III. de Symbolo ad Catechumenos *cap. 4.* & Sermo de Sanctis: *olim inter Augustinianos XVIII. nunc in Appendice CXCIV. Verùm quia haec opera aliis non ignobilibus PP. adjudicantur à Criticis, ideò, debito servato criterio, solùm ea laudasse sat erit.*

Digitized by Google

trum monumenta (a) silentio premam, (ex quibus aliqua non omittam infrà) cùm res sit ità dilucida, ut fucum sit facere evidentiae, vel in dubium veritatem hanc revocare. Quibus itidem laudibus non glorificavit eam Ecclesia cùm in Liturgiis, tum in Solemnitatibus in ejus honorem institutis; tum etiam in publicis Officiis, in quibus omnibus, nedum maternitatis dignitatem obsequio prosecuta est, verùm etiam virtutem maximam, per quam ad tàm sublime fastigium ipsa conscendit? Hospes profectò ut sit in Ecclesiastica notitia, oportet, qui vel leviter ea de re ambigere audebit. Quapropter ex hisce jam dictis, indigitatisque, plenè confunditur perfidia haereticorum; solùmque ex debito meae professionis addere lubet, vel unicum, S. Thomae monumentum, ut ex devotissimo Virginis Cliente, Theologorum Principe, Patrum organo res tota firmetur. Quum enim S. Doctor luculenter ostendisset quisnam sit laude dignus, quidve in homine ex virtute debeat dignè laudari, & adseruisset pariter, *quòd Beata Virgo secundùm se est venerazione capax*, ostendit pariter, quo ex momento, etiam praecisivè à maternitate Verbi, sit digna laude, nimirùm propter sanctitatem personae, qua nullus post Christum sanctior unquam fuit in Mundo: (c) „ Respondeo „ inquit, „ dicendum, quòd illos, quos Deus ad „ aliquid eligit, ità praeparat, & di„ sponit, ut ad id, quod eliguntur, „ idonei inveniantur, secundùm illud II. „ ad Corinthios 3. *Idoneos nos fecit Mi„ nistros novi Testamenti*. Beata autem „ Virgo fuit electa divinitùs, ut esset „ mater Dei: Et ideò non est dubitan„ dum, quin Deus per suam gratiam „ eam ad hoc idoneam reddidit, se„ cundùm quod Angelus ad eam dixit. „ *Invenisti gratiam apud Deum, ecce con„ cipies*, &c. Non autem fuisset idonea „ mater Dei, si peccasset aliquando: „ tùm quia honor redundat in prolem, „ secundùm illud Proverb. XVII. *Glo„ ria filiorum patres eorum*. Unde & per „ oppositum ignominia matris ad filium „ redundasset: Tum etiam quia singu„ larem affinitatem habuit ad Christum, „ qui ab ea carnem accepit: dicitur au„ tem II. ad Corinth. VI. *Quae conven„ tio Christi ad Belial*? Tum etiam quia „ sin-

(a) *Patres, qui Mariae laudes praedicarunt, eique etiam, ut Mariae, acclamarunt: plures certè sunt, aliquos dumtaxat addere lubet. Sunt autem ex Graecis S. Cyrillus Alexandrinus* Oratione in laudem Deiparae *habita Epbesi contrà Nestorium*, *S. Proclus Cyzicenus Episcopus* Homilia habita Constantinopoli, *ante Concilium Ephesinum*. *S. Anastasius Archiepiscopus Antiochenus* Serm. I. in Annunciationem intemeratae, Deique Genitricis Mariae. *Hesychius Hierosolymitanus Presbyter* Serm. II. de Annunciatione, *Chrysippus pariter Hierosolymitanus* Serm. de laudibus B. Virginis, *S. Andreas Cretensis* Serm. de Salutatione gaudii Angelica, *S. Germanus Patriarcha* CP. Oratione de dormitione Deiparae Virginis, &c. *praecipuè S. Joh. Damascenus* Orat. I. de B. Mariae dormitione, & *alibi pluries*. *Cultus itidem Graecorum, eorumque peculiaris devotio ergà Beatissimam Virginem ex his, quae infrà dicemus, innotescit. Ex Latinis praecipuè S. Idelphonsus suprà laudatus, V. Beda* in Lucam. *B. Amedeus Allobrox An* 1144. *Abbas Altecumbae Cisterciensis Ord. deinde Episcopus Lausanensis* Homiliis VII. de laudibus B. Mariae Virginis, *S. Anselmus* de Excellentia B. Virginis Mariae, *S. Bernardus pluries, praesertim* Homilia super missus est, *S. Petrus Damiani, Rupertus Abbas, S. Bonaventura, S. Thomas, innumerique alii, cùm prioris, tum posterioris aetatis*.

(b) *S. Thomas III P. Qu. XXV. Art. 5. ad 3.*

(c) *Idem S. D. III. P. Qu. XXVII. Art. 4.* in corpore.

Digitized by Google

„ singulari modo Dei filius, qui est „ Dei sapientia, in ipsa habitavit, non „ solùm in anima, sed etiam in utero: „ dicitur autem Sapientiae I. *In male-* „ *volam animam non introibit sapientia*, „ *nec habitabit in corpore subdito peccatis*. „ Et ideò simpliciter fatendum est, „ quòd Beata Virgo nullum actuale „ peccatum commisit, nec mortale, „ nec veniale; ut sic in ea impleatur, „ quod dicitur Canticorum IV. *Tota* „ *pulchra es amica mea, & macula non* „ *est in te*. „

Quum autem hìc ex terminis damnatam hanc thesim exsufflare contenderim, penitùs recedens à semita, quam aliqui (praesertim P. Viva) in ea ventilanda tenuerunt, idcircò ad generalem catholicam thesim de religioso Sanctorum cultu confugientes, ejusdemque propterea generalis thesis argumentis proscriptam hanc propositionem damnatam, veluti hyporhesim adversam, ventilantes; superfluum, quin abs re, existimo hìc in medium ea producere Novatorum sophismata, quae contrà generalem thesim de cultu Sanctorum, & illi evomuerunt, & Polemici Doctores (quos sufficit digito monstrasse (a)) robustè profligarunt. Meo quippe judicio cùm hìc impugnetur non cultus religiosus Mariae, ut Mariae, seu Dulia, nec de Hyperdulia verbum habeatur, sed dumtaxat traducatur laus ejusdem Virginis, quae longè ab ejus adoratione, seu veneratione abit, ut quid frustrà terere tempus in exsolvendis sophismatibus, vel contrà duliam, vel adversùs hyperduliam ab Heterodoxis efformatis? A' scopo me aberrantem dubio procul censerem, si ea in re protraherem moras, praecipuè cùm ea, quae exoptari possunt ad pleniorem vindiciam honoris Deiparae debiti in posteriori adsertione non omittentur. Quapropter quid maleferiati quidam oggannierint, unde laudi Sanctissimae Virginis detrahitur, in medium proferam, & dissolvam, ut omninò obstruatur os loquentium iniqua.

Calvinus enim, ut paulò antè adnotavimus, cum aliquibus pessimae indolis gregalibus, ut laudem Sacratissimae Virginis deprimat, ità intendit in coelum os suum, & lingua sua mentitur. Maria Virgo ab Angelo salutata de Dei potentia nimiùm dubitavit, dum ait: *Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco*, & non minùs, quàm Zacharias incredula fuit (b). Impudens, & imprudens nimiùm à Christo petiit miraculum in Cana Galilaeae deficiente vino in Convivio nuptiali; ideòque Chrysostomo teste digna censura fuit à Christo perstricta, & responsione Redem-

(a) *Theologi Polemici, qui de cultu Sanctorum agunt, plures certè sunt. Primores autem percensentur Cardin. Bellarminus, Jodocus Clitoveus, Jacobus Latomus, Johannes Fronto, aliique. Ex Nostris S. Thomas, Ambrosius Catherinus* contrà errores Lutheri. *Natalis Alexander* Sec. V. Histor. Eccles. Dissert. XXV. *Card. Gotti in* Vera Ecclesia Iesu Christi, *& plures alii*.

(b) *Calvinus*, Harmon. Evangelic. ad Cap. I. Luc. *n.* 34. Videtur S. Virgo non minùs malignè restringere Dei potentiam, quàm priùs Zacharias, *& num.* 38. Non mirùm est, quòd Dei potentiam Mariae Angelus praedicat, cujus diffidentia fidem promissionibus, ut plurimùm detrahit. *Dissentit ab eo Sam. Basnagius* Annal. Politic. Eccles. *Tom I. fol* 98. *n.* 34. *ubi cum Irenaeo fidem Mariae exaltat*.

Digitized by Google

demtoris ejus vanitas fuit correcta (a). Et quae doctrinae cursum impedire sagebat, iterùm fuit à Christo reprehensa veluti ambitionis rea, ut Chrysostomus sentit(b), vel saltem, ut importuna, & imprudens, correctione digna fuit(c). Qua ergò laude digna est, quae ità reprehensa fuit à Christo? Quomodo insuper sine omni actuali macula, quae in *morte Domini dubitavit*, ut Origenes (d), & Augustinus (e) adserunt? laus ergò indebita Mariae, ut Mariae, vana est.

Verùm sacrilegè nimiùm, falsò, & erroneè loquuntur Novatores, quorum commenta viritim profligare fas est, ut firmiùs eorum sophismata enerventur. Falsissimum in primis est, quòd B. Virgo de Dei potentia dubitavit, quae de modo dumtaxat inquisivit; latumque discrimen est inter ejus responsionem, & Za-

(a) *Calvin* in Cap. II. Johannis, *Brentius itidem in* lib. de omnipotentia carnis, *Molinaeus, & alii, quibus novissimè adhaeret Basnagius* To. I. Annal. Politic. Ecclesiastic. *fol.* 158. *n. XL. est ex parte postea temperet blasphemiam, quam primò profert. Ait enim*: Matris suae precibus hoc reponit Christus: „ Quid mihi tecum rei est mulier? Non dum venit hora mea. „ Quae vera, non simulata sanè censura est, ut palam fit ex similibus locis (*II. Sam. 16. II. Reg. 9. Luc. VIII. 28. ut ad marginem*) Neque in mentem inducere nostram possumus, tàm duriter matri à Filio fuisse responsum, nisi ejus postulatio justè reprehendi posset. Quid rei hoc fuerit, quaeri potest? Vanam gloriam hic olfecit Chrysostomus (*in Joban. Homil. XXI.*) „ Voluit de iis „ benè mereri, seque ipsam clariorem fieri per „ Filium, fortè, & non nihil humani passa est, „ ut & fratres ejus cùm dicerent, ostentato te „ ipsum mundo, volentes ejus miraculis fa„ mam quaerere „. Alia placuit Augustino (*de Symbolo l. 2. cap. 5.*) conjectura. „ In primo mi„ raculo tentavit illa faemina, jubere se Filio „ posse, tanquam mater domina, quae se agno„ scebat ancillam. Fili, ait, deficit illis vi„ num, fac rursùs ut aquae convertantur in „ vinum „. Ex verbis Christi, quin Virginis in sermone imprudentiae nonnihil fuerit, cujus pars est importuna festinatio, vix in dubium revocari potest. „ Non dum venit hora mea. „ Matris monitu Christo non erat opus, ut se accingeret miraculo. Constitutum à Deo tempus erat, ne vel minimo puncto violandum. Quoties ejus gloriae inserviendum fuit, interpellatio Virginis necessaria non fuit. Itàque etsi ex charitate orta sit ejus postulatio, conditionis tamen suae praecipitanter transiit lineas, cùm huic negotio se immiscere non debuerit, ut tota penderet à sapientia Filii sui, *&c.*

(b) *Chrysostomus* Homil. X. in Johannem, & Homil. XLV. in Matthaeum.

(c) *Calvinus in* Caput XI. Matth. *n.* 40. Non dubium est, quin his verbis carpatur Mariae importunias, & certè praeposterè cursum doctrinae ejus abrumpere tentabat. *Basnagius ibidem fol.* 303. *n. LVII.* Quaenam fuerit tàm importunae interpellationis causa, in dubio positum est? Censuram enim complecti verba haec, quae est mater mea, & fratres mei? luce clarìùs est, & verbis expressis docet non semel Tertullianus adversùs Marcionem ex hoc loco colligentem, Christo umbram corporis fuisse, verum corpus non fuisse. Septimii verba sunt: -- : Ceterum ad negandam nativitatem alius necessarius fuisset illi locus, & tempus, & ordo sermonis, non ejus, qui possit pronuntiari, etiam ab eo, cui & Mater esset, & fratres, cùm indignatio parentes non neget, sed objurget --. Quod & iterùm docet adversùs Marcionem: -- : Tàm proximas enim personas foris stare, extraneis intùs dehxis ad sermones ejus, amplius & avocare eum à solemni opere quaerentes, meritò indignatus est --. Similia habet Epiphanius--: Scito non his verbis negatam esse Matrem, sed ejus importunitatem repressam, quia tanta multitudine circumfusa, dum salutaris doctrina profunditur, ipseque adeò in curandis corporibus, ac praedicando Dei verbo totus occupatur, sic eum ausus est alloqui --. Non nos, latet Chrysostomum Beatam hic Virginem -- Ambitionis -- insimulasse. Aliumque authorem nomine Chrysostomi tradidisse, diabolum metuentem ne Dominus persuaderet auditoribus suam Divinitatem, quia dixerat -- Ecce plusquam Jonas hic --, ad convincendos sermones ejus subintroduxisse parentes ejus carnales, ut per illorum praesentiam Divinitatis ejus obscuraret naturam. Non credimus tamen, vel ambitionem Virginis, vel occultam daemonis efficaciam, consilio vocandi Christum causam fuisse. Consentaneum magis est Virginem inaudivisse aliquid insidiarum Christo ab inimicis ejus instrui, de quibus eum monitum voluit, & hinc est, quòd non Mater, non fratres eius, sed homo, nescio quis, ab illis submissus praedicantem convenit. Negari tamen non potest, improvidam & intempestivam fuisse interpellationem ejusmodi, quae omni studio, & viribus incumbentem, ad salutem hominibus ministrandam, ab eo labore revocabat, ut nil miri sit, paulò duriùs postulationem Virginis fuisse repulsam.

(d) *Origenes* Homil. XVII. in Lucam.

(e) *Vulgatus Augustinus* Quaest. Veteris, & Novi Testamenti *Qu. LXXIII. rejectus in Appendicem Tom. III. à PP. Benedictinis.*

Digitized by Google

Zachariae objectionem. Deipara quidem dum Angelo repoſuit: *Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco?* nullimodè incredulitatem expreſſit, ſed ut edoceretur, inquiſivit. *Non deſperando, ſed inquirendo*, ut M. P. Auguſtinus adnotavit (a), & *dum interrogavit, non de promiſſione dubitavit: quod enim futurum eſſet, certa erat; modum, quo fieret, inquirebat* (b). Quod pariter Veteres univerſim adnotarunt: nimirùm inter Latinos praeſertim Ambroſius, Beda, & Bernardus, & inter Graecos Theophylactus, & Titus Boſtrenſis, cujus poſterioris haec ſunt verba. (c) *Non quaſi incredula interrogat, verùm ut ſapiens, rei, quae dinunciabatur, modum & rationem diſcere deſiderat.* Et quidem longè ſublimius, laudabiliùſque Nicodemo, qui paratus edoceri à Chriſto dixit: *Quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex?* Johannis III. & meruit inſtrui à Supremo Magiſtro(d). Non ità quidem Zacharias, qui revera incredulus fuit, dum exquiſivit ſignum antequam Divinae revelationi fidem praeſtaret; quare ait: *Undè hoc ſciam?* Lucae I. v. 18 Sanctiſſima autem Virgo, ut eruditè, & ſubtiliter V. Beda expendit. (e) *Non ait, undè hoc ſciam? Sed: quomodo hoc fiet? Ordinem, videlicet, obſequii, cui ſubdatur, inquirens, non autem ſignum, cui credat, flagitans.* Quod diſcrimen etiam S. Ambroſius adſignavit, & ex diſparitate fidem Virginis commendavit. (f) *Haec*, inquit, (Virgo) *jam de negotio tractat, ille* (Zacharias) *adhuc de nuntio dubitat.* Quàm ergò impiè blaſphemaverit Calvinus, clariſſimè conſtat; & evincitur ex eiſdem gregalibus ejus, quorum non pauci ex profeſſo in oppoſitam ſententiam, Deiparaeque vindiciam deſcenderunt, praeſertim noviſſimè Samuel Baſnagius, qui, eſtò alia commenta ab eo exſuxerit, hoc tamen nec hauſit, nec docuit, ſed ſummam in Deipara humilitatem, & fidem demiratus, virtutem ejuſdem, & gratiam in Annunciatione praedicavit.

Ad reliqua, quae objiciuntur nobis, ex Evangelio petita monumenta, quaſi nobis adverſantia, facilis eſt reſponſio viritim ea examinando, & ſophiſmata Novatorum diſſolvendo. Ter quidem videtur Chriſtus duriuſcula verba in Matrem protuliſſe, at non ut intemeratae Virginis, Sanctiſſimaeque Reginae, aut levitatem, imprudentiamque corriperet, aut argueret culpam; ſed ut Divina praeſeferret, nobiſque altius ſentiendi praeſcriberet normam. Lucae II. dum Matri reſpondit. *Quid me quaerebatis? neſciebatis quia in his, quae Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Solum-

(a) *S. Auguſtinus* Homil. XLIV. *c.* 5. *inter* L. Homilias.

(b) *Idem S. P.* Lib. XVI. de Civit. Dei *c.* 24. *Idem habetur in* Serm. I. de Tempore. *Verùm laudatus* Sermo *non eſt S. Auguſtini, & in* Appendice Tom. V. *eſt CXX. Vide laudatam editionem PP. BB.*

(c) *Titus Boſtrorum Epiſcopus* Commentar. in Cap. I. Lucae. *Verùm hic Titus non eſt illi Boſtrenſis Epiſcopus, qui An.* 365. *floruit, & ſub Valente obiit, quoniam Author* Commentariorum in Matthaeum, & Lucam *ſub nomine Titi Boſtrenſis, qui recenſentur in* Catena Graecorum Patrum, paſſim citat Chryſoſtomum, Cyrillum Alexandrinum, & Peluſiotam, qui pueri erant cùm Titus moreretur: *ut obſervavit Card. Bellarminus* de Scriptoribus Eccleſiaſticis. *Eſt ergò alter Titus poſterioris aetatis, ſed commendabilis.*

(d) *Vide Cornelium Janſenium Gandavenſem Epiſcopum* Concord. Evangelic. *Cap. III. Guillel. Eſtium* in loca difficiliora Sacrae Scripturae in Luc. *& Franciſcum Lucam Burgenſem in* cap. I. Lucae.

(e) *V. Beda in* Cap. I. Lucae.

(f) *S. Ambroſius in* Caput I. Lucae.

Digitized by Google

lummodo insinuavit se Dei voluntatem exsequentem à nemine, etsi sanguine junctо, & humana potestate dominante, esse avertendum, utque ad id omnes dirigant mentem hortatur. *Non quòd eum, quasi filium quaerant, vituperat, sed quid ei potiùs, cui aeternus est filius, debeat, cogit oculos mentis attollere,* inquit V. Beda(a), quod longè ante S. Ambrosius etiam adnotavit (b).

Dum verò in Nuptiis Canae Galilaeae Matri miraculum petenti reposuit. *Quid mihi, & tibi est mulier? non dum venit hora mea*, Johannis II. dubio procul haud castigavit vanitatem Deiparae ad sui gloriam miracula poscentis, ut blaterat Calvinus, quum ex summa charitate eum interpellaverit Mater pulchrae dilectionis, quae avertere invitantium confusionem perardenter optabat. Sed ut indicaret Divinam sibi inesse potestatem miracula operandi, non humanitùs, ac proinde non ex imperio matris ea pendere, sed ex sola Divina voluntate. *Significat se Divinitatem, qua miraculum erat patrandum, non temporaliter accepisse de matre, sed per aeternitatem semper habuisse de Patre*: iterùm loquitur V. Beda (c), idemque pariter prius M. P. Augustinus adnotaverat (d). Eoque etiam respondendi modo nos instruere voluit, quòd in operibus ad Dei gloriam spectantibus, Divinisque mandatis nullimodè ex humano adfectu esse movendos: quare id non propter Matrem, quae perfectè erat Divinae voluntati in omnibus subjecta, & conformata, sed propter circumstantes, & propter nos, illis admonitionem objecit. Quapropter S. Bernardus sic Christum alloquitur. (e) *Sed manifestè jam video, quòd non velut indignans, aut confundere volens Virginis Matris teneram verecundiam, dixeris: quid mihi, & tibi? sed propter nos, ut conversos ad Dominum jam non sollicitet carnalium cura parentum.*

Ad tertium monumentum petitum ex illo Matth. XII. *Adhuc eo loquente ad turbas ecce Mater ejus, & fratres stabant foris quaerentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce Mater tua, & fratres tui foris stant quaerentes te. At ipse respondens dicenti sibi, ait: Quae est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos dixit: Ecce Mater mea, & fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in Coelis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Dicimus, quòd perversè nimis ex iis Calvinus, ejusque asseclae pertentant adferre à Christo Deiparam fuisse, vel ex vanitate, vel ex importunitate redarguram. Longè enim tota historia, Christique responsio ab eorum intento abit. In primis stabat foris Deipara quaerens loqui Christo ex teneritudine materni ad-

(a) *Beda* Commentar. in Lucam.
(b) *S. Ambrosius* Lib. II. in Cap. II. Lucae.
(c) *V. Beda* Commentar. in Johannem.
(d) *S. P. Augustin.* Tract. VIII. in Johan. *n.* 9.
(e) *S. Bernardus* Serm. II. in Evangel. Johan. *Videsis praecipuè Jansenium in* Concordia. *Franciscum Lucam Burgensem, Calmetum, & N. Natalem Alexandrum* in Evangelia. *Consule etiam Guillelmum Estium in* III. Sentent. Distinct. III. *Dionysium Petavium* Tom. IV. Theolog. dogm. P. II. lib. XIV. *cap. I. num.* 3. *N. Bartholomaeum Medina* In III. Par. S. Thomae Quaest. XXVII. Art. IV.

Digitized by Google

adfectus erutura eum ex insidiis Pharisaeorum (a), stabatque foris quaerens loqui ei, at non statim ac eò pervenit, non protinus, & incunctanter; verùm expleto sermone, ut Cl. Estius adnotavit (b): ideòque nulla in eam reprehensio, quae nullimodè aut impedivit, aut retardavit à praedicatione Filium suum; sed dumtaxat objurgatio, si quem feriit, dubio procul, nonnisi unum ex cognatis ejus minori fide pollentem, qui ultrò se ingessit, nulloque mandante nuntium egit, & prò matris desiderio interpellavit (c). At revera verba Christi non objurgantis fuere, sed edocentis: docentis, nimirùm, gratiorem illum Deo esse, qui Dei voluntatem facit prae omni cognato Christi secundùm carnem. Quare haec perpendens S. Ambrosius ait: (d) *Non injuriosè refutantur Parentes, sed religiosiores copulae mentium docentur esse, quàm corporum.* In eodem planè sensu locutus est etiam Tertullianus in locis à Basnagio laudatis, estò haud per integrum descriptis, quibus tamen benè lustratis, oppositum directè conspicitur. Et quamvis objurgationem in omnes directam videantur insinuare laudata Tertulliani verba, revera in fratres indignatio fuit, quia isti urgebant, non Virgo, ut ex eodem Tertulliano constat. Et quamvis, ut Apellem, & Marcionem convincat Tertullianus, ex eodem ab eis objecto textu: *quae est mater mea, & qui fratres mei?* dicat increpationem non negare, sed adstruere Christi nativitatem; nullimodè tamen per eam, aut Virginis imprudentia, aut ejus importunitas castigatur, ut ex eodem Tertulliano, non peregrinante oculo lustrato, clarescit. Epiphanius itidem non redargutam Virginem ex imprudentia adstruit, sed repressam à Christo adserit importunitatem viri illius, qui spontaneus factus nuncius, sermonem interrumpere studuit, ut patet ex ejus verbis Haeresi XLII. Refut. 12. pag. 326. ex editione Petavii fol. 326. *Scito non his verbis negatam esse matrem, sed ejus* (nuncii) *importunitatem repressam, QUI tanta multitudine circumfusa ..... sic ausus est alloqui.* Sicut dum muliere esclamante: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quae suxisti*, Lucae XI. reposuit Christus: *quinimò beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*, non detraxit Matri, sed dumtaxat, quid erat omnibus necessarium, expendit. Ad Maternitatis fastigium pervenire unius fuit gratia: ad custodiam Divinae legis adspirandi omnium est debitum; idque voluit Dominus inculcare. Verùm, ut dignoscatur, quòd etiam in ea responsione Matrem commendarit, sat est graecum textum librare. Ubi enim vulgatus habet, *quinimmò*. Graecus habet μενοῦνγε, quod idem est ac *certè*,

(a) *Ità sentiunt* Jo: *Maldonatus, & Hugo Grotius in* Cap. *III.* Marci. *Cornelius Jansenius in* Concord. Evangelic. *P. II. Cap.* 50. *& Isaac Casaubon.* Exercit. in Baronium. *Vide etiam Augustinum Calmetum in* Cap. XII. Matthaei, *qui non refragatur.*

(b) *Estius* in loc. difficil. Sac. Scripturae in Cap. XII. Matth. *idem habet Jansenius ubi suprà.*

(c) *Consule* Cap. III. Marci, *& ità observant Jansenius, & Estius, ubi nuper.*

(d) *S. Ambrosius* Lib. VI. in Lucam *n.* 56.

Digitized by Google

ut nonnulli vertunt (a) : quare & Virginis uterum encomio dignum adſeruit, & animam Virginis majori laude glorificandam, quae ex fide, & ex cuſtodia Divinae legis ad tàm ſublimem dignitatem pervenit, & priùs mente, quàm ventre Deum concepit, ut univerſim Interpretes expendunt (b). Hinc S. Laurentius Juſtinianus ex concordi Patrum doctrina loquens ait : (c) *Beatior ſiquidem fuit glorioſa Virgo Maria percipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo Carnem Chriſti.* Et Eliſabeth Spiritu Sancto plena ità Deiparam laudavit : *Beata, quae credidiſti*. Luc. I.

Ad illud Chryſoſtomi, quod concrepantibus buccis aliqui Heterodoxi opponunt, ut detrahant SS. Virgini Mariae, reſpondet Angelicus, (d) *quòd in verbis illis Chryſoſtomus exceſſit. Poſſunt tamen exponi, ut intelligatur in ea Dominum cohibuiſſe non inordinatum inanis gloriae motum quantùm ad ipſam, ſed id, quod poſſet ab aliis exiſtimari*. Nec mirum eſt, quòd Chryſoſtomus in hunc deſcenderit errorem. Homo quidem fuit, etſi inſignis Eccleſiae Pater, ſed ut homo erravit, pluresque in aliis Eccleſiae Patribus corrigimus id genus naevos ſine dedecore Authorum, eſtò cum vindicia veritatis, ut notum eſt cunctis Eruditis, nec *Reformatos* latet, qui propterea, quos notant, naevos non excipiunt. Satis autem, ſuperque eſt ad ventilationem praefati erroris, quòd univerſim Patres in oppoſitam abierint ſententiam, quorum concordem ſenſum dumtaxat recipit Eccleſia Chriſti; ideòque in Tridentina Oecumenica Synodo ex conſtanti traditione Patrum Beatiſſimam Virginem fuiſſe ab omni, etiam levi actuali culpa, praeſervatam jure ſummo definitum fuit (e).

Non inficias imus Theophylactum, & Euthymium Zigabenum in Chryſoſtomi errorem deſcendiſſe (f). Sed nil inde nobis obeſſe eorum monumenta benè norunt, qui Sapientes audiunt. Theophylactus quidem *in Marcum* non abſolutè admittit in Deipara vanitatis culpam, ſed dubitanter ſolùm : addit enim *fortaſſis*; quinimò oppoſitum ibidem adſtruit, dum eam adſerit omni virtutum genere praeditam : *in Lucam* verò errorem corrigens, abſolutè ſilet; & ibi quidem, ubi Chryſoſtomi erronea ſententia ſibi fixerat ſedem (g). Euthymii autem opinio non tanti eſt momenti, ut negotium faceſſat, cùm ſit Graeci Schiſmatici XII. Seculi Scriptoris, cui integer cho-

(a) *Ità Janſen. in* concord. *Cap. L. Guillelmus Eſtius in* cap. XI. Lucae, *& Franciſcus Luc. Burgenſis in* cap XI. Lucae, *apud quos alii ſuppreſſo nomine. Vide Lexicon Graecum. Idem etiam adſtruit ex* Reformatis *Geasgius Paſor* Manuale Graecarum vocum Nov. Teſtam. *& ſic intelligendum explicandumque dicit iſtud* Luc. XI. quinimò.

(b) *Ità univerſim Patres, & Expoſitores. S. Auguſtinus* Lib. de S. Virginitate, *&* Sermone CCXV. in redditione Symboli *n. 4. V. Beda in* Luc. XI. *Vide S. Thomam in* catena aurea in Lucam, *Expoſitores autem Divinae Scriptur. itidem univerſim. NN. Hugo Card. Natalis Alexand. &c.*

(c) *S. Laurentius Juſtin.* in Lign. Vit. de Fide *Cap. IV.*

(d) *S. Thom. III. P. Qu. XXVII. Art. IV. ad 3. Videſis N. Xyſtum Senenſem* in Bibliotheca Sancta *Annot. LVIII. & CLXXXV. Lib. VI.*

(e) *Concil. Tridentin.* Seſſione VI. Can. 23.

(f) *Theophylactus in* Evang. Marci. *Euthymius ibidem, &* in Johannem.

(g) *Vide Eſtium in III.* Sentent. Diſt. *III.*

Digitized by Google

chorus, cùm Graecorum, tum Latinorum Patrum obsistit (a), & quem universim primi nominis Theologi castigant.

Quod autem hac in re mirari subit, est Basnagii commentum, estò multiplici temperamento linitum, variaque modificatione incrustatum, sed semper contecto, servatoque veneno. Ut autem unum summopere castigandum detegam, ceteris autem jam detectis, vel aliis propatulis, & ex ejus met verbis ex consilio relatis, data opera omissis. Refert Basnagius in sui erroris patrocinium S. P. Augustinum, sed crudè nimis, & mutilatum laudat textum operis, quod revera M. Patris genuinus haud est partus, sed suppositicius. Quare primùm sincerè transcribam integrum textum Authoris de Symbolo ad Cathecumenos *lib. 2. cap. V.* quem Basnagius laudat, deinde criterium adhibebo. Praefatus author ibidem ità loquitur: „ In quo primo miraculo tentavit illa femina jubere se filio posse tanquam mater domina, quae se cognoscebat ancillam: „ *Fili* „ ait „ *deficit illis vinum, fac rursùs, ut aquae convertantur in vinum.* „ Et ille, ut distingueret inter Deum, & „ hominem, quia secundùm hominem „ minor erat, secundùm hominem „ subditus erat, secundùm Deum autem „ tem suprà omnes erat: *Quid mihi, &* „ *tibi* „ inquit „ *mulier? Non dum venit* „ *hora mea.* Tanquam ei diceret, veniet hora, quando id, quod natum „ est de te, in cruce pendens agnoscat „ te, & discipulo dilecto commendet „ te: in hoc autem miraculo, quid mihi, & tibi? Non enim hoc processit „ ex te, sed ex eo, qui fecit te: non „ competit tibi, ut jubeas Deo, competit autem, ut subdita sis Deo. Sed „ PIA MATER, quae non asperè tulit admonitionem filii dicentis: *Quid* „ *mihi, & tibi?* videat in ceteris miraculis Deum operantem, quem intuebantur filium adolescentem.„ Quibus in verbis ubi nam inconsideratio, ubi nam vanitas, ubi, quaeso, imprudentia indigitatur? Nulla profectò: quia etiam eo in opere PIA MATER adscritur, humilitas ejus commendatur, dum dicitur, quòd adhuc SE COGNOSCEBAT ANCILLAM, nec ulla reprehensione correcta, sed ADMONITIONE edocta. Quomodo verò Basnagius hunc II. Librum Augustino adjudicat, quum compertum sit Eruditis omnibus alteri longè inferioris notae esse tribuendum, &, vel ex stylo, innotescat omnibus abjudicandum fore M. Patri (b)? Id certè non latebat Basnagium, sed, ad fraudem contegendam, criterium illud

Ss 2 omi-

(a) *Adversùs Graeculi hujus commentum stat integer chorus, cùm Latinorum tum Graecorum Patrum, quos nuper laudavi, stant insuper Theologi omnes, praecipuè consulendi apud laudatos Encomiastes: consule praecipuè S. Thomam, & qui commentarios in Summam ediderunt.*

(b) *Sub nomine M. P. olim venditati sunt IV.* Libri de Symbolo ad Catechumenos, *sed unicum dumtaxat ejus esse genuinum opus, qui inscribitur* Sermo ad Catechumenos. *De hoc autem II. Libro, sicut & de duobus aliis, III. mirùm, & IV. ità scribunt PP. BB.* Sequuntur alii DE SYMBOLO Sermones tres, Augustinum, cui hactenus adscripti in ante editis fuerunt, haud quaquam nobis repraesentantes; sed oratorem genere dicendi, eruditione, & ingenio multùm inferiorem, *Consule itidem* Admonitionem in Sermones de Symbolo ad Catechumenos *eorumdem PP. BB praepositam I. Sermoni ex qua colliges etiam non congruere, quae in tribus Sermonibus referuntur cum Aetate M. Patris, & alia notatu digna.*

Digitized by Google

omisit, quod, & non sine asperitate, alibi servavit.

Ad ea autem, quae tandem objiciuntur ex M. Patre, & Origene, facilis est responsio, eaque obvia, & probata, utrumque nimirùm exsibilando. Prior quippe non verus, sed Pseudo-Augustinus author est illius operis, quod profertur, haereticus, nempe, ignorantissimus, in cujus confutatione operam adhibere nec decet, nec oportet. Omittendum autem non est, quòd nimirùm corrigendi sint Novatores ii, qui cùm se jactent Criticos, & illuminatos, sub nomine Augustini putidum, ineptumque nebulonem laudant. Posteriorem vero, seu Origenem, satis superque est refutasse, vel ex miti censura S. Hieronymi adserentis Homilias in Lucam ab Origene nimium Juvene compositas; vel ex acriori, sed vera: Origenem, videlicet, in multis suos sparsisse furfures, quos ipsi etiam Reformati ventilant. Quòd verò Chrysostomus videatur in eandem Origenis sententiam descendere, rectè excusat Angelicus ubi suprà, expendendo ejus sententiam non de vera dubitatione, sed de ea, quae admiratio ex stupore dicitur.

Impugnatur modò eadem thesis, juxtà systema aliorum adserentium nuperrimum esse in Ecclesia ritum salutandi, & orandi Deiparam; Idque prout spectat ad usum, probatumque morem: Quòd verò facit ad dogma, Articulus fidei est Deiparam Virginem dignam esse laude, & cultu; rectèque, salubriterque ad eam effundi preces, orationesque ab Ecclesia probatas religioso cultu in honorem Dei Matris recitari à fidelibus. Quamvis enim ex Divina Scriptura nobis non sint obvia monumenta, quae rem hanc dilucidè manifestent, nec in promtu sint aperta primaevae Ecclesiae testimonia luculenta, quae primò, & sine ullo labore, aut studio avitum, & ab exordio nascentis Ecclesiae pium hunc ritum confirment: ex certis tamen, probatisque testimoniis, quibus Apostolica traditio firmatur, nimirùm ex illo Vincentii Lirinensis (a), & S. P. Augustini (b), clarissimè probatur, nedum vetustus, sed ex Apostolica institutione pius probatusque ritus salutandi Deiparam, ad eamque preces fundendi, & orationes dirigendi: cùm ex III. IV. V. & VI. VII. VIII. & sequioribus Seculis nobis ea praestò sint monumenta, quae hanc veritatem dilucident adversùs oppositores. Eoque potiùs, quia si ex Apostolica traditione haud descendisset pius ritus, confestim in eum, ceu sacrilegum, & superstitiosum, tota Ecclesia stetisset, Pastores Ecclesiarum refragati fuissent, anathemate separatis, confossisque perduellibus. Cùm au-

(a) *S Vincentius Lirinens. in* Commonitorio *Cap.* 2. Hoc est etenim verè, proprièque catholicum, quod ipsa vis nominis, ratioque declarat, quae omnia ferè universaliter comprehendit. Sed hoc ità demùm fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universitatem, hoc modo: si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota semper per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiquitatem verò ità, si ab his sensibus nullatenùs recedamus, quos Sanctos majores, ac Patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate, omnium vel certè penè omnium, Sacerdotum pariter, & Magistrorum definitiones, sententiasque sectemur.

(b) *S.P. Augustinus* Lib. IV. adversùs Donatistas *Cap.* 24. Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis constitutum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.

Digitized by Google

autem nedum Eccleſiae omnes haud obſtiterint, ſed pari conſenſu, non ſolùm in privatis, ſed etiam in publicis precibus, ſolemnioribuſque Religionis proteſtationibus, retinuerint, & adauxerint pium, ſalutaremque hunc ritum: qua fronte, qua temeritate audent Novatores illum carpere, nobiſque detrahere, objecto novitatis portento?

Et nonne III. adhuc Seculo S. Juſtina Virgo ad Deiparam ſupplex orationem fudit? S. Gregorius Nanzianzenus refert (c), quòd Juſtina Virgo, cùm Cyprianus adhuc Paganus pudicitiam ejus per Daemones tentaret: *Virginem Mariam ſupplex obſecravit, ut periclitanti Virgini ſuppetias ferret*. Nonne eodem Seculo S. Gregorius Neocaeſarienſis Epiſcopus ſuam ad Virginem orationem fudit? Ex eo aliqua paulò ante laudavimus, pauca itidem modò excerpemus, ut res clarificetur. (b) *Ave*, inquit, *gratia plena, fons lucis, quae illuminat omnes in ipſam credentes. Ave gratia plena, ſpiritalis Solis oriens, & flos vitae immaculatus ..... Tua opera, ò gratia plena, Trinitas Sancta, ac conſubſtantialis in mundo cognoſcitur. Dignare, ut nos quoque perfectae gratiae tuae una tecum ſimus participes* (c).

Quale monumentum hujuſce pii ritus nobis non perhibet IV. Seculo S. Ephrem Syrus? Sat eſt, vel unam, aut alteram ejus precem ad Virginem directam in medium proferre, ut acu tangatur, quanto devotionis affectu, quantave teneritudine tunc temporis fideles ad Sanctiſſimam Deiparam confugerint. Ait enim: (d) „Sub tuum praeſidium confugimus ò Sancta Dei „ genitrix: ſub alis pietatis, atque miſericordiae tuae protege, & cuſtodi „ nos. Miſerere noſtri, qui ſordibus „ peccatorum conſpurcati ſumus, qui „ ſceleribus, atque delictis quamplurimis Creatorem Deum noſtrum, & „ Judicem univerſorum offendimus: ne „ adversùs nos inſoleſcat, ac glorietur „ Sathanas..... Non nobis eſt alia, „ quàm in te, fiducia. Ex ulnis ſiquidem maternis tibi dediti ſumus Domina noſtra; Tuique clientes appellati. Ne igitur à maligno Sathana „ ad inferni portas adduci nos ſinas. Tu „ enim noſter es portus ò Virgo intemerata, & pia auxiliatrix. Sub tua „ tutela, & protectione toti ſumus: „ quare ad te unicam confugimus, ſupplices clamantes, ac deprecantes, ne „ dulcis filius tuus Salvator noſter, & „ vitae omnium dator, ob plurima, „ quae commiſimus, ſcelera, è medio „ tollat nos, miſerabileſque animas noſtras inſtar Leonis diripiat, aut ſicus „ ficum ſterilem nos excidat. Obſecramus, ut ad Chriſtum ſecuri perveniamus poſſimus, aulaſque illas Beatorum „ ſubire, ubi non ſunt lacrymae, neque luctus, non vexatio, non moleſtia, non calamitas, non mors, non „ cruciatus, non locorum anguſtiae, „ ſed laetitia inexauſta, voluptas juſtorum maxima, deliciae infinitae, gloria, & ſplendor.„

Quid

(a) *S. Gregor. Nanzianz.* Orat. XVIII. in S. Cyprianum.

(b) *S. Gregor. Thaumaturg.* Homil. I. de Annunc.

(c) *Idem* Homil. III. de Annunciatione.

(d) *S. Ephrem Syrus Diaconus Edeſſenus Anno CCCLXV. clarus* Sermone de Sanctiſſimae Dei Genitricis Virginis Mariae laudibus.

Digitized by Google

Quid ad haec Dallaeus, ceteriique sycophantae, qui nos de superstitione, & de idololatria accusant, eo, quòd in antiphona *Salve Regina* Virginem deprecando dicimus: *Spes nostra salve*. Qui in Salutatione Angelica rogamus Virginem, ut oret *prò nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis nostrae*? Sed audiant iterùm laudatum Ephremum salutantem, & deprecantem Virginem, & confundantur (a). Sic enim orat Sanctus, aeque, ac doctus Pater: „ Adestò „ mihi nunc, & semper ò Virgo Dei „ genitrix, Mater misericordiae, benigna, & clemens, in praesenti quidem vitae cursu fervens protectrix, „ atque auxiliatrix, hostiles quoscumque impetus à me avertens, & in „ via salutis me constituens; ac in extremo vitae articulo miseram meam „ animam conservans, & tenebrosos, „ atque horrendos pessimorum doemonum aspectus ab ea procul repellens; „ in tremendo autem die judicii ab „ aeterna me damnatione liberans: & „ postremò in numerum justorum me „ referens, atque inaccessae filii tui, „ & Dei gloriae me haeredem efficiens. „ Quod utinam per piam interceffionem tuam, atque patrocinium, Domina mea Sanctissima Dei Mater, „ mihi, & omnibus humiliter ad Te „ recurrentibus, & spem totam in Te „ figentibus, post hoc exilium concedatur, gratia, miseratione, & benignitate Unigeniti tui Filii, Domini Dei, ac Salvatoris nostri Jesu Christi „. Plures id genus orationes eodem Seculo ad B. Virginem directae à S. Epiphanio in ejus opere leguntur, quas ad taedium averruncandum sat est indigitare (b).

V. Seculo idem piissimus ritus solemni utriusque Ecclesiae consuetudine probante firmatur; seu potius confirmatur pridem exceptus. In Liturgia S. Johannis Chrysostomi haec leguntur. *In honorem, & memoriam superbenedictae, gloriosae Dominae nostrae Dei genitricis, & semper Virginis Mariae: cujus intercessionibus suscipe Domine Sacrificium hoc in super coeleste tuum Altare* (c). Pariformiter in Liturgia tempore S. P. Augustini consueta, imò antiquioris aetatis, haec verba leguntur: (d) *Sanctissimae, inviolatae, gloriosissimae, benedictae Dominae, nostrae Dei genitricis, & semper Virginis Mariae, & omnium Sanctorum, ac justorum memoriam faciamus, ut precibus, & intercessionibus ipsorum omnes misericordiam consequamur*. Adsunt itidem aliorum Patrum ejusdem aetatis preces ad Deiparam (e), quas brevitatis causa omitto, solum illa Sedulii contentus, quam

(a) *Idem in alia* Oratione *ibidem*.
(b) *S. Epiphanius* Oratione de laudibus Deiparae Virginis.
(c) *Inter Opera S. Joh. Chrysostomi, quam etiam saepius laudat Cl. Card. Bona* de rebus Liturgicis. *Vide etiam* Euchologium Graecorum *cum notis N. Jacobi Goar p. 50. & p. 101.*
(d) *Hujusce* Liturgiae *meminit etiam Joban. Dallaeus* de Religiosi cultus objecto.
(e) *Praesertim in* Homilia *Procli Cyzicaeni Episcopi habita Constantinopoli in Magna Ecclesia sedente Nestorio, & in* Sermone de laudibus B. Virginis *Chrysippi Presbyteri Hierosolymitani &c.*

Digitized by Google

quam etiam Ecclesia aliquando in Liturgia retinuit (a). Sic enim ille scribit (b).

Salve sancta parens, enixa puerpera Regem,
Qui Coelum, terramque tenet per secula, cujus
Imperium sine fine manet, quae ventre beato
Gaudia Matris habens cum Virginitatis honore.
Nec primam similem visa es, nec habere sequentem:
Sola sine exemplo placuisti femina Christo.

Deficeret porrò mihi tempus, si vellem sequentium Seculorum, aut singulos laudare PP. aut ex eis aliqua in medium proferre monumenta, ex quibus ritus hic pius orandi B. Virginem fiçmetur. Notum est cunctis, qui, vel à limine, Sacram historiam salutarunt, quanta devotionis teneritudine, majorique fervore frequentatae tunc fuerint laudes, & Orationes Deiparae; quantave majori devotione dilatatus fuerit ejus cultus, praecipuè ex sacratione in ejus memoriam Festorum, praesertim Hypapantis sub Justiniano Imperatore, ut alibi diximus (c): necnon ex erectione Templorum in memoriam ejusdem Sanctissimae Dei Genitricis D. O. M. dicatorum (praecipuè Majoris Ecclesiae Ephesi in memoriam Deiparae erectae, in qua celebrata fuit Ephesina Synodus) in quorum solemniis pias, peculiaresque preces ad Sanctissimam Virginem fuisse directas, nemo est, qui ignorat. Satis etiam, superque erit in rei confirmationem aliquos eorumdem Seculorum laudare PP. nimirùm Fulgentium, Gregorium M. (quem usque ad superstitionem devotum blaterant Protestantes) Gregorium Turonensem, Sophronium Patriarcham Jerosolymitanum, Hildephonsum, & Julianum Toletanos Episcopos, V. Bedam, Johannem Damascenum, (ex quo, ultrà innumeras Orationes ad Virginem directas, habemus etiam officium ejusdem B. Mariae, quod postea ab Urbano II. etiam praeceptum scimus, ut alibi diximus (d), & repetere in praesentiarum superfluum est nimis,) Germanum Constantinopolitanum, Hermannum contractum, (qui composuit antiphonas in Ecclesia receptas, & recitari jam diu consuetas, nimirùm *Alma Redemtoris Mater*, & *Salve Regina* (e)) Anselmum Cantuariensem, Petrum Damiani, Bernardum Clarae-Vallensem, aliosque, de quibus nec ipsi *Reformati* ambigere possunt. Unum dumtaxat omittere nolo ad pleniorem veritatis manifestationem adversùs Deiparae hostes: nimirùm Graecorum ritum, ex quo habemus, quòd Graeci in om-

(a) *In Missali Ord. Praedicatorum ad* Introitum Missae R.M.V. in Sabbatis *habentur laudati bini versus hoc modo*: Salve Sancta Parens enixa puerpera Regem, qui Coelum terramque regit in Secula Seculorum. ℣. Post partum Virgo inviolata permansisti: Dei Genitrix intercede prò nobis. Gloria Patri, &c. *& dum dicitur*: Salve S. Parens *Sacerdos, Ministri Altaris, & totus chorus genua flectit ex Constitutionibus nostris* Distin. I. de Inclinationibus cap. 2. §. IV.

(b) *Sedulius* Lib. I. oper. Paschal.

(c) *Vid.* Tom. II. Exercitatione XXIX.

(d) *Vide* Tom I. Exercitatione XXX.

(e) Hermannus Contractus à membrorum ferè omnium contractione, & debilitate appellatus, filius fuit nobilissimi cujusdam Comitis, & Monachus Augiensis valde pius ... Scripsisse praeterea dicitur Antiphonam Salve Regina, & Alma Redemtoris. *C. Bellarminus* de Scriptoribus Ecclesiasticis ad An. 1050. *Ità etiam adstruit N. Natalis Alexander* Hist. Eccles. Sec. XI.

Digitized by Google

omnibus hymnis Ecclesiae, de quocumque argumento sint, Θεοτόκιον *Theotocion* adjungere solent in laudem Deiparae Virginis, *ac si minimè congruum esset Deum laudare hoc praetermisso*, ut laudatus Card. Bona observavit (a).

Quid autem ad rem, quòd prioribus Ecclesiae Seculis haud fuerit consuetum recitare Angelicam Salutationem, Rosarium, Litanias, aliasque id genus Orationes in honorem Dei Genitricis, & Virginis Mariae? Forsasè ne quia postremis Seculis hae preces fuerunt usu receptae, idcircò sunt vanae? Proh nefas! nec quidem grammaticam addiscentem, & ferulae manum submittere assuetum ità argutari decet. Parùm quidem ad rem, quòd hoc, vel illo modo sint compositae, vel directae preces, orationes, laudesque in honorem Deiparae, ut compertum est cunctis: cùm vel per illam, aut per istam precem, laudemque religiosus cultus impendatur. Verùm, ut res benè libretur, & ex recto criterio falsitas undequaque ventiletur, adnotandum hìc occurrit, quòd verum non sit aliquorum Protestantium adsertum de nuperrima consuetudine recitandi Angelicam Salutationem in honorem Deiparae Virginis: quare praecipuè castigandus est Joseph Binghamus, qui subdolè, quidem, ac subtilè ex nuperrima consuetudine recitandi praefatam Salutationem ante Concionem à S. Vincentio Ferrerio primùm introductam, ab eodem ferè profluxisse universim ritum in Ecclesia recitandi eandem precem insinuat (b).

Quamvis enim S. Vincentius Ferrerius hanc Salutationem Deiparae suis concionibus primùm coeperit pio ritu praemittere ad implorandum auxilium à Deo per intercessionem Virginis (hinc neque ille, neque nos in praesentiarum omittimus invocationem Divini Numinis, sicut fuisse à nobis abjectam mentitur Binghamus, sed tantùm addimus precem ad Deiparam, facilius suo interventu obtenturi adsistentiam Spiritus Paracleti) tamen haud tunc primùm, videlicet XV. Ecclesiae Seculo recitari coepit, sed longè ante, ut post pauca observabitur: interim adnotare oportet, quòd non perperàm laudata Angelica Salutatio posteà fuerit addita Orationi Dominicali in Breviario Romano, sed summo consilio id actum sit. Cùm enim primùm recitarentur etiam horae Canonicae de B. Virgine, quae hodie ab iis, qui Romano Breviario utuntur, universim extrà chorum omittuntur, statutum

(a) *Card. Bona* de Divina Psalmodia *C. XII. §. 1. Vid. etiam N. Jacobum Goar in Euchologio Graecorum.*

(b) *Joseph Bingham.* Origin. Ecclesiast. *T. VI. lib. XIV. C. IV. §. 14. fol. 157.* Preces Sanctae Virginis Mariae ante Sermones res erat, quae nulli in mentem veniebat. Qui ejus usum probare omnium maximè nituntur, originem ejus non altiùs, quàm ex Seculo decimoquinto possunt repetere. Ferrarius enim ingenuè fatetur Vincentium Ferrerium primum fuisse ex Scriptoribus Ecclesiasticis, qui eam sermonibus suis umquam praemiserit. Baronius ne unum quidem verbum de antiquitate illius in universis duodecim centuriis suis habet, cùm sit hac de re apud veteres rerum Ecclesiasticarum, & rituum librorum Scriptores perfectum silentium, usque dum Dominicanus ille Concionator, nimio cultu S. Virginis zelo abreptus, ante sermones suos eam adhibere coepit, cujus exemplo (celeberrimus enim aevi sui concionator erat) tantam existimationem, & auctoritatem nacta est, ut non solùm omnibus eorum sermonibus praemissa, sed etiam orationi dominicae in Breviario Romano juncta fuerit. Ferrarius quaecumque ad excusandam hanc novitatem dicere potuit, dixit; nihil autem hanc hyperduliam ab idololatria liberare poterit.

Digitized by Google

tutum fuit, ut singulis horis Virginis auxilium imploremus (a).

Praefata igitur oratio non immeritò *Angelica Salutatio* dicta fuit, quia priora illius verba eadem omninò sunt, quae Gabriel protulit, dum Virginem salutavit, & nunciavit ei Verbum. Sic enim exorsus est Paranymphus ille Coelestis: *Ave gratia plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus*. Ipsissima itidem posteriora verba usurpavit Elisabeth, & alia itidem in decorem Virginis Spiritu Sancto plena protulit Deiparam resalutando: *Benedicta tu inter Mulieres, & benedictus fructus ventris tui*. Nomen verò JESUS Ecclesia addidit, seu explicando adposuit, quia verè immaculatus fructus castissimi ventris Salvator ille fuit, de quo Angelus ad Joseph: *Vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum*: quae tandem adjecta sunt verba *S. Maria Mater Dei ora prò nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis nostrae*: adjuncta creduntur magno totius Ecclesiae gaudio in Ephesina Synodo, quando Beatissima Virgo verè Mater Dei, verè Θεοτόκος summo Patrum consensu proclamata, & Nestorius portentosae blasphemiae author exauctoratus, & damnatus fuit, ut prae ceteris Cl. Card. Bona adnotavit (b). Hanc, inquam, Salutationem usurpasse non semel Veteres Ecclesiae Patres, primoresque fideles; priora, nimirùm, illa Angeli, & Elisabeth verba ingeminando in precibus, aut in actibus religionis, compertum exploratumque est ex eorundem Patrum Homiliis, in quibus non simplici commentario Sanctissimi illi Ecclesiae Pastores Evangelicum textum expenderunt, sed repetito elogio saepiùs ingeminarunt Virginem salutando: quare *integra legitur in vita S. Hidelphonsi Episcopi Toletani ante annos septingentos ex Hispania sub nomine Juliani Episcopi allata*, inquit Cl. Joh. Mabillonius (c). Verùm post Ephesinam Synodum eandem Angelicam Salutationem; uti nunc recitatur, fuisse consuetam fidelibus cunctis in quotidianis eorum precibus, eademque frequentia repetitam ac nunc, prò certo adstrui nequit, quum id nunquam fit reperire in vulgaribus piis exercitationibus eorum ante IX. Seculum, ut laudatus Mabillonius ait (d); solùmque frequentes fuisse, & quotidianas, seu vulgares fidelium orationes Symbolum Apostolorum, & Dominicam orationem constat ex S. Eligio (e), Ven. Beda (f), Ratherio Veronense (g), aliisque. Hujusce autem piae consuetudinis XII. Seculo celebris testes sunt S. Petrus Damiani (h), S. Anselmus (i), Herbetus (k), & manifestum est etiam ex Institutis Cisterciensium Monachorum

Tt

(a) *Vide Petrum Canisium* Lib. *III.* & *V.* de Virgine Deipara.

(b) *Card. Bona* de Divina Psalmodia *C. XVI.* §. 2.

(c) *Mabillonius* Seculo *II.* Benedictino *p.* 521. *prim. edition.*

(d) *Idem* Praefat. in Secul. V. Benedictinum.

(e) *S. Eligius in* Homiliis ad Populum *ab Audoëno relatis*.

(f) *Beda* in Epistola ad Egbertum.

(g) *Ratherius Veronensis Episcopus in sua* Synodica.

(h) *S. Petrus Damiani* Opusculo *XXXIII.*

(i) *S. Anselmus in nova editione pag.* 505.

(k) *Herbertus* in Opusc. *Cap. V.*

Digitized by Google

rum (a) : quinimò labente XI. Seculo eandem orationem indictam fuisse fidelibus, injunctumque fuisse Presbyteris, ut ejusdem Orationis recitationem Populo suaderent, constat ex Constitutionibus Odonis Parisiensis Episcopi (b).

XII. Seculo itidem fuisse consuetam populis Antiphonam *Salve Regina*, ex iis, quae paulò ante diximus, colligi potest; & constat clariùs ex Historia, & Constitutionibus Ordinis nostri, cui sub initium Seculi XIII. solemnis ea fuit etiam in publicis precibus, cùm post Completorium in Ecclesia cantari coeperit (c) : quem ritum, utpotè sacratissimum, usque in hodiernum diem nostra Religio Deiparae obstricta nimis, & devinctissima, ubique Terrarum summa observantia custodit (d). Eodemque pariter initio XIII. Seculi fuisse à S. Patre Dominico, Virgine demandante, institutum piissimum Rosarii ritum constat ex authenticis monumentis (e) : nec quidem ex iis, quae habet Cl. Mabillonius (f), colligi potest ipsissimum fuisse ritum primùm Petro Eremitae celebrem, quum ritus recitandi centumquinquaginta Salutationes Angelicas adjecta cuilibet Decadi Dominica oratione, adpositaque singulis meditatione principalium salutis nostrae mysteriorum solùm, & dumtaxat ex institutione nostri S. Patriarchae habeatur, ignotusque fuerit cereris ante ipsum.

Circà reliquas autem orationes, & preces in venerationem Deiparae à fidelibus recitari consuetas, idem esto judicium, etsi nobis otium non suppetat earum originem, aut institutorem examinandi. Ex momento Religionis namque eas à fidelibus fuisse, aut procusas, aut recitatas, prò comperto est; ritèque, omni errore sublato, fuisse hanc consuetudinem servatam ex prioribus monumentis jam laudatis conspicuum est : quum ex eisdem constet summo jure, sanctoque consilio à Patribus ad Deiparam fuisse preces effusas, ad impetrandum, nempe, ejus patrocinio, & interceſſione Divinam opem. Quòd verò frequentior, communiorque postremis hisce Seculis ea devotio apud fideles invaluerit, causa fuit, ut pius juxtà ac eruditus Card. Bona adnotavit (g), quia *in hac labentis Seculi discriminosa peregrinatione continua Deiparae protectione indigemus*. At ne ultrà mentiantur Novatores, addendum profectò est,

(a) *In Institut. Cisterciens.* Distin. *IV.* Cap. *XI. praecipitur*: ut nullus Conversus habeat librum, nec discat aliquid, nisi tantùm Pater noster, & Credo in Deum, Miserere mei Deus, & Ave Maria.

(b) *Odo Paris.* in Statutis *n.* 10. Exhortentur Populum semper Presbyteri ad dicendam orationem Dominicam, & Credo in Deum, & Salutationem Beatae Virginis.

(c) *Vide N. Thomam Malvenda in* Annalibus Ordinis, *ceterosque Historicos Nostrates. Id expressè habetur in* Constitutionibus Ord. Praedicat. Dist. *I.* de Officio Ecclesiae *Cap. I.*

(d) *Ritus hic summa observantia custoditur ubique, ut omnibus est notum.*

(e) *De hac institutione cùm agant omnes Dominicani, qui de hac re scripserunt, praecipuè consuli possunt Critici recentiores, eruditique nostrates Natalis Alexander* Histor. Ecclesiast. Secul. *XIII.* art. *V. Jacobus Echard in appendic.* ad Bibliothec. Scriptor. Ordinis, *Monilia* de Origine, & progressu Rosarii, *Antoninus Bremondi* in Bullario Ordinis; *legesis etiam novissimas* Epistolas ad Pacificos viros, *aliosque Apologeticos adversùs Bollandistas* ad diem *IV.* Augusti.

(f) *Mabillonius* Praefat. in Sec. V. Benedictin. *idem, quod Mabillonius sentit, priùs scripsit Polydorus Virgilius* de Inventoribus rerum Lib. V. cap. 9.

(g) *Card. Bona* de Divina Psalmodia C. XVI.

Digitized by Google

est, quòd pridem consueras preces, nimirùm Orationem Dominicam,& Apostolorum Symbolum non omisit, sed servat Romana Ecclesia, custodiuntque illius communionis homines, majorique frequentia, ac pridem, ingeminant illas.

Nec ullum faceſſit negotium, quod iterùm ad perfidiam repetunt criminatores, nos adcensentes Collyridianis, quos perstrinxit, profligavitque S. Epiphanius, quia, nimirùm, ajunt nos ad Virginem, veluti ad Deum confugere, ipsam adpellantes *Spem nostram*, *&c.* quod solùm solique Deo competere prò comperto est apud omnes, qui Catholici audiunt, nec ullus unquam veterum Patrum eo titulo Deiparam, aut salutavit, aut interpellavit: hinc vel ex novitate ipsa vanam censendam esse praesentem consuetudinem blasphemant; hisque similia effutiunt, ut nos carpant, & Deiparae detrahant.

Nullimodè, inquam, nobis obsistunt, qui ità comminiscuntur, ut fucum faciant Nobis. Equidem nos haud uti Deum Virginem adoramus, sed Creaturam à Deo supernis redimitam donis, coelestibus ditatam thesauris, gratia plenam, & benedictam inter mulieres, *Cui fecit magna, qui potens est*, religiosa devotione colimus, & veneramur, ingeminantes propterea illud met Epiphanii, quod nobis fraude objiciunt Novatores: (a) *Honoretur sanè Maria, Pater vero, Filius, & Spiritus Sanctus adorentur*. Confitemur porrò cum Apostolo: *Omne datum optimum, & omne bonum desursum est descendens à Patre Luminum, apud quem non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio* ..... Sed per Mariam, velut per canalem, & aquaeductum nobis dona Coelestia conferri, ac veluti per advocatam apud filium, quem genuit, cuique innixa regnat in Coelis, & confidimus, & contestamur. Illud Clarae-Vallensis Abbatis nobis praestò est: (b) *Sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam*. Eoque ex momento figuratè dicimus eam *Vitam*, & *spem nostram*, quandoquidem ejus intercedentibus meritis, ejusque patrocinio, & intercessione habemus fiduciam in introitu Sanctorum, & Vitam à Domino confidimus obtinere. Ad eam idcircò confugimus, ad illam ea ex causa dirigimus preces, ut ipsa prò nobis intercedat apud Judicem, & quem justè timemus iratum, fidenter speramus propitium merito Virginis, quae genuit eum: idcircò cum eodem S. Bernardo repetimus. *Exaudiet Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater* ..: *Haec peccatorum scala, haec mea maxima fiducia est, haec tota ratio spei meae*.

* Quòd verò nullus Veterum Patrum hisce titulis decorarit, aut salutarit Virginem Deiparam, plusquam commentitium est. S. Irenaeus MARIAM *advocatam* adpellavit (d). S. Ephrem Syrus *protectricem*, *& auxiliatricem* dixit (e), S. Epiphanius de ea loquens ait: (f) *Ma-*

(a) *S. Epiphanius* Haeresi *LXXIX.*
(b) *S. Bernardus* Sermone in Nativit. B. M. Virginis.
(c) *Idem ibidem*. *Lege* Epistolam L. N. Natalis Alexandri.
(d) *S. Irenaeus* lib. V. advers. haereses *cap.* 9.
(e) *S. Ephrem Syrus* Serm. de laudibus B. Mariae Virginis.
(f) *S. Epiphanius* Haeresi *LXXVIII.*

Digitized by Google

riam interpretari solemus Dominam, atque etiam spem. Peperit enim Dominum, qui est etiam spes totius Mundi. S. Basilius Seleucienſis ità eandem Beatiſſimam Virginem laudat, ſalutat, exorat: (a) *O' Virgo Sanctiſſima ... nos de ſupernis intuens eſto propitia, ut modò quidem regas in pace; in judicio autem, ac prò Tribunali illo, ſine pudore, ac fiducia plenos adducens, ejus nos ſtationis, quae à dextris eſt, participes facias.* A' S. Johanne Damaſceno ſuit dicta: (b) *Chriſtianorum ſpes, firma ſalutis arrha, Mediatrix, Angelorum Domina, & rerum omnium conditarum Hera....* Et ad eandem Sermonem vertens, & orationem dirigens, ità de eadem loquitur piiſſimus Doctor. *Tibi nos quoque hodierna die aſſidemus ò Domina, Domina, atque iterùm dicam, Domina, Dei genitrix, & Virgo, animas noſtras ad ſpem tuam, non ſecùs atque ad firmiſſimam anchoram alligantes*, &c. Prolixus nimiùm forem, ſi omnia id genus Veterum Patrum encomia in honorem Deiparae vellem laudare: ſatis ergò ſit, vel indigitare ab omnibus univerſim Patribus hiſce utulis fuiſſe diſtinctam, & ſalutatam praeſertim à S. Petro Chryſologo (c), à Leone Auguſto (d), à S. Hidelphonſo (e), à S. Andrea Cretenſe (f), à S. Petro Damiani (g), aliiſque, quos conſulere eſt apud laudatos Theologos, & Eccleſiaſtes, & ex his, quos paulò ante laudavimus, apertiſſimè colligitur.

EXERCITATIO XVII.

XXVII. PROPOSITIO.

Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus: In Nomine Patris, &c. *praetermiſſis illis* Ego te baptizo.

MOdicùm in hac Exercitatione immorandum occurrit, quum dilucidus ſit ſenſus damnatae theſis, & commentum in ea contentum facili negotio, ſed re benè librata, ſolidoque adhibito argumento, profligetur. Quapropter etſi aliqui recentiores Theologi in ea theſi ventilanda omne adhibuerint ſtudium, ut illud idem argumentum elaborarent, quo olim uſi ſunt Scholaſtici XIII. Seculi ad idem met oſtendendum, nimirùm per verba Sacramentalia exprimendam fore actionem ipſam Sacramentalem, ut actio ad multa indifferens determinaretur ad Sacramentum conficiendum; ideòque ex eo concluſerunt neceſſarium fore in Baptiſmi collatione proferre verba *Ego te baptizo*, ut eadem ablutio ad plura indifferens, ſic per verba expreſſa, addita invocatione Trinitatis, fieret Sacramentalis. Pace tamen tot illuſtrium virorum, & ut minùs ſapiens dicam: Haec ratio, etſi congruentialis ſit, nimirùm, ſuppoſita certitudine inſtitutionis Chriſti Servatoris modò expreſſa, convincens undequaque non eſt: cùm benè actio ipſa, juxtà ritum Eccleſiae facta, & adhi-

(a) *S. Baſilius Seleucienſ.* Orat. in Annunciatione B. M. V.

(b) *S. Joh. Damaſcenus* Orat. I. de B. Mariae dormitione.

(c) *S. Petr. Chryſolog.* Serm. *II.* in Annunciat. B. Mariae Virginis.

(d) *Leo Auguſtus* Oratione in Annunciationem.

(e) *S. Hidelphonſ.* in Aſſumptione B. M. Virginis.

(f) *S. Andreas Cretenſis* Oratione *II.* & *III.* in Dormitionem Deiparae.

(g) *S. Petrus Damiani* Homilia *XLVI.* in Nativitate B. Mariae Virginis.

Digitized by Google

hibita invocatione Trinitatis, certè nonnisi ad unum determinatumque effectum causandum ordinatur. Neque desunt hujusce rei exempla, quae laudatum argumentum enervent. Non minùs quidem in Sacramento Baptismi, ac in aliis id genus Sacramentis, actio de se ad plura indifferens debet determinari per verba expressiva ejusdem actionis. Atqui id non undequeque verum est in collatione Chrismatis, nam Graeci ungentes frontem baptizati haec dumtaxat verba proferunt: σφραγὶς δωρεᾶς πνευματος αγιου (a) *Signaculum donationis Spiritus Sancti*. Et ut ait Petrus Arcudius: (b) *deest verbum more Graecorum, quorum phrasis propria hoc eleganter aliquando exigit, & sensus est: hoc signo donantur munera Spiritus Sancti, imò, & ipse Spiritus Sanctus*: Cui consonat illa latina vetus forma: *Signum Christi in vitam aeternam* (c); Cui pariter plures aliae formae Sacramenti Confirmationis sine ulla expressione ministerialis actionis, & in Ecclesia pridem probatae, concordant: Nimirùm illa apud Amalarium (d), & vulgatum Alcuinum: (e) *In nomine Patris, & Filii, & Spiritu Sancti. Pax tibi*. Et illa apud Aethiopes usitata: (f) *In unctionem gratiae Spiritus Sancti. Amen*. Igitur ex hisce concludent Oppositores ad valorem Sacramenti Baptismatis sufficere illa tantùm verba: *in nomine Patris*, &c. absque illis praecedentibus: *Ego te baptizo*: praecipuè, quia Christus, dum Apostolos baptizatum misit, non imposuit eis, ut hanc proferrent formam: *Ego te baptizo*; sed ut hanc actionem perficerent in Nomine Trinitatis, hinc ait: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Quare hisce ex momentis in praefatum modò confixum errorem de validitate baptismi sine praeviis verbis, dummodò adhiberetur ablutio, & invocatio Trinitatis, prolapsi sunt non ignobiles Theologi Propositivus (g), Petrus Cantor (h), & Hugo à S. Victore (i), qui solo ratiocinio utentes, aliudve non adhibentes Theologicum locum, facillimè errarunt. Errori mendacium addiderunt recentiores Theologastri, qui adseruerunt aliquando valuisse Sacramentum Baptismi modo praefato collatum. Ut ergò firmiùs error dissolvatur, ad nobilius adpellandum est momentum, quo expenso, disparitas de Confirmatione clarescet (cujus forma in individuo haud fuit à Christo Servatore instituta, de qua re alibi Deo dante

(a) *Ità Symeon Thessalonicensis. Vide N. Goar in* Euchologio, *Petrum Arcudium*, & *Job. Morinum* de Poenitentia Lib. *VIII. Cap. XVI.*

(b) *Arcudius* de Sacram. Confirmat. *Cap. VI.*

(c) *Job. Morinus ibidem laudatam formam refert. Extat autem eadem forma in* Ordine Gelasiano, & in antiquioribus Sacramentorum libris, *ut ait Edmundus Martene* De antiquis Ecclesiae Ritibus Lib. *I.* de Confirmatione *Cap. XI.*

(d) *Amalarius* Lib. *I.* de Officiis Ecclesiasticis *Cap.* 2.

(e) *Vulgatus Alcuinus* de Divinis Officiis *Cap.* de Sabbato Sancto, *eandemque refert N. Guillelmus Durandus* in Rational. Divinor. Officior. lib. *VI. Cap.* 84.

(f) *Vide Edmund. Martene ibidem.*

(g) *Praepositiv. IV.* P. Summae Theologicae.

(h) *Petrus Cantor in* Summa de Sacramentis, & animae Consiliis (*quae extat MS. Parisiis in Bibliotheca Victoriana*) *fol.* 156. *P. II. Vide Juenin* de Sacramentis Dissertat. *II.* de Baptismo Q. *IV.* de forma Baptismi *Art. II.*

(i) *Hugo Victorinus* Lib. *II.* P. *II.* Cap. 13. de Sacramentis fidei.

Digitized by Google

te (a)) &c. quae ex Evangelio laudantur, facillimè eluuntur. Nec alium certè Theologicum locum hìc laudandi animus est, quàm *Traditionis*, ad quem veluti ad Sacram anchoram recurrendum esse, praesertim in materia Sacramentali, universim Polemici primi subsellii conclamant.

Tertullianus loquens de Baptismo ait: (a) *Lex etiam tinguendi imposita est, & forma praescripta. Ite, inquit, docete nationes, tinguentes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Formam igitur baptismi consistere in his verbis: *Ego te baptizo*, &c. clarè ostendit Tertullianus, dum hanc formam à lege distinguit: lex actionem praecipit, sed forma, seu norma baptizandi est expressio illa actionis ablutivae. Verùm quiadubium ex laudato Tertulliani monumento suboriri potest, praesertim cùm nomen *formae*, hodie Theologis consuetum, ex Scholasticis originem fortasse traxerit; Alia indubia, & solida monumenta in medium proferre operae pretium est. Et quamvis priorum Ecclesiae Seculorum nobis haud sint praesto Ritualia, quae ad nos pervenire non potuerunt: sicuti etiam esto subobscura sint monumenta Patrum ad disciplinam Arcani sartam tectam custodiendam, ut etiam de hac materia loquens evidenter ostendis Cl. Emmanuel Schelstrate (c): tamen ex sequentibus Seculis, pace plenaria Ecclesiae restituta, id fas est colligere, cùm nequiverint in re tanti momenti, aut aliud à Christo statutum servare, aut aliud tradere, quod non erat ex Apostolica traditione. Et quidem ex utriusque Ecclesiae, Orientalis, nimirùm, & Occidentalis luculentis testimoniis rem firmare oportet, ut ex utriusque concordia, & doctrina cùm in ritu, tùm in dogmate, damnata thesis plenius ventiletur.

Ex Orientali quidem (in qua nullus circà hanc rem unquam emersit error, opinio nulla locum habuit) firmissimam habemus traditionem. Extat hodie apud eos Euchologium, in quo haec, aut similis praescribitur forma, nulla substantiali mutatione variata, prout ad rem praesentem facit. (d) *Baptizatur Servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Nec quidem in

(a) *Si D.O.M. dederit, ex professo agam de hac re in Tract.* de Sacrosanctis Ecclesiae Symbolis. *Interim Consule, quae de Ordinibus loquens dixi T. I. Exercit. XVII. Consule etiam Morinum* de Sacris Ordinationibus, *NN. Dominicum Gravina, Job. Baptistam Gonet, & alios Thomistas* de Sacramentis *agentes: praecipuè eos, qui adstruunt materiam, & formam Confirmationis, & Ordinationis, &c. excepto Baptismate, & Eucharistia, fuisse à Christo Domino designatam in genere, non in specie, saltem subalterna, facta Ecclesiae potestate immutandi eam; sed mea sententia ibidem Deo dante expendetur.*

(b) *Tertullianus* Lib. de Baptismo *Cap. XIII.*

(c) *Em. Schelstrate* de Disciplina Arcani *Artic. II.*

(d) *Sic habetur in* Euchologio Graecorum. *Et quamvis aliqui Scholastici adseruerint Graecos adhibere in Baptismo formam imperativam* Batipetur, *non verò enunciativam* Baptizatur, *id evenit ex affinitate verborum, & obscuritate seculi, in quo primùm error iste exortus est. Sic enim legitur ibi* βαπτίζεται Baptizatur, *non verò* βαπτίζου Baptizetur, *& ità adserunt graecè doctissimi Job. Morinus* Lib. *VI.* de Poenitentia *Cap. XVI. Petrus Arcudius* Lib. *I.* de Baptismo *Cap. VIII.* de Forma Baptismi Graecorum, *NN Jacobus Goar* in Euchologio Graecorum de Officio S. Baptismatis, *& Johannes Nicolai in* nota marginali ad *III.* P. S. Th. de Baptismo, *& alibi pluries in eadem Summa. Similiter in Graecorum Ritualibus dicitur* Baptizatur Servus Christi, *vel* Baptizatur Servus Dei, *vel* Baptizatur N. *Variae itidem aliae adduntur formae laudatae, quae nil continent contrà fidem Catholicam. Vide laudatos authores, ut corrigas etiam errores aliorum, & benè cuncta perpendas, quae alibi fortasse expendemus, cùm locus non suppetat aliqua examinandi, quae operosiùs sunt pertractanda.*

Digitized by Google

in praesenti Euchologio ejusdem formae fit mentio; verùm, & in antiquioribus, ut ex testimonio Cardinalis Bessarionis(a), & Symeonis Thessalonicensis (b). Constat etiam ex Codice manuscripto Cryptae Ferratae octincentis fortasse annis antea conscripto (c), qui eidem Bessarioni fuit traditus, dum ejusdem Monasterii fuit institutus Abbas. Similiter in Antiquissimo Rituali Syriaco, vulgò tributo Severo Alexandrino Patriarchae, qui vivebat Anno 978 (d) describitur ritus baptizandi hoc modo. *Et continuò ducit eos in Baptisterium, & imponit manum suam super caput ejus, qui baptizatur, & effundit aquam cum sinistra super illius caput tribus vicibus, & dicit. Baptizatur talis in Nomine Patris Amen, & Filii Amen, & Spiritus Sancti in vitam Seculi Seculorum.* Refert itidem Johannes Moscus, qui adhuc vivente S. Gregorio M. in vivis erat, Judaeum sic fuisse baptizatum, nimirùm, juxtà graecorum ritum laudatum: (e) *Baptizatur Theodorus in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Tandem, ne ultrà progrediar, Theodorus Lector (f) memoriae tradidit, quòd, Constantinopoli Anastasio I. imperante cùm Deuterius Arianus Episcopus, corrupta Trinitatis invocatione in forma baptismi, *Barbam* quendam baptizasset hoc modo: *Baptizatur Barbas in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto*, confestim Deus ad detestationem Ariani sphalmatis, & confusionem Heterodoxi Antistitis miraculum patravit. *Quo dicto*, subdit idem Theodorus, *aqua in Colymbetra evanuit.* En quomodo interrupta Annorum serie à V. Seculo Christianae fidei ad hanc usque aetatem semper in forma Baptismi expressa fuit apud Graecos actio ministri lavantis per ea verba *Baptizatur* N. seu, quod idem est apud nos, *Ego te Baptizo.*

In Occidentali autem Ecclesia, idem pariformiter fuit servatum: Legitur enim eadem forma in Sacramentario S. Gregorii M. Legitur etiam in Ordine Romano, quòd centum ferè post annos fuit editus. In Antiquissimo Missali Gothico-Gallicano Annos 900. superante, quod vulgavit Joseph Maria Thomasius, S. R. E. postmodùm Cardinalis doctissimus juxtà, ac piissimus, haec legitur forma Baptismi. (g) *Baptizo te ill. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, in remissionem peccatorum, ut habeas vitam aeternam.* Ad quam formam alludere videtur Concilium Milevitanum II. Canone XXII. ut adnotavit Cl. Edmundus Martene (h). In alio veteri Missali Gallicano sic: *Baptizo te credentem in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut habeas vitam aeternam in Se-*

(a) *Cardinalis Bessarion unus fuit ex Patribus Orientalibus Florentini Concilii Anno* 1438. *tunc Nicaenus Archiepiscopus, qui postea adgregatus Rom. Ecclesiae fuit purpura insignitus, vir dubio procul eruditus.*

(b) *Symeon Thessalonicensis Archi-Praesul apud laudatos Morinum, Goar, & Arcudium. Vivebat autem laudatus Symeon, dum Franci in Oriente imperium tenebant, ut ipse Lib. VIII. scribit, ex quo constat XIV. Ecclesiae Seculo eum scripsisse. Vide Job. Morin.* de Sacris Ordinationibus P. II. Ordinationes Graecorum.

(c) *Ità Johannes Morinus* De Sacris Ordinationibus *P. II.* Graecorum Ordinationes.

(d) *Apud eundem Joh. Morinum* de Poenitentia lib. *VIII. Cap. XIX.*

(e) *Joan. Moscb.* in Prato Spirituali *C.* 175

(f) *Theodorus Lector* Collectaneorum *Lib II.*

(g) *Hoc idem Missale novis typis mandavit in Galliis, probavitque Cl. V. Johannes Mabillonius, laudavit etiam Edmundus Martene* de Antiquis Ecclesiae Ritibus *loc. cit.*

(h) *Edmund. Martene* de Antiquis Ecclesiae Ritibus *ubi sup.*

Digitized by Google

Secula Seculorum. Similis quoque forma legitur in MS. Codice Bibliothecae Colbertinae: Similiter in antiquo Miſſali Gallicano circà dimidium VII. Seculi ſcripto, quod ex Bobienſi MS. Codice publicavit Cl. Johanes Mabillonius (a), haec praeſcribitur forma Baptiſmi. *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti unam habentem ſubſtantiam, ut habeas vitam aeternam, partem cum Sanctis*. Idem quoque nobis conſtat ex quartodecimo inter reſponſa, quae anno 754. dedit Stephanus Papa II. ad varia dubia, quae fuerunt ei propoſita, dum in Francia in Cariſiaca Villa in Brittanico Monaſterio degeret; eratque hoc XIV. *De illo Presbytero, qui baptizavit iſto modo ſic ruſticè* (b). *In nomine Patris mergo, & Filii mergo, & Spiritus Sancti mergo*. Confirmatur etiam ex facto Presbyteri ignorantis, qui latini idiomatis penitùs ignarus, his verbis baptizaverat: *Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancta*, de quo, ut ſuam ferret ſententiam fuit conſultus Zacharias R. P. extatque ea de re Epiſtola ejuſdem (c). In quibus omnibus, ut conſtat, ſemper fuerunt in forma baptiſmi prolata priora illa verba: *Ego te baptizo*. Leguntur pariter eaedem formae cum expreſſione actionis luſtralis apud Amalarium (d), & Alcuinum (e), nec non in omnibus Ritualibus ſequioris aetatis. Quinimò, cùm exortum fuiſſet dubium, num validus eſſet cenſendus baptiſmus in articulo neceſſitatis à Patre collatus, dum filium jam mortì proximum demerſit in aquam, dicens ſolùm: *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, (quod juxtà barbariem Seculi dicebatur *undejare* (f)) Alexander III. refellens errorem aliquorum poſtremae illius aetatis Theologorum, decrevit diffinivitque invalidum omninò cenſendum eſſe praefatum baptiſmum, utpotè peractum contrà ritum à Chriſto Domino inſtitutum, & nobis Apoſtolica conſtanti doctrina traditum (g). Nec ullus in poſterum è Theologis auſus eſt errorem in Decretali Alexandri III. Epiſtola confutatum docere, etſi non erubuerint noviſſimis temporibus aliqui errorem eum jam confixum renovare.

Ex hoc ergò momento firmiſſimè ſtatuitur catholicum dogma, & refelluntur omnia ex adverſo efformata ſophiſmata: quum ad valorem Sacramenti ea ſint de neceſſitate ſervanda, quae ex Chriſti inſtitutione ad illius eſſentiam ſpectant: & quia, ut notum eſt ex tradi-

(a) *Mabillonius* T. I. Muſaei Italici.

(b) *Apud eundem Martene, & univerſim apud Eruditos*.

(c) *Zacharias R. P. in* epiſt. ad Bonifacium Moguntinum Archiepiſcopum, *extat haec epiſtola in vita ejuſdem Bonifacii Authore Othlono* Seculo III. Benedictino P. II. pag. 60.

(d) *Amalarius Fortunatus Epiſcopus Trevirenſis IX. Seculo clarus in* lib. de Eccleſiaſticis Officiis.

(e) *Albinus Alcuinus Anglus Bedae diſcipulus VIII. labente Seculo illuſtris* Epiſtola CCLXXXI. ad Paulinum Patriarcham.

(f) *Ex Epiſtola Stephani S. Everſii Abbatis, qui poſteà fuit Epiſcopus Tornacenſis* ad Mauritium Pariſienſem Epiſcopum *Conſule. Cl. Carolum Dufreſne in* Gloſſario *T. VI. noviſſimae editionis, apud quem invenies, quòd pariter dicebatur* Undejare, Undaizare, & Undare. *Sed advertendum, quòd etſi laudatus Stephanus in errorem hunc modò ſpeciali decreto confixum, & primùm decreto Alexandri III. profligatum deſcendiſſet, Mauritius Pariſienſis Epiſcopus fortiter ei reſtitit, & paulò poſt Alexander III. ſuo decreto finem impoſuit liti*.

(g) *Alexander III. Ann.* 1160. *ad Pontificatum evectus in* Cap. Si quis de Baptiſmo, & ejus effectu L. III. Tit. XLII.

Digitized by Google

ditione ad essentiam Baptismi non solùm pertinet actio ablutiva in nomine explicitae Trinitatis, nimirùm Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; sed etiam ut in eadem forma haec actio ablutiva exprimatur, dum Sacer ritus perficitur, nempe, *Ego te baptizo*: ideò quaevis cavillatio, quodvis sophisma dissolvitur ea traditione spectata; ex eaque benè infertur contrà adversarios actio Ministri exprimenda in forma Sacramenti, ut actio determinata per verba manifestetur, Quapropter Angelicus Doctor invictè articulum hunc edisserens adpellat ad utrumque, nimirùm, ad traditionem per decretalem Epistolam Alexandri III. firmatam, seu manifestatam, & ad theologicam congruentiam de expressione verborum in forma ad determinationem actionis, ut constat ex ejus doctrina seriò spectata. Primò dum ad Divinam institutionem in Verbo scripto extantem adpellat, ait: (a) *Sed contrà est, quod Dominus dicit Matthaei ultimò. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Secundò dum ad traditionem, ex qua decretum dogmaticum firmavit Alex. III. confugit, & ex eo ad Theologicam rationem, inquit: (b) „ De subtractione, „ hoc certum est, quòd, si subtrahatur „ aliquod, quod sit de substantia formae non est Baptismus .... sed quidam „ dicunt, quòd expressio actus non est „ de substantia formae: unde si subtrahatur, facta sola Trinitatis invocatione, erit Bāptismus. Sed contrà hoc „ est Decretalis Alexandri Papae III. (c), „ qui dicit, quòd si quis puerum in aqua „ ter merserit, dicendo: *In nomine „ Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, „ si non dicat, *Ego te baptizo*, talis „ immersio non facit Baptisma. Oportet enim, quòd per formam virtus „ Trinitatis invocatae ad materiam proposita determinetur, quod fit in „ expressione actus. Similiter etiam „ expressio personae Baptizatae est de „ substantia formae, quia per eam determinatur actus ad hunc baptismum, „ & ideò si subtrahatur non erit baptismus. „

Et haec satis ad vindiciam Catholici dogmatis. Verùm ad vindiciam Cl. N. Ordinis Theologi Dominici Soto, advertendum est, quòd non fideliter P. Viva (ex Dicastillo) referat illius sententiam, dum adstruit absolutè Sotum docuisse valere baptismum sub hac forma collatum: *Baptizet te Christus* (d). Sotus enim disertissimè docet, & probat ad valorem Sacramenti requiri, quòd in forma explicetur actio ministri, & subjecti hoc modo: *Ego te baptizo*, & dumtaxat expendens formam Graecorum: *Baptizetur* (quam etiam ipse Viva ità repingit) eam explicat juxtà intelligentiam Innocentii III., nimirùm idem valere ac *baptizet te Christus*, additque tunc solùm hoc modo esse validam, cùm subintelligitur *per me*: ità ut hìc sit sensus ejus: *Baptizet te Christus per me in nomine Patris*, &c. sicut valida est haec ex forma Graecorum: *Absolvat*

(a) *S. Thomas III. P. Qu. LXVI. Art. V.* in argumento sed contrà.

(b) *S. Thomas* in IV. Sententiarum Dist. III. Qu. II. Art. 2. Quaestiuncula III. in corpor.

(c) *Alexander III. modò laudatus.*

(d) *P. Viva hìc Propos. XXVII. §. VII.* Confirmatur & *§. XIV.* Ad tertiam.

Digitized by Google

te Deus per me. Secùs verò si non intelligatur in ea *per me*, ideſt actio miniſtri abſolventis (a).

EXERCITATIO XVIII.

XXVIII. PROPOSITIO.

Valet Baptiſmus collatus à Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus verò in corde ſuo apud ſe reſolvit, non intendo facere, quod facit Eccleſia.

CIrcà intentionem Miniſtri in Sacramentis conficiendis duplex fuit opinio, haereticorum una, catholicorum altera. Contendebant illi (b) validum fore judicandum Sacramentum à Miniſtro confectum juxtà Chriſti Servatoris praeſcriptum, debita, nimirùm, adpoſita materia, & ſubſtantiali forma prolata; etiam ſi Miniſter conficiens, ne dùm interius, occultaque voluntate, decernat ſe nolle conficere Sacramentum, verùm, & ſuam intentionem exterius proferat: imò quamvis Miniſter coactè externum ritum ad pompam, ut dici ſolet, peragat; quin etiam, licèt mimicè, irriſoriè, & ex joco exterum Sacramentalem actionem perficiat, eam ſufficere ad Sacramenti valorem commenti ſunt Novatores.

Catholicorum autem ex adverſo, aſſio temperamento moderata, opinio longè nimis ab Heterodoxorum ſphalmate abit, ut vel ex ejus expoſitione conſtat. Docuerunt etenim plures non ignobilis notae Theologi (c) ſufficere ad Sacramenti valorem (ſecus verò ad piam religioſamque miniſtrationem) intentionem externam Miniſtri conficientis (eſtò interior, & occulta, nullique manifeſtata, ſit omninò contraria) modò tamen actio Sacramentalis juxtà Eccleſiae praeſcriptum fiat, ſeriò, ſpontè, & omni devotionis exterioris ritu ſervato. Hancque ſententiam primùs traditam à clariſſimis Viris renovavit explicavitque N. Ambroſius Catharinus (d), Vir dubio procul nedum inter primores Theologos recenſendus, ſed & inter Canoniſtas principem obtinens locum, unus è Tridentini Concilii Patribus, quem

(a) *Dominic. Soto* in IV. Sententiarum Diſt. III. Qu. unica Art. 5.

(b) *Lutherus* de Captivitate Babylonica *Cap.* de Baptiſmo, *& toto paſſim libro* de abroganda Miſſa privata, *quem anno* 1534. *iratis diis in publicum miſit*. *Calvinus* in Antitodo contrà Concil. Tridentin. ad Can. XI. Seſſionis VII. *Tilmannus lib.* de Sexcentis Pontificiorum errotibus, *Kemnitius* II. Parte Examinis, *ceterique utriuſque ſectae gregales*.

(c) *Theologi, qui prò II. opinione laudantur, ex veteribus ſunt Magiſter Sententiarum, Praepoſitivus, Petrus Cantor, Robertus Pullus S.R.E. Cardinalis, Innocentius IV. R.P. Angelus de Clavaſio. Ex NN. Petrus Paludanus Patriarcha Hieroſolymitanus, Sylveſter Prieras S.P. Apoſtolici Magiſter, Chryſoſtomus Javellus, aliique*.

(d) *Ambroſius Catharinus in Seculo* Langelloctus Politus *celeberrimus ille Canoniſtarum Princeps patria Senenſis, Ordini Praedicatorum Annum agens XXX. adſcriptus, & ad infulas ex Ordine adſumtus unus ex Patribus Tridentinae Synod. in qua elegantem orationem habuit, hanc ſententiam docuit in* Opuſculo de intentione Miniſtri *Romae edito, Summ. Pontifice, & Tridentinis Patribus non improbantibus, ut ſcribit N. Natalis* Hiſt. Eccleſ. Sec. XVI. *& ante eum adnotaverat Card. Pallavicinus poſt pauca laudandus. Quamvis Card. Bellarminus* in Lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis *plus aequo vellicet Catharinum noſtrum, vindicarunt eum Viri Summi. Sat eſt in ejus laudem elogium quo eum decoravit. Laudatus Card. Pallavicinus* in Hiſtor. Concilii Tridentini Lib. XIII. *Cap. VIII.* Summa vir extimatione per annos, quos vixit, ſed per opera, quae ſcripſit minor, cui fortaſsè communis de ipſis opinio minùs favit, quia ille in iiſdem communem aliorum opinionem minoris fecit; Sed in certaminibus cum haereticis, functionibuſque Concilii, nemini ſuorum aequalium, aut Collegarum plauſu ceſſit. *Legendi ſunt praeterea Noſtrates Siſtus, & Antonius Senenſes, Natalis Alexander, Jacobus Echard, & Hyacinthus Serry*.

Digitized by Google

quem maximi fecerunt Romani Pontifices, & suae aetatis omnes Viri summi laudarunt (a); habuitque sententiae suae Catharinus quamplurimos Sectatores de Romana Ecclesia, & de Republica litteraria benè meritos Theologos (b), praecipuè quia momenta, quibus eam vallavit insignis Dominicanus, & modi, quibus eam explicavit, duritiem omnem primitùs obviam emolliunt, & asperitatem omnem evertunt, eruditèque nimis ea expendit Cl. N. Hyacinthus Serry (c).

Priorem opinionem, seu purum purumque Novatorum commentum, jam pridem à Concilii Tridentini Patribus proscriptam (d), fuisse iterùm per dogmaticam definitionem Alexandri VIII. diris devotam, nemo unquam inficias ivit. At verò num posterior, quae vulgò dicitur *Catharini* sententia, fuerit ab Alexandro VIII. nigro theta signata? hic punctus, hic labor est. Quamplures, ne dicam universim, Theologi, qui de Schola, & qui Casuistae dicuntur, eam fuisse in proscripta thesi confixam adserunt, praecipuè P. Viva, qui de hac posteriori sententia loquens ait: (e) *Hic*

(a) *Idem Catharinus dum adhuc in Seculo maneret à Leone X. Romae Consistorialis Aulae advocatus factus fuit. Posteà ex Ordine ad Episcopatum Minoritanum, seu Minorensem à Paulo III. fuit evectus, & ad Tridentinum missus, à Julio III renunciatus Archiepiscopus Compsanus, ab eodem fuit Romam vocatus ad amplissimos purpuratae honores, sed honoribus Major Neapoli decessit Anno MDLIII. Laudarunt eum itidem Viri Summi, nimirum PP. Concilii Tridentini; quare cùm Magister S. Palatii Catharinum vellicasset prò sententia de externa Ministri intentione, quam scriptis vulgaverat, per epistolas die 16. Octobris 1545 à Legatis Sacri Concilii rogatus est Summus Pontifex, Palatii sui Magistrum moneret, ut ab inferenda alteri molestia desisteret; affirmantibus vitam, & doctrinam Catharini ab omnibus commendari, ut C. Pallavicinus ait: Reliqui verò, qui eum laudarunt, consuli possunt, apud Nostrates nuper relatos, cùm non suppetat locus, & tempus ejus vindicias texendi.*

(b) *Theologi, qui post Catharinum eandem sententiam docuerunt, sunt Alphonsus Salmeronius insignis Theologus V. Societatis, qui etiam Tridentino adfuit,* Lib. I. Commentariorum in Epistolas S. Pauli, *Marius Scribonius Minorum Recollectorum Theologus Gallus in sua* Panalatia, *Zacharias Paschaligus Clericus Regularis* Disputatione LXXII. Sect. IV. *Jacobus Santobovius* Theologus Sorbonicus in Solutionibus Casuum Conscientiae Tom. II. Casu VII. *Omnesque itidem Sorbonae Doctores in suis thesibus, & bis in decisione duorum Casuum in causa duorum, qui in morte protestati sunt se Sacramenta ministrasse sine animo faciendi, quod facit Ecclesia, imò cum positiva intentione Sathanae sacrandi, quos baptizaverant, vel inaugurraverant respectivè. Vide laudatum Santobovium ibidem. Ex NN. autem Johannes Vigerius* Institutionum Theologicarum Capit. XVI. & *Vincentius Contensonius* in Theologia Mentis, & Cordis Tom. VII. Dissertatione II.

(c) *Hyacinthus Serry in Opusculo, cui Titulus* Vindiciae Vindiciarum *pag.* 30. *ità loquitur:* Mentem suam opportunis exemplis aperit Catharinus. Da E. G. Judicem, qui ridens, ac inter amicos, & pocula ludum faciens, sententiam aliquam ferat; is certè judicium tulisse censendus non erit, nec reus joculari illa sententia putabitur absolutus, aut fortè damnatus. At si sedens prò Tribunali, partibus auditis, servatisque publici juris formulis, voce gravi, vultu, habituque Senatorio, seriò, liberèque sententiam pronunciet; an non, quaeso, judicium stabit, tametsi intùs fortassis aliud animo volvat judex, reumque occulta mente nolit absolvere? Da pariter, si lubet, virum aliquem, qui coram Judice juramentum emittat liberè, seriòque, juxtà praescriptas juris formulas; qui tamen intrà semetipsum occultam intentionem retineat, eo se juramento nullatenùs obligandi: An non jurisjurandi Religione tenebitur; palamque exsibilabitur, si forte posteà dicat, quod olim ajebat nescio quis, juravi lingua, sed mentem injuratam retinui? Tales tibi ministros exhibet Catharinus ritum externum liberè seriòque celebrare volentes, ac re ipsa seriò celebrantes, in iis maximè circumstantiis, ex quibus determinantur ad agendum tanquam Ecclesiae ministri, illiusque nomine. Hos validè Sacramenta conficere docet, licèt intùs occulta mente Sacramenta, uti Sacramenta conficere nolint; totumque quod exteriùs agunt, secreta mente retractent.

(d) *Concilium Tridentinum Sess. VII.* Canone XI. Si quis dixerit in ministris, dum Sacramenta conficiunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia. Anathema sit.

(e) *P. Viva hic pag. 308. prim. edit.*

Digitized by Google

itaque est error, qui in hac propositione ab Alex. VIII. proscribitur.

At bona venia dixerim tot insignium Doctorum (quos veneror, sed mitiores optarem) non fuisse proscriptam Catharini sententiam ex vi laudati Alexandrini Decreti in praesentis thesis confixione luce meridiana clarius est. I. ex diversitate unam inter, & alteram thesim, magno inter eas variante discrimine. In confixa ab Alexandro VIII. thesi universim adstruitur validum Sacramentum exteriori solummodo Ecclesiae ritu servato, quomodocumque, & ubicumque peragatur: sive in theatro, sive in foro, sive liberè, sive coactè, sive seriò, sive per jocum; etiam in derisionem Christianae Religionis: omnisque intentio excluditur, sive vera ea sit, sive mera velleitas. At verò in sententia Catharini tunc solùm adstruitur validum Sacramentum, quando solummodò deest interna privata intentio adversa facto: quod reapse idem est dicere, quando deficit velleitas illa, qua non intenditur Sacramentum, quod revera liberè perficitur. Quis enim ignorat internam illam, privatamque intentionem contrariam facto efficaciter intento esse meram velleitatem? Non secùs ageret sic operans in hypothesi, ac qui nollet stuppam incendere, quam volens, & libens admovet igni. Similiter in praefato systemate Catharini, ut sit validum Sacramentum, debet esse peractum (estò ab internè nolente) seriò, liberè, spontè, juxtà ritum Ecclesiae, & in eis circumstantiis, in quibus rectè praesumeret Ecclesia de sincera voluntate operantis. Hac ergò tam magna diversitate stante thesim generalem confixam, inter, & hypothesim Catharini, ut dicatur ista non includi in illa operae pretium est: quum ex adverso ista intrà tot cancellos clausa procul nimis abeat ab ea tàm ampla, & vaga, ut velut Oriens ab Occidente distare videatur. Ex eo namque capite ostendimus pluries innumeras theses sua probabilitate potiri, aliasque verè tutas moraliter esse, quia, etsi speciem aliquam praeseferant confixae thesis, tamen ex moderamine, & temperamento longè abibant ab illis, ne in vitiosum extremum impingeremus, medio in virtute servando penitùs neglecto.

II. Quia etiam post confixionem hujusce thesis, quam nunc adsumimus impugnandam, in Catharini sententiam innoxiè descenderunt quamplures haud ignobiles Theologi, quorum opera nunquam fuerunt in Indice Romano notata (a).

III. Quia post laudatum Alexandri

(a) *Theologi, qui prò* Catharini *sententia steterunt etiam post laudatum Alexandri VIII. decretum, sunt Gaspar Juenin Oratorii Domini Jesu* in Commentario Historico-Dogmatico de Sacramentis, *Franciscus Genettus Episc. Vasionensis* in Appendice Tom III. Theologiae Moralis *primùm Clementi XI. nuncupatae, eodemque annuente Venetiis iterùm editae, Author Summae Alexandrinae, primùm Romae cum adprobatione Magistri Sac. Palatii Apostolici, aliorumque Censorum Curiae typis editae, & ex Benedicti XIII. jussu Anno 1725. publicatae*, Tom. I. Tractatu de Sacramentis in genere pag. 32. num. 47. *ex NN. Natalis Alexander* Tom. I. Theolog. Dogmatico Moralis De Sacramentis in genere Lib. II. Regulae ad praxim Spectantes, Regul. I. *Author Operis* de Re Sacramentaria De Sacramentis in genere Tom. I. *& prae omnibus Jacobus Hyacinthus Serry* in Vindiciis, & Vindiciis Vindiciarum Sententiae Catharini.

Digitized by Google

dri VIII. decretum, nedum in Galliis, sed in Italia etiam, quamplures Viri docti, adhuc in Academiis, publicè propugnarunt Catharini systema, scientibus, & non reclamantibus, aut Fidei Quaesitoribus, aut Pastoribus habentibus zelum secundùm scientiam. Quinimò (quod maximi ponderis est) etiam in Alma Urbe, adprobante S. Palatii Apostolici Magistro theses, ceteras inter, hanc de externa intentione Ministri, juxtà Catharini Systema, in publicis circulis propugnarunt viri docti.

IV. Tandem quia ipsimet Supremi Censores, qui interfuerunt Consistorio, in quo laudatus Romanus Pontifex Alexander VIII. praesentem thesim confixit, de mente Summi Ecclesiae Hierarchae consulti à Cl. Hyacintho Serry, tunc Romae degente (a), (ut ipse met testatur) respondérunt à SS. Pontifice nonnisi renascentem Lutheranam, Calvinianamque haeresim fuisse diris devotam. Quod dubio procul hic sibi locum figere, & nobis nimiùm favere, vel ex eo certius est, quia in laudata Alexandri Bulla innumeratae pridem confixae theses, & à Pseudo-Theologis quibusdam renovatae, fuerunt iterùm diris devotae, ut ex hucusque dictis perspicuum est.

His ergò dumtaxat ad expositionem thesis, & vindiciam mei Ordinis alumni, sed praesertim ad veritatis notitiam, & quidem ut ego reor, expositis (meam autem sententiam circà externam Ministri intentionem, alibi Deo dante exponam), & seriò praenotato, quòd nonnisi per injuriam, & calumniam ab aliquibus Catharini sententia adcensetur falso dogmati Acatholicorum, cùm nedum Patres Tridentini ejus doctrinam commendaverint, & Cl. Cardinalis Pallavicinus eam vindicaverit, illiusque sententiam propugnaverit Salmeronius; sed etiam Marcus Antonius de Dominis ad Protestantium castra ex Catholica Ecclesia transfuga, & Apostata, adhuc dum Novatorum dogma tuebatur, ab eorum systemate longè alienam dixerit sententiam Catharini (b). Directè contrà damnatam thesim, ejusque Patronorum momenta insurgo.

Et I. quidem ex Verbo Dei scripto. Apostolus namque I. ad Corinth. IV. de Ministris Sacramentorum loquens ait: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi,*

(a) *Serry* in Vindic. Vindiciar. p. 109 Quo circà Sanctè, & Religiosè profiteor, me quo tempore Decretum illud editum est, Romae substitisse, seriòque nonnullos primae notae Praesules Consultores, qui in ferenda sententia Judices sederant, interrogasse, num Catharini sententiam eo Decreto proscribere voluissent; eosque semel iterùmque id pernegasse, professosque aliùd longè à Catharini Systemate, ea proscripta contineri.

(b) *Marcus Antonius de Dominis* Lib. VI. de Republica Ecclesiastica *Cap* 12. *De eo ità scribit Philippus Brietius* in suis Annalibus *ad An. Christi MDCXVI.* Hoc Anno M. Antonius de Dominis, quondam Societatis Jesu, posteà Segniensis Episcopus, ac denique Spalatensis in Dalmatia Archiepiscopus, homo leviissimus, atque vanissimus, nescio quo, aestro percitus, fugit in Angliam, benignè susceptus à Rege doctissimo ipse non ignarus. Hic duo concinnavit vaegrandia volumina de Republica Christiana, in quibus multa stolidè effutiit adversùs Pontificem, & Ecclesiae administrationem. Hoc haereticis visum est opus palmare, quod tamen ipse rejecit, ad sanam mentem, ac lucidum saltem intervallum revocatus, neque enim se plane lapsisse posteà demonstravit.

Digitized by Google

ſti, & Diſpenſatores Myſteriorum Dei. Porrò Dei Miniſter, & diſpenſator homo dici nequit, qui veram ſinceramque intentionem non habet, ut conſtat; cùm Miniſter, & diſpenſator, ut ſuum exerceat munus, prudenter operari debeat; adeòque cum libera, & veri nominis intentione: & conſequenter ea deſtitutus, nec Miniſter eſt, nec diſpenſator; ſed irriſor, & diſſipator.

II. Ex Eccleſiae diffinitionibus antequam adversùs Novatores Tridentinum Concilium cogeretur. In Concilio Conſtantienſi praecipitur, ut homines de haereſi ſuſpecti interrogentur: *An credant, quòd malus Sacerdos, cum debita materia, & forma, & intentione faciendi, quod facit Eccleſia, verè baptizet, & vera conferat Sacramenta?* Contraria enim aſſertio unus è Vvicleffi erroribus erat: quare ad fidei profeſſionem pertinere diffinivit Eccleſia proteſtandum intentionem Miniſtri neceſſariam fore ad Sacramenta validè conficienda. Similiter in Concilio Florentino Eugenius PP. IV. in decreto ad Armenos, Septem Eccleſiae Sacramentis recenſitis, ſubjunxit: *Haec omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet, Rebus tanquam materia, Verbis tanquam forma, & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia*: Tandem Leo X. inter multos, quos in Luthero confixit, errores, hunc etiam proſcripſit. *Si Sacerdos non ſeriò, ſed joco abſolverit, ſi tamen credat poenitens ſe eſſe abſolutum, veriſſimè eſt abſolutus.*

III. Ex doctrina, & exemplo Veterum Patrum. Baptiſmum porrò collatum ab Energumeno, cui non fuerat lucidum intervallum, irritum, & nullum Firmilianus declaravit (a). Similiter ordinatio ab Epiſcopo ebrio, & temulento attentata futilis, & prorsùs nulla fuit ab Eccleſia declarata, ut Euſebius Caeſarienſis teſtatur (b): neque alio ex momento, niſi quia, cùm in ebrio, tum in energumeno ex defectu rationis intentio humana non aderat, eaque requiſita omnimodè ad Sacramentorum validitatem.

IV. Ex varia ratione theologica, nimirùm, ex ea, quae etiam ſupervacua fuit indigitata, quia cùm Chriſtus Sacramentorum adminiſtros deſtinaverit homines, eorum actionem in eis conferendis citrà omnem dubietatis aleam humanam eſſe voluit. Atqui humana haud unquam cenſetur actio, niſi ſit libera; nec libera unquam dicitur, quae non eſt ex rationis judicio cum electione voluntatis. Igitur nulla eſt actio Sacramentalis Miniſtrorum, quibus intentio deeſt. Et en aperta diſcriminis ratio Sacramentum inter, & frumentum, vel pharmacum, quorum exemplis cavillantur Novatores. Ad efficaciam eorum, nec medicus, nec Agricola conferunt, cùm benè ex ſe id habeant, & tam ex arte, quàm fortuitò producunt effectum. At Sacramentum ex humana actione dependet: hinc ubi deeſt intentio, quia etiam humana actio deficit, nullimodè eſt adinvenire Sacramentum. Similiter ex argumento, & doctrina S. Thomae. „ (c) Quando aliquid ſe habet ad mul-

„ ta,

(a) *Ex* epiſtola I. Firmiliani ad S. Cyprianum *data*.

(b) *Euſeb. Caeſar.* Lib. VI. Hiſtor. Eccleſiaſt. *Cap. XXXIII.*

(c) *S. Thomas III. P. Qu. LXIV. Art. VIII.*

Digitized by Google

„ ta ; oportet , quòd per aliquid de-
„ terminetur ad unum , ſi illud effici
„ debeat . Ea verò , quae in Sacramen-
„ tis aguntur , poſſunt diverſimodè agi.
„ Sicut ablutio aquae , quae fit in Ba-
„ ptiſmo , poteſt ordinari , & ad mun-
„ ditiam corporalem , & ad ſanitatem
„ corporalem , & ad ludum , & ad mul-
„ ta alia hujuſmodi . Et ideò oportet ,
„ quòd determinetur ad unum , ideſt
„ ad Sacramentalem effectum , per in-
„ tentionem abluentis . Et haec intentio
„ exprimitur per verba , quae in Sacra-
„ mentis dicuntur , puta cùm dicit : *Ego*
„ *te baptizo in nomine Patris* , &c. „ Et
en aliud diſcrimen inſtrumentum vivens
inter , & mortuum , quo abutuntur Aca-
tholici ad eliminandam intentionem
à Miniſtro Sacramentorum . Quandoqui-
dem , ut idem Angelicus ibidem ſubdit :
„ (a) Inſtrumentum inanimatum non
„ habet aliquam intentionem reſpectu
„ effectus ; ſed loco intentionis eſt mo-
„ tus , quo movetur à principali agen-
„ te . Sed inſtrumentum animatum , ſi-
„ cut eſt Miniſter , non ſolùm move-
„ tur , ſed etiam quodammodo movet
„ ſeipſum , in quantùm ſua voluntate
„ movet membra ad operandum : &
„ ideò requiritur ejus intentio , qua ſe
„ ſubjiciat principali agenti , ut ſcilicet
„ intendat facere , quod facit Chriſtus ,
„ & Eccleſia . „

Plura tamen iterùm objiciunt No-
vatores , ut fucum faciant veritati , quae
diſtinctè adponemus , ut viritim itidem
commenta evertamus . I. opponùnt illud
Geneſeos XXVII. ubi adſtruitur Jacobum
praeter intentionem , & mentem Iſaaci
fuiſſe benedictum (Eſau enim non Ja-
cob benedicere intendebat) cujus tamen
benedictio rata eſt habita , ubi depre-
henſus eſt error : *Benedixi ei , & erit be-
nedictus* .

II. Factum Athanaſii pueri , qui
per jocum ceteros pueros catechumenos
baptizavit , ſed juxtà morem , & ritum
Eccleſiae , quem ab Alexandro ſervatum
in Eccleſia vidit : quem tamen baptiſ-
mum validum declaravit laudatus Ale-
xander Epiſcopus Alexandrinae Eccle-
ſiae , coeremoniis dumtaxat ſuppletis ,
ut ex Socrate (b) , & Sozomeno (c) me-
moriae proditum eſt .

III. Geneſium obtrudunt in Scena
per ludum à Mimo baptizatum , quem
tamen verè baptiſmo luſtratum conſtat ,
quum Sacris Eccleſiae faſtis ſit adſcri-
ptus ad diem XXV. Auguſti .

IV. Alterum de Scena proferunt
teſtem , Dioſcorum Archi-Theatrum ,
quem *in theatro tota nugacitate ludentem* ,
*Chriſtianiſque ſacrilegè inſultantem bapti-
zatum* effutiunt , quo tamen baptiſmate
ejus fuerit deleta nugacitas , *ipſeque fidelis
ſit effectus* , *Chriſtique gratiam conſecutus* , ut
memoriae prodidit Auguſtinus (d) .

V. Opponunt Reſponſum Innocen-
tii IV. (e) *Non eſt neceſſe* , *quòd baptizans
gerat in mente* facere , quod facit Eccle-
ſia ; imò ſi contrarium *gereret in mente* ,
ſcilicet non facere , *quod facit Eccleſia* , *ſed
tamen facit* , *quia formam ſervat* , *nihilo-
minus baptizatus eſt* : nec non Canonem

ex

(a) *Idem ibidem* ad primum argumentum .
(b) *Socrates* Lib. I. Hiſtor. Eccleſiaſtic. *Ca-
pit. XIV.*
(c) *Sozom.* Lib. II. Hiſtor. Eccleſiaſtic. *Ca-
pit. XVII.*
(d) *S. Auguſtinus* Epiſtola *olim* ad Alypium
LXVII. *nunc verò* CCXXVII.
(e) In III. Decretalium *Tit.* de Baptiſmo , &
ejus effectibus *Cap.* Si quis puerum .

Digitized by Google

ex S. Augustino depromtum : (a) *Quos baptizat ebrius, baptizat Christus.*

VI. Tandem dicunt : Graeci cùm formam consecrationis, *Hoc est Corpus meum*, pronunciant, non intendunt facere, quod facit Ecclesia. Nec Calvinistae dum baptizant, intendunt facere, quod Romana Ecclesia intendit, ablutionem nempe criminum, & perfectam sanctificationem.

Verùm quàm elumbia sint eorum argumenta, quàm straminea, & ficulnea momenta haec *Protestantium*, is certè ignorat, qui certè hospes est in Polemica Theologia. Ut autem omnia plenè evertantur, singillatim ad quaelibet respondebo, ut detegatur fraus, diluantur commenta, & praeceps ruat tota babelica Turris.

Ad primum igitur respondeo extraneum omninò esse, & peregrinum ex Isaaco benedicente petitum argumentum, nil ad praesentem quaestionem pertinens; quinimò, si res tota penitùs perpendatur, adversùs Protestantes argumentum retorquetur. Porrò Isaac sinceram, veramque voluntatem habuit benedicendi, (quam nullatenùs in Sacramentorum administris illi exposcunt) etsi errore facti, eum, cui benedixit, putaverit Esau natu majorem, qui tamen erat Jacob natu minor; quo ex momento rata ab eodem Isaaco habita est benedictio. Quod in praesentiarum certò certiùs idem foret, ac si Parochus baptizaret infantem existimatum divitis filium, qui revera ex pauperibus natus est genitoribus: vel Confessarius poenitentem, quem credit nobilem, absolvit, estò ille sit de infima plebe, ut non semel accidit hodie ex abusu, & fastu etiam in vilibus ipsis vigente. Haec, inquam, & similia nil faciunt ad substantiam Sacramenti, & ut Theologi de Schola loquuntur, dumtaxat *de materiali* se habent. Sat ergò est (quod *ad formale* spectat, ut laudati Theologi dicunt) si revera, & seriò super quem sententiam absolutionis profert, absolvere intendat. Sicut, & seriò liberè, & sponte baptizatur, qui ad lavacrum regenerationis defertur.

Quòd si verò ex cortice ad medullam rimandam fecerimus gressum : quid sibi voluit actio illa Jacobi hoedinis pellibus contecti, & loco Esau à Matre suffecti ad benedictionem ab Isaaco caligante surripiendam? certè nonnisi mysterium id fuit, in figura praesignans Christum, qui nostra peccata tulit, factus maledictum prò nobis, quem propterea Pater Deus benedixit, & unxit oleo exultationis prae omnibus participibus suis, deditque ei gentes haereditatem suam, & possessionem suam terminos terrae. Idcircò enim Isaac praesentia tangens, futura prospiciens, praesentem filium revera benedictione dignum judicavit, natu quidem minorem, sed merito majorem, consultò benedixit, ut major serviret minori: hinc ait: *Vox quidem, vox Jacob est, sed manus, manus sunt Esau* (b). Verùm hoc obiter. Ad litteram adtendendo, nec ab historia, aut transversum unguem, aut latam paleam discedendo. Ex his, quae paulò

(a) *S. P. Augustinus* Tract. XXV. in Johannem.

(b) *S. Augustinus* Lib. contrà mendacium Cap. X. & alibi.

Digitized by Google

id ante diximus, luculenter adparet discrimen maximum Isaaci factum inter, & intentum Novatorum. Quinimò ex laudato facto itidem inferunt Theologi, & Canonistae, quòd etiamsi Episcopus in generali Ordinatione protestaretur se nullum admittere velle ad Sacram Ordinationem praeter plenè probatos per examen, sed adhuc inter admissos se intruderet exclusus, qui impositionem manuum reciperet, revera hic foret ordinatus, quia generalis illa protestatio excludendi non probatum evacuaretur per contrariam actionem, & sinceram voluntatem actualem inaugurandi praesentem, quem tamen non novit exclusum, dum actu eidem manus imponit(a).

Ad II. facilis foret responsio dicendo, quòd eo ex capite validus dicendus esset baptismus ab Athanasio puero ceteris puerulis collatus, quia etsi puerili modo, non mimicè quidem, & per irrisionem, sed seriò, & per imitationem Ecclesiasticae actionis ab Athanasio collatus; qui propterea catechumenos delegit, eosque abluit juxtà Ecclesiae ritum, & verè id agere Athanasius intendit, quod in Ecclesia fieri conspexerat, ut Alexandro respondit de facto, & de intentione agendi requisitus(b).

Verùm historiolam istam, licèt à Socrate, & Sozomeno memoratam, ad fabulas fore amandandam ex putido, quem involvit, anachronismo, certo certiùs evincitur. Quomodo enim tunc lusisse puer Athanasius adseritur, quando adultus erat, cui propterea nefas omninò est addicere ludum, ne dicam scelus infandum? Dum hoc egisse adfirmatur Athanasius, annus indigitatur, quo Alexandrinam insulam obtinuit Sanctus Alexander, qui certè fuit CCCXXI. ut ex S. Hieronymi Chronico constat. At quomodo eo anno tenellus, & inter puerulos ludens describitur Athanasius, qui quatriennio post, Anno nempe CCCXXV. Diaconus S. Alexandri erat, & ad Nicaenam Synodum adductus, inter praecipuos sui aevi Theologos adnumeratus, viriliter Arianos convicio perstrinxit, & idcircò illorum in se odium excitavit; quique propterea sequenti anno, Alexandro defuncto, hoc est Anno CCCXXVI. Alexandrinus Episcopus fuit inauguratus (c)? Ex populari falsa relatione citrà omnem dubietatis aleam hoc commentum erupit: quare nec Ruffinus ipse, à quo Socrates, &

(a) *Ità prae ceteris docent Job. Cabassutius* Juris Canonici Theor. & prax. Lib. III. *Cap.* 16. *num.* 15. *Ludovicus Bail* in examine Ordinandorum, *Johannes Pontas* Diction. Cas. Conscient. V. Ordines *Casu XXV. & N. Serry* in Vindiciis Vindiciarum.

(b) *Vide Gratianum* §. Ecce quomodo *Can.* Spiritus Sanctus *LXVIII.* 1. *qu.* 1. *Glossam in cit.* Can. V. *S. Thom* in IV. Sententiarum *Dist. VI.*

(c) *Ut ex Chronotaxi res dilucidè colligatur. S. Alexander suffectus fuit Archilli Alexandriae Episcopo vita functo Ann. CCCXI. S. Athanasius Anno CCCXXI. erat Diaconus, & juxtà disciplinam illius temporis ad Diaconatum nemo admittebatur nisi XXV. annos natus, ad Presbyteratum ante XXX. & ad Episcopatum ante XL. nemo admittebatur. Cùm ergò Athanasius post quinque menses à Coacta Synodo Nicaena I. successerit Alexandro jam defuncto in Alexandriae Cathedra, certè vel proximus XL. erat, vel eum excesserat Anno CCCXXVI. adeòque Anno CCCXI. quo adstruitur ludendo baptizasse pueros, jam expleverat ad minùs vicesimum quintum annum. Theodoretus enim de S. Athanasio loquens* lib. 1. cap. 26. *fabulam omnem evertit, dum ait:* Vir fuit à puero divinis litteris innutritus, & in singulis Ecclesiastici Ordinis gradibus summa cum admiratione versatus. *Quare vel ipsi Protestantes doctiores hodiè hanc fabellam exsibilant. Samuel Basnagius* Annal. Politic. Eccles. *Tom. II. pag.* 731. *esto aliter chronotaxim constituat in re haud à Nobis recedens. Guillelmus Cave* in Histor. litterar. Secul. Arian. in Athanasio.

Digitized by Google

Sozomenus fabellam hauſerunt, indubitatum certumque factum deſcripſit; ſed ex quadam vulgi narratione. *Fertur*, inquit Ruffinus, ex quo pariter Sozomenus Rufini exſcriptor, & commentator, id ipſum tradidit: *Athanaſio adhuc impuberi iſtud accidiſſe fertur*. Quâ de cauſſa dum ex commento Novatores errorem firmare pertentant, vel ex eo propriam deperditam cauſam confitentur. Nec mirum, quòd nonnemo Scholaſticus praefatam commentitiam hiſtoriam ab aliis relatam hauſerit, eaque admiſſa, rem, ut faciebat ad dogma, expenderit. Theologi, non Critici munus exſequens, quod ſuum erat implevit, aliis factum examinandum reliquit, quod propterea non impigrè, nec inerudite peregerunt Viri ſummi, quorum veſtigia ſequimur, dum Acatholicos impugnamus.

Ad III. reſpondemus I. de ſcena petitum argumentum mimicum eſſe, & ad hiſtriones hiſtoriam Geneſii amandam eſſe, ad circulatores, & nugivendos ablegandum fore ſcurrilem baptiſmum, quem adverſarii jactant. Ut autem res tota plenè expendatur, parumper immorandum occurrit in examine facti. Suppoſititium omninò eſſe laudatum Geneſii baptiſmum in primis, vel ex eo adſerendum conſtat, quia nullus Veterum Scriptorum eum recenſuit, & nonniſi ab Adone Viennenſi memoriae traditum legitur ſex poſt Gineſii martyrium Seculis decurſis (a). Et planè, ſi vel leve de eo extitiſſet momentum, Auguſtinus, qui in omne ſe latus vertit, ut reſolveret quaeſtionem hanc, nimirùm, an baptiſmus à mimo repentè mutato ſuſceptus, ratus haberi poſſit ac validus? monumentum hoc Geneſii ſic baptizati in medium protuliſſet, dubio quocumque relegato. Quum ergò SS. Doctor anceps adhuc ſteterit exſpectans ſaltem Regionalis Concilii deciſionem (b), (prò more ſibi conſueto ex cauſſa humilitatis ſervandae, & veritatis adſtruendae, ut alibi vidimus) ſignum evidens eſt V. Eccleſiae Seculo nullum extitiſſe veſtigium hiſtoriae praefatae, quam ità audacter, & confidenter Novatores obtrudunt.

II. Falſitas relati baptiſmi confirmatur ex varietate recentium Scriptorum. Ado Viennenſis quippe Geneſium non ab altero mimo baptizatum inducit, ſed à Chriſtiano Sacerdote, quem ſimulato verbo in Scenam advocaſſet Geneſius. Sed vel hinc detegitur error. Quomodo Chriſtianus Sacerdos mimo Sacra Myſteria illudenti ea per jocum contuliſſe adfirmabitur unquam? Quòd ſi etiam ſeriò eum tinxerit, divinitùs ſibi revelata mutatione illius, quomodo illaeſus è Theatro proſiliit Chriſtianus Sacerdos adſtante tunc, ſive Maximiano,

(a) *Ado Viennenſis Epiſcopus circà An. 879. ſcripſit* Chronicum de Sex aetatibus Mundi, *ut Card. Bellarminus* de Scriptoribus Eccleſiaſticis. *At* S. Geneſii mortem ad Ann. CCCIII. refert Card. Baronius: ſed quamvis non omninò certum ſit, & exploratum, quo anno contigerit, eam tamen citiùs accidiſſe veriſimilius videtur, *inquit Theodoricus Ruinart* Acta Sincer. Martyr. *pag.* 269.

(b) *S.P. Auguſtin.* Lib. VII. de Baptiſmo contrà Donatiſtas *Cap.* 53.

Digitized by Google

no (a), sive Diocletiano (b), utroque Christianorum infensissimo Persecutore? Surius (c), aliique non pauci à Card. Baronio recensiti (d), ab altero mimo baptizatum adstruunt, quem tamen mimum ab Angelo admonitum volunt, ut rem Sacram serió perageret. Verùm, vel hoc ipsum commentitium esse deprehenditur, quum nunquam Angelus lucis id scurrae, ut in Theatro ageret cum mimo, etsi pridem, vel in ipsa met actione conversо, suadere potuerit; fuissetque satis Genesio ad vitam aeternam consequendam fidei confessio, & baptismus in voto, suscipiendus, nimirùm, in loco opportuno ab Ecclesiae Ministro, & juxtà Ecclesiae ritum, vel sanguine suo firmandus, quo certè plenius lavaretur. Alii tandem ab Angelo baptizatum adstruunt Genesium: quod credat, vel Judaeus Apella, sed non ego: quum nullibi id unquam factum ab Angelo constet, & solummodo ex Evangelio hominibus haec baptizandi sparta demandata legatur.

Verùm ne morosum, & asperum nimis Criticum me aliquis fortasse judicet in eo eliminando facto, quod tamen etiam Viri summi ad fabulas amandant, ad abundantiam admittere non taedet, quod ab aliis uti genuinum adstruitur, Genesiumque in Theatro baptizatum, in gratiam aliorum, estò non ex propria sententia, adstruere lubet, quo modo pariformiter alter mimus Gelasius, seu Gelasinus à mimo baptizatus per ludum, sed repentè mutatus à Deo, & Martyrio coronatus traditur à Cl. Theodorico Ruinart (e). Verùm, hae historia uti sincera firmata, quid ad rem prò Novatoribus? Baptismo fluminis ablutum adstruent illum? Nefas est, vel somniare delirium istud. Baptismo sanguinis ablutus, Deo mirabiliter in eo operante, dicetur, qui in derisionem Sacrosancti Baptismatis nefariè fuit ablutus; & dum prò fide, quam publicè fuit confessus, oppetiit mortem, eam consecutus est gratiam, imò majorem, quàm in baptismo fluminis serió collati fuisset adeptus.

Ad IV. dicimus nil obesse, quod de Dioscoro jactant Novatores, quia falsum obtrudunt, & commentum venditant, ut fucum faciant veritati. Etsi enim admittamus Dioscorum fuisse *Archi-Theatrum*, seu Comaedorum Ducem (potiùs legendum est in textu S. Patris

(a) *Coram Maximiano Genesium fuisse conversum tradit* Martyrologium Carthaginense Mabillonianum ad diem XXV. Augusti.

(b) *Coram Diocletiano id accidisse alii tradunt, ex quibus etiam Serry id repetit* in Vindiciis Vindiciarum. *At coram Diocletiano certum est quòd S. Gelasius alter mimus repentè mutatus obierit. Vide Theodoricum Ruinart. ubi sup. Ad chronologiam autem tenendam scito, quòd Diocletianus & Maximianus Caesares fuerunt ab Anno* 285. (*licèt Diocletianus Anno* 284 Augustus *fuerit à militibus creatus*) *usque ad An.* 304. *Kalend. Aprilis.*

(c) *Laurentius Surius* ad diem XXV. Augusti.

(d) *C. Baronius* Ad Annum CCCII.

(e) *Ruinart.* Acta Syncera Martyrum *fol.*269. *edit. Amstelodam.*1713. Porrò idem ferè quod Romae Genesio, in Heliopolitanorum urbe Libanensi GELASIO, seu GELASINO contigit, ut refertur in Chronico Paschali ad Annum XIII. Diocletiani Imperatoris. Is quippe Secundus mimus (sic enim in Chronico appellatur) Christianorum baptismo illudens, ab aliis mimis in balneum, ut Christianorum coeremonias imitarentur, projectus, & alba veste indutus, repente ità mutatus est, ut se Christianum inclamans, è theatro ejectus, & à populo lapidibus obrutus mortem fortiter pertulerit. *Adnotat quoque ibidem laudatus Ruinart in vetustissimo Kalendario Carthaginensi festum S. Genesii ità designari* ..... Kalend. Sept. Sancti Genesii mimi. *Fortasse* (*ut ex punctis observare potui, & constat ex Catalogo aliorum Sanctorum*) V. Kal. Septembris.

Digitized by Google

Dioscorus Archiater, seu Proto-Medicus, ut observant PP. Benedictini in nova operum S. Augustini editione (a)) aliter tamen, ac jactant Protestantes, ejus conversio accidit, aliterque baptizatus est: non quidem dum lavacrum regenerationis in theatro ludebat, sed post id genus crimina pridem commissa, & alia ex recusatione illuminatus à Deo. Rem totam ità expendit ibidem Aquilinus Doctor, ut velle aliter interpretari sit prorsùs calumniari. „ Archiatheater, „ inquit „ (b) Dioscorus Christianus fidelis est „ simul (cum Gabiniano) gratiam consecutus. Audi quemadmodum. Neque enim Cervicula illa, vel lingua, „ nisi aliquo prodigio domaretur. Filia ejus, in qua unica acquiescebat, „ aegrotabat, & usque ad desperationem salutis temporalis eodem ipso „ patre renunciante pervenit .... Dicitur ergò ille senex tandem conversus „ ad implorandam Christi misericordiam, voto se obligasse, Christianum fore, si illam salvam videret. „ Factum est: at ille, quod voverat, „ dissimulabat absolvere: sed adhuc „ manus excelsa. Nam repentina coecitate suffunditur, statimque venit in „ mentem, unde illud esset. Exclamavit confitens, atque iterùm vovit, se „ recepto lumine impleturum esse, quod „ voverat. Recepit, implevit: & adhuc manus excelsa: Symbolum enim „ non tenuerat, aut fortasse tenere recusaverat, & se non potuisse excusaverat: Deus viderat. Jam tum post „ festa omnia receptionis suae in paralysim solvitur, multis, ac prae omnibus membris, ac lingua. Tunc „ somnio admonitus confitetur per scripturam, & hoc sibi dictum esse accidisse, quòd symbolum non didicerit. „ Post illam confessionem redduntur „ officia omnium membrorum, nisi linguae solius: se tamen didicisse symbolum, ideòque memoria jam tenere, nihilominùs in eadem tentatione „ fassus est: sicque omnis est ab ea deleta nugacitas; quae, ut scis, multum decolorabat naturalem quandam „ ejus benignitatem; eumque insultantem Christianis faciebat valde sacrilegum. „

Ad V. Respondeo, quòd laudatum monumentum Innocentii IV. est illius, ut privati Doctoris sententia, non verò decretale Romani Pontificis responsum, quod propterea nunquam in partem Canonici Juris fuit relatum. Verùm nec ex eo patrocinium Novatoribus adcedere constat, quum in eo seria saltem externa intentio expresè statuatur necessaria ad valorem Sacramenti, quam omninò exsibilant Novatores, nec sine fraude Kemnitius ex textu Innocen. IV. detruncavit: Laudatus enim R. P. postquam ait: *Non est necesse, ut gerat in mente*, &c. subdit: *dummodo baptizare, Minister intendat*: (Ex quo monumento Catharinus suam sententiam firmat). Potest iterùm ex aliis explicari laudatum Innocentii IV. monumentum de intentione peculiari non producendi effectum Sacramenti, quod reapse confert Minister seriò volens, & lubens ministrans et

quo

(a) *In Nova editione ad notam.* 6. Editi, Architheater. At MSS. melioris notae ARCHIATER, ideſt medicus princeps.

(b) *S. P. August.* Epist. *olim. LXVII. nunc CCXXVII.* ad Alypium.

Digitized by Google

quo casu certum est validum fore Sacramentum, & effectum suum sortiri: cùm non ex voluntate Ministri pendeat effectus illius. Quocumque ergò modo laudatum monumentum expendatur, quum reapse in eo sincera voluntas ministrandi Sacramentum adstruatur, procul abit à systemate Novatorum.

Et eodem pariter modo respondetur ad objectionem petitam ex Graecorum, & Calvinianorum Ministerio. Cùm enim non sit in potestate Ministri suspendere, vel conferre effectum Sacramenti, sed dumtaxat illud conficere juxtà Ecclesiae ritum, vel non conficere, nullum erit cùm deerit sincera voluntas, quia deficit actio humana requisita ad valorem Sacramenti juxtà Divinam institutionem, ut suprà fuit ostensum. At eo ipso, quòd adponuntur omnia requisita ad illius valorem, nimirùm, materia, forma, & intentio Ministri, jam suapte natura Sacramentum effectum causat. Neque fides, aut privatus error ad Sacramentorum efficaciam faciunt, modò, quae sunt necessaria, adponantur. Dum enim Calvinianus, vel Schismaticus, aut quicumque alius Sectarius firmiter perversè credit suam Sectam esse veram Religionem, & Synagogam, in qua degit, esse veram Jesu Christi Ecclesiam, errat quidem, sed non proinde non intendit facere, quod facere intendit vera Ecclesia; adeòque verè conficit Sacramentum, si omnia adhibeat, quae ad valorem Sacramenti sunt necessaria, quia revera intendit facere, quod Christus instituit, faciendumque Ecclesiae sponsae suae demandavit; estò quaenam sit haec vera Ecclesia, ex particulari errore haud cognoscatur ab heterodoxo; & ex sua peculiari perversitate vera Ecclesia credatur, quae talis reapse non est: & consequenter omnis ejus privata intentio, quae perversa est, nil officit valori Sacramentorum, ut optimè adnotavit Sanctus Thomas (a); & S. Pius V. Calvinistarum Baptismum, à pluribus in dubium revocatum, ex momento à nobis insinuato declaravit validum, ejusdemque decreto subscripserunt nonnulla Gallicana Concilia, quae idipsum declararunt (b).

Ad illud tandem, quod ex Canone *Dedit* objicitur, & ex Augustino depromtum ab adversariis opponitur, dicimus, quòd mendum grave in eo irrepsit. Sic enim legitur apud S.P. ex cujus sententia Canon fuit procusus: *Quos baptizavit EBRIOSUS, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si baptismus Christi erat, Christus baptizavit.* Ebriosus quippe, ad differentiam Ebrii, verè sui compos esse potest, & habere veram intentionem baptizandi; at Ebrius ex adverso ratione caret. Ille hominem vino deditum, hic verò à vino absorptum indicat. Augustinus crimen prioris, non secùs ac adulteri, & homicidae, haud obesse valori Sacramentorum ostendit; & adpositè quidem, rectèque nimis, quum non ex probitate, aut fide Ministri pendeat Sacramentorum valor,

(a) *S. Thomas III. P. Qu. LXIV. Art. IX. & X.*

(b) *Concilia, quibus haec veritas fuit iterùm, iterùmque declarata in Causa Calvinistarum, sunt* Ebroicense An. 1576. Rhotomagense Ann. 1581. Rhemense, & Turonense 1583. Aquense 1585. & Tholosanum 1590. *Vide N. Serry* Vindic. Vindiciar. *pag. 5. & 44.*

Digitized by Google

lor, sed ex institutione Christi, & recto ministerio juxtà Ecclesiae ritum, ut ubertim fuit ostensum.

Eliminato jam commento Novatorum, quid sit tenendum, quidve agendum ad rectam Sacramentorum administrationem, prout, nimirùm, ad illius valorem requiritur ex capite intentionis juxtà decretales Synodorum diffinitiones, operae pretium est observare: praesertim, ut rigor eliminetur, veritas stabiliatur, & error undequaque profligetur.

Quum enim intentio sit propositum voluntatis, quo Minister Sacramentum conferre deliberat: triplex universim à Theologis intentio distinguitur, & adsignatur. *Actualis*, nimirùm, *habitualis*, & *virtualis*. Prima est illa, qua actu quis determinat Sacramentum conferre, eodemque proposito adhuc actu manente, influente, & movente Sacramentum confert. Posterior verò aliud non est, quàm promta quaedam facilitas operandi, ex habitu procedens, seu potius est prona voluntas operis faciendi, in actum tamen nullatenus influens. Sic ebrii, & dormientes non semel ea expeditè faciunt, quae usu quondam frequentare consueverunt. Postrema tandem ea est, quae ex actuali intentione praecedente, nec per notabilem temporis moram interrupta, in homine perseverat. Actualem intentionem utique optimam esse, & ad Sacramenti confectionem nimiùm conferre nemo est qui ambigat: at eam necessariò praerequiri ad eundem effectum universim inficiantur Theologi, ne imponatur onus importabile, & impossibile moraliter opus indicatur: quum haec intentio ob praecipites animi evagationes plerùmque in nostra potestate non sit. Virtualem verò intentionem sufficere ad valorem Sacramenti, eamque dumtaxat à Conciliis indici concors est omnium sensus, unanimisque Doctorum sententia: sicut ex adverso eorumdem conformis doctrina est, & adsertio, habitualem intentionem haud sufficere ad rectè, ritèque Sacramenta conficienda: quum revera humano modo non agat, qui ex habitu agit, ut prae ceteris constat in eo, qui est vino recoctus, vel somno correptus.

Num autem, quae modò expensa est, triplex intentionis species, pariter antiquis Theologis fuerit consueta? Dubitant plerique non ineruditi recentiores. Quamplures adstruunt priscis Theologis, praesertim iis, qui XIII. Seculo floruerunt, nonnisi duplicem intentionis speciem fuisse notam, & consuetam: actualem, nimirùm, & habitualem; sed posterioris nomine reapse ab eis fuisse usurpatam virtualem intentionem, & idcircò nomine *habitualis* eam fuisse expressam adserunt, quia haec virtute praecedentis actualis intentionis in effectum influebat, in eoque sensu ajunt eam fuisse ab Angelico usurpatam, cùm inquit: (a) *intentionem habitualem sufficere ad perfectionem Sacramenti*: quandoquidem, ut idem S. D. se ipsum explicat, haec *virtute primae intentionis influit in Sacramentum*. Verùm N. Cl. Johannes Nicolai, estò non refragetur fuisse Veteribus Theologis consuetum exprimere virtualem intentionem per *habitualem*,

(a) *S. Thomas III. P. Qu. LXIV. Art. VIII.* ad 3.

Digitized by Google

lem, laudetque propterea S. Bonaventuram (a), qui diſertè adſtruit *habitualem relationem in Deum* ſufficere prò opere meritorio, & explicat *habitualem relationem, non quòd habeat charitatem, per quam ſit habilis ad referendum; ſed quia in primordio illius operationis, vel alterius, ad quam illa conſequenter ſe habet, intentionem habet ad Deum directam*. Adſerit tamen (b) S. Thomam loco laudato non *habitualem*, ſed *virtualem* intentionem expreſſiſſe, & ex abbreviatione hallucinatum tranſcriptorem aliter exaraſſe, & *habitualem* pinxiſſe; ſuamque adſertionem probat, quia expreſſiſſimè S. Doctor habitualem à virtuali intentione ſecrevit, hancque laudavit, illam verò penitùs exploſit, dum alibi de eadem habuit verbum: (c) *Aliud eſt*, inquit, *habitualiter referre in Deum, & aliud virtualiter: Habitualiter enim refert in Deum, & qui nihil agit; ſed virtualiter referre eſt agentis, & ordinantis in finem*. Et dum de contritione verbum habuit, tripliciter eam accipi poſſe, inquit: (d) *vel actu, vel habitu, vel medio modo*, ſcilicet, *virtute actus, quem agit*; & iterùm, ut habitualem inſufficientem omninò manifeſtet, alibi docet (e) *habitualem diſplicentiam* non ſufficere ad venialium remiſſionem, ſed requiri *virtualem*: quare ſubdit laudatus Nicolai, quòd ubi Angelicus de intentione requiſita ad Sacramentum loquitur, ità diſtinctè virtualem manifeſtat ex ſequentibus, ut nullus ſubſit dubitandi locus ibidem ſcripſiſſe *virtualem*, quia inquit: *virtute praecedentis intentionis influit in Sacramentum*. Ut ut autem res ſe habeat, dilucidum eſt neque à Veteribus Theologis validum fuiſſe adſertum Sacramentum ex habituali intentione collatum juxtà praeſentem uſurpationem praefatae intentionis.

Obſervandum poſtremò eſt, & ad quietem praecipuè eorum, qui ſcrupulis anguntur, intentionem ſufficientem ad perfectionem Sacramenti eſſe, ſive ea ſit expreſſa, ſive ſit interpretativa, modò non ſit habitualis. Qui enim, ut Miſſam celebret, ad Altare adcedit, reverà Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti conficere intendit, eſtò non reflectat ad iſtud, ſeu expreſsè non intendat conficere hoc Sacramentum; quandoquidem dum Miſſam celebrare decernit, etiam & Sacrificium incruentum Corporis, & Sanguinis Domini offerre deliberat, in cujus rei ſignum ſe priùs devotè diſponit per preces (quamvis non proferat proteſtationem illam recitari conſuetam: *Ego volo celebrare miſſam*) & ſi fortè fortuna lethali culpa ſit infectus, ſe ipſum probat per exomologeſim, quod certè ideò agit, ne ſit reus Corporis, & Sanguinis Domini. Idque pariformiter dicas in ceteris quibuſcunque id genus actionibus ex praefato momento, ut conſtat.

EXER-

(a) *S. Bonaventura* in II. Sententiarum *Diſtinct. XLI. Art. I. Qu. III.* in ſolutione VI. argumenti.

(b) *Job. Nicolai* ad notam marginalem textus S. Thomae *ibid.*

(c) *S. Thomas* in Diſputatis De Charitate *Art. XI. ad* 3.

(d) *Idem* in IV. Sententiarum *Diſt. XVI. Qu. II. Art.* 2 *q.* 2.

(e) *Idem III. P. Qu. LXXXVII. Art. I.*

Digitized by Google

EXERCITATIO XIX.

XXIX. PROPOSITIO.

Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani suprà Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quaestionibus decernendis infallibilitate.

UT certa ab incertis secernantur, & vera à falsis segregentur, ad rectam intelligentiam Apostolicae diffinitionis in hujusce thesis proscriptione, advertendum est ex eadem haud fuisse directè dirus devotam Sorbonicorum (sine etiam, & alii eisdem confoederati) sententiam de infallibilitate Romani Pontificis in Concilio dumtaxat, & de Concilii potestate, ac eminentia suprà Papam, à quo ad Oecumenicam Synodum proinde adpellari posse autumant; Cum alius longè sit sensus confixae thesis, aliusque scopus Alexandrini decreti. Quare nimium errant, qui inter haereticas adsertiones binas modò relatas Parisiensium (certè non omnium, ut infrà clarescet, sed paucorum certè, saltem comparativè ad nobiliores Gallos (a)) theses adcensent, & pessimè loquuntur, qui plus audentes, Patronos earumdem adgregant heterodoxis. Romana quippe Ecclesia veritatis Magistra, & Ecclesiarum omnium Mater aliter sentit, aliudque facto judicium profert. Et nonne ex doctrina omnium Patrum, omniumque Theologorum illi verè sunt adstruendi Catholici, qui communionem habent cum Ecclesia Romana? Hic, inquam, est avitus, & concors Patrum omnium sensus, haec universalis Ecclesiae semper fuit praxis, & fides. Cùm igitur Romanae Ecclesiae plenè communicent *Parisienses Doctores*, ex eisque Selectissimos quosque Viros ad summum Ecclesiastici honoris fastigium evocet, & adsumat Ecclesia Romana,

ut

(a) *Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis, qui ab adversariis laudatur veluti coriphaeus propriae opinionis*, in observationibus suprà theses Claromontanas (*quas ultimum ejus opus esse doctissimus Baluzius testatur*) *num.* 22. 31. *& 34. ità scribit*: Haec opinio (*quae videlicet infallibilitatem Pontifici Romano adjerit*) est illa, quam unicè Hispania, Italia, aliaeque omnes Christianitatis Provinciae docent, ità ut illa, quam sententiam Parisiensium Doctorum vocant, ad classem earum opinionum revocanda sit, quae solùm tolerantur..... Auctoritas infallibilem sententiam in causis fidei pronuntiandi est Romanis Pontificibus omnium Universitatum consensu acquisita, excepta tamen antiqua Sorbona. Imò hoc quoque tempore hanc de infallibilitate Pontificis sententiam in ipsa Sorbona doceri videmus; nàm duodecima mensis Decembris anno MDCLX. in Sorbona publicè haec thesis defensa est, videlicet Romanus Pontifex Controversiarum Ecclesiasticarum est constitutus Judex à Christo, qui ejus definitionibus indeficientem fidem promisit. Eandem thesim in Universitate Navarrica septima Decembris propugnantem scimus. *Et infrà n.* 34. *circà finem de Doctoribus Galliae*: Pars major non solùm Theologiae, sed etiam Juris Doctorum, communi opinioni adhaeret, utpote fundamentis nixae solutu difficillimis; ridetque antiquae Sorbonae opinionem. *Similiter Augustinus à Virgine Maria strictioris observantiae Carmelitae Provinciae Turonensis, qui prò nostrâ sententia stat* in Anno III. Cursus Theologici Tract. de fide D. X. *Qu.* 3. *haec scribit*: Dicuntur communiter, & contrà nos esse Doctores Parisienses: quo titulo tamen id universim de ipsis dicatur, vix possum certò agnoscere; & praeter paucos jam citatos, hucusque alios ex illa facultate probatos Auctores non habemus, qui typis defendant sententiam nostrae oppositam. *Deinde prò sua sententia laudat ex Gallis, nedum Duvalium, infrà laudandum, & testimonium ejus de praxi, & Sensu Sorbonicae facultatis, verùm etiam ex Parisiensibus S. Bonaventuram, Hervaeum, Armonium, Henricum de Gandavo, Johannem de Cellaya, & Magistrum Sententiarum. Idem adjerit Richardus Ardokinus Hibernus Soc. Jesu* in sua Theologia Tripartita P.I. Tract.I. Q.I.

Digitized by Google

ut retiçeam Galliarum omnium Epiſcopos, veluti Catholicos Paſtores, ſemper à Romano Pontifice ad Synodos etiam Oecumenicas vocatos; quis tàm audax, tàm effrons erit, ut eiſdem Pariſienſibus Magiſtris hanc infamiae notam adpingat? exaltabit utique ſtultitiam ſuam, quicumque ità effutire pertentabit. Demiratus ſum quippe, nec reticere poſſum in praeſentiarum modeſtiam in criterio, ſuavemque doctrinam Cl.N.Cardinalis Gotti(a),qui adversùs Piciniuum, & ſocios ejus ſcribens, dum utramque expoſuit ſententiam, Sorbonicorum, nempe, modò indicatam, & communem ex adverſo Theologorum omnium, inquit ſe in poſteriorem ex communi Catholicorum Doctorum calculo deſcendere, utpote ſententiam magis probabilem, magiſque propriam, quam proinde variis monumentis ipſe firmat, ſicut, & alibi iterùm iterùmque expendit, corroboratque. Quod igitur in laudato decreto fuit nigro theta ſignatum, commentum certè illud eſt audaciorum quorundam ex adverſo ſentientium, qui impetere, enervare, & traducere ſtuduerunt probabiliorem ſolidiorem, & unicè veram, ideòque communiorem Theologorum adſertionem de infallibitate Romani Pontificis etiam extrà Concilium, illiuſque ſuprà Oecumenicam Synodum poteſtate: quare damnatio cadit ſuper illa priora verba *futilis*, *& toties convulſa eſt*: ea, inquam, verba utpotè infamiae nota digna, fuerunt nigro theta ſignata. Ideòque mei oneris erit hanc ſolummodo impoſturam directè ventilare, & hanc calumniam exprofeſſo evertere, indirectè tamen, & breviter impugnando adverſam, communiorem doctrinam firmare; praeſertim cùm ea de re ubertim, eruditèque nimis ſcripſerint primi nominis Theologi, cùm veteres, tum recentiores, praecipuè S. R. E. Cardinales Aguirre Hiſpanus, & Sfondratus Italus, necnon Antonius Charlas Gallus, Paulus Fabulottus Romanus, Franciſcus Antonius de Simeonibus Neapolitanus, & noviſſimè N. Joſeph-Auguſtinus Orſi Florentinus Sacrae Indicis Congregationis Secretarius vir eruditione maxima nitens, qui dubio procul (citrà invidiam ſit dictum) omne tulit punctum, omnemque praeripuit palmam.

Quomodo enim, & qua fronte adſeri poteſt futilis, & toties convulſa ſententia de infallibilitate Romani Pontificis extrà Concilium, & de ejuſdem auctoritate, ac ſuperioritate in Synodos, etiam Oecumenicas, cùm haec dumtaxat ſit vallata munimento antiquitatis, univerſalitatis, ac veritatis inconcuſſae, quibus proinde oppoſita ſententia penitùs profligatur? Si primum ſpectetur, nonniſi in litteraria hiſtoria planè hoſpes ignorat inferioribus dumtaxat Seculis agitari coepiſſe hanc quaeſtionem in Scholis, & potiſſimùm tunc concreviſſe diſſenſionum flammam, cùm demortuo Gregorio XI. & exorto tam diro, deplorando, omnibuſque apprimè noto Schiſmate, Concilium Piſanum primò, deinde Conſtantienſe fuit coactum ad illud extinguendum, pacemque Ec-

(a) *Card. Gotti* Vera Eccleſia Jesu Chriſti *Tom.I. Cap.XI. §.I & Tom.II. P.I. Art.2.* in Colloquiis Theologico-Polemicis Colloquio IX. *de Locis Theologicis, ubi* de Romano Pontificis authoritate.

Digitized by Google

cleſiae divulſae, dilaceratae, & adflictae reſtituendam. Id cùm generatim adnotarint Eruditi, praeſertim ex teſtimonio N. S. Antonini Scriptoris contemporanei (a), advertit nuperrimus Author noſtri Regni alumnus è Congregatione Oratorii Romae nunc manens, ſed orbi litterario ex copia librorum, quos publici juris fecit, ſatis ſuperque notus Joſeph Catalano in ſuis *Prolegomenis ad Concilia Generalia* (b). Prioribus namque Seculis etiam dum Scholaſtica Theologia, & adhuc in Galliis ſibi fixerat lares, univerſim Theologi omnes in praeſentem, quam propugnamus, noſtram ſententiam manibus pedibusque iverunt; nihilque erat eis, aut ſanctius, aut firmius, quàm Romanum Pontificem ex cathedra loquentem, ſeu ut Judicem controverſiarum fidei, extrà Concilium quoque ſpeciali adſiſtentia Spiritus Sancti praeditum nullatenus poſſe errare; eundemque, utpote Caput totius Eccleſiae, Divino jure majorem Synodis quibuſcumque fore. Hae dumtaxat adſertiones veluti fidei dogmata tunc reboabant in Scholis, nec vel unus erat, qui contraire auderet; quod vel ex Catalogo eorum, quos infrà laudabimus, luce meridiana clariùs eluceſcet.

Quid poſteà dicam de Paſtoribus Eccleſiarum omnium, totiuſque Orbis Academiis, cunctiſque Doctoribus, qui adhuc poſt exortam in Scholis ſententiam Sorbonicorum ſcripſerunt, ut ex univerſalitate veritas adſertionis noſtrae firmetur? Deficeret profectò tempus, ſi vellem, vel curſim, omnia momenta proferre. Quare dumtaxat indigitando quanti fecerint I. Nicaenae Synodi Patres Rom. Pontificis aſphaliam, ad eum, ut probaret, Acta Concilii miſerunt (c): quanti eundem fecerint Patres Concilii Chalcedonenſis (d); & quàm dimiſsè ejus Oraculum fuerint veperati, dum Epiſtolam ejus, veluti coelitus revelatam doctrinam, & ſuſceperunt, & magnificarunt (e): quale inſuper teſtimonium infallibilitatis R. Pontificis dederint PP. VI. Synodi, dum per Agathonem fuiſſe locutum Apoſtolorum Verticem conteſtati ſunt (f): & quid tandem PP. II. Nicaenae Synodi adſeruerint, dum veluti *terminum* DIVINAE ORTHODOXIAE epiſtolam Agathonis ſuſceperunt, & juxtà ſententiam ejuſdem Conciliare decretum adversùs Iconomachos ediderunt: quod pariter in VIII. Synodo adversùs Photium coacta conteſtati ſunt illius Patres, qui nec tranſverſum digitum, nec latam paleam ſe poſſe ab Adriani II. ſententia declinare adſeruerunt

(a) *S. Antoninus* III. P. Summae Hiſtor.

(b) *Joſeph Catalan.* in Prolegomenis ad Concilia Generalia.

(c) *Ex Actis I. Nicaen. Synod.* Placuit Synodo, ut haec omnia mitterentur ad Epiſcopum Romae Sylveſtrum .... Quidquid conſtituimus in Concilio Nicaeno, precamur veſtri oris conſortio firmetur.

(d) *S. Thomas* in Opuſculo contrà errores Graecorum, *apud N Card Turrecremata* de Poteſtate Papae *Qu. IV. adſerit, quòd PP. Chalcedonenſis Synodi ità acclamarint S. Leoni M.* Leo Sanctiſſimus, & Oecumenicus, *ideſt univerſalis, Patriarcha per multos annos vivat.*

(e) *In Chalcedonenſi Synodo ex epiſtola S. Leonis M. adversùs Eutychetem fuit ſententia lata, quare ità dixerunt*: Haec Patrum fides, haec Apoſtolorum fides: Omnes ità credimus, Orthodoxi ità credimus: Anathema ei, qui non ità credit. Petrus per Leonem locutus eſt, Apoſtoli ità docuerunt, piè & verè Leo docuit.

(f) *In Actis VI. Synodi, ità habetur dixiſſe Patres*: Charta & atramentum videbatur. Per Agathonem Petrus loquebatur. Per has litteras multiplicis erroris haereticam ſententiam depulimus.

Digitized by Google

runt (a). Haec, inquam, vel digito monſtrando, & ex conſilio Id genus innumera alia monumenta omittendo, quae legi poſſunt apud eos, qui de Romano Pontifice ſcripſerunt (b), aliqua dumtaxat poſterioris aetatis monumenta laudabo, ut ex iis petulantia ſcitulorum comprimatur. Praecipuè tamen è Gallia valida monumenta depromam, ut firmiùs retundam audaciam quorundam procaciorum, qui vel ex eo magis reprehenſibiles ſunt, quòd nec, vel eminùs, Veterum ſententiam, morem, & praxim rimantes, nec vel recolentes, quòd S. Leo M. de Galliarum Paſtoribus, & Eccleſiis ſcribens (c) teſtatur, omnes univerſim ad Petri Solium confugiſſe, ut dubia deponerent, veritatem diſcerent; in eoque velut in Divino Oraculo quieviſſe adſerit, peſſimè mentiuntur in theſi proſcripta.

I. Hincmarus Remenſis Epiſcopus illuſtre hac in parte teſtimonium reddit Sanctae Sedi. (d) „ De omnibus dubiis, „ vel obſcuris, quae ad rectae fidei te„ norem, vel pietatis dogmata perti„ nent, Sancta Romana Eccleſia, „ ut omnium Eccleſiarum Mater, & „ Magiſtra, nutrix, & doctrix, eſt „ conſulenda: & ejus ſalubria monita „ ſunt tenenda, maximè ab his, qui in „ illis Regionibus habitant, in quibus „ Divina gratia, per ejus praedicatio„ nem, omnes in fide genuit, & ca„ tholico lacte nutrivit, quos ad vitam „ praeordinavit aeternam.„ II. Galliarum Epiſcopi in Concilio Pontigonenſi An. DCCCLXXVI. parendum in omnibus eſſe R. Pontificis decretis adſeruerunt propter peculiarem Spiritus Sancti adſiſtentiam, qua ille potitur ex promiſſione Chriſti Domini, *qui exauditus eſt prò reverentia ſua*, ut conſtat ex *Canone I.* quo ejus infallibilitatem etiam extrà Concilium firmant. „ Quae ſecun„ dùm Sacrum Miniſterium Apoſtolica „ authoritate Spiritualis Pater noſter, & „ univerſalis Papa decreverit, cum „ ſumma veneratione ab omnibus ſu„ ſcipiantur, & debita illi obedientia, „ in omnibus obſerventur.„ III. S. Ivo Carnotenſis ità firmum de hac veritate teſtimonium perhibet, ut haereticum quoque dicat, qui Rom. Pontifici diffinienti refragatur. (e) „ Dicitis „ inquit, „ etiam in litteris veſtris, me Sedem „ invaſiſſe Gaufridi Coëpiſcopi veſtri, „ in quo manifeſtè contrà Sedem Apo„ ſto-

(a) *Patres VIII. Generalis Concilii adversùs Photium ſententiam ferentes, ità dixerunt.* Nos novam de illo (*Photio*) judicii ſententiam non ferimus, ſed jam olim à Sanctiſſimo Papa Nicolao, & ſucceſſore illius Adriano pronunciatam, quam nequaquam poſſumus immutare.

(b) *Qui ex profeſſo de Romano Pontifice tractarunt plerique certè ſunt, iique viri docti: ex eis dumtaxat paucos laudamus, apud quos laudata monumenta poſſunt conſuli, nimirùm Card. Bellarminum* Controv. de Rom. Pontific. & de Pontificis poteſtate adversùs Barclaium. *Aguirre* de S. Petri Cathedra defenſiva intrà, & extrà Concilium, & *Sfondratum* Gallia Vindicata, & Regale Sacerdotium. *Antonium Charlas* de libertatibus Eccleſiae Gallicanae, *alioſque ex NN. verò Franciſcum Enghien infrà laudandum Cardinales Cajetanum, & Turrecremata infrà laudandos, & Gotti cùm in* Vera Eccleſia, *tùm etiam* T. I. Theol. Dogmatic. Scholaſtic. de Romano Pontifice. *Abraham Bzovium* Romanus Pontifex &c. *Vide* Bibliothecam Pontificiam *N. Thomae Rocçaberti pridem Magiſtri Generalis Ordinis, deindè Archiepiſcopi Valentini, ubi plura invenies. Vide etiam Dominicum à SS. Trinitate* Bibliothecae Theologicae lib. 3. ſect. 4. c. 16. 17. 18. & 19. *apud quem alios Tractatores inveniens.*

(c) *S. Leo M.* Epiſtola X. *olim* LXXXIX.

(d) *Hincmarus An. DCCCLX. clarus* in praefatione Opuſculi de divortio Lotharii Regis, & Gebergae Reginae.

(e) *Ivo Carnotenſis Epiſcopus An. MLXXXVIII. clarus* Epiſtola VIII. ad Richerium Senonenſem Archiepiſcopum.

Digitized by Google

„ ſtolicam caput erigitis, dum, quod „ illa aedificat, vos, quantùm in vo„ bis eſt, deſtruitis; & quod illa de„ ſtruxit, vos aedificare contenditis. „ HUJUS JUDICIIS, ET CONSTI„ TUTIONIBUS OBVIARE PLA„ NE' EST HAERETICAE PRAVI„ TATIS NOTAM INCURRERE, „ cùm ſcriptura dicat: Haereticum eſ„ ſe conſtat, qui Romanae Eccleſiae „ non concordat.„ III. Sex Galliarum Epiſcopi, Primorumque Eccleſiarum Paſtores ad Innocentium II. R. P. ſcribentes, dum ei referunt, quid actum ſit in Galliis cum Petro Abaëlardo, judicium ab eo exſpectant, velut è Trono Dei procedens oraculum irreformabile: quare hoc de ejuſdem infallibilitate perhibent teſtimonium. (a) Nulli dubium „ eſt, quòd ea, quae Apoſtolica fir„ mantur auctoritate, rata ſemper exi„ ſtunt, nec alicujus poſſunt deinceps „ mutilari cavillatione, vel invidia „ depravari. Ea propter ad veſtram „ Apoſtolicam Sedem, Beatiſſime Pa„ ter, referre dignum cenſuimus, &c. IV. Jacobus de Vitriaco natione Gallus S.R.E. Cardinalis, & Epiſcopus Tuſculanus, vir pietate, & litteris inſignis, multiſque laboribus prò Eccleſia Dei perfunctus in Oriente ſimul, & in Occidente, infallibilitatem in Romano Pontifice, non ſecùs ac in Petro, conſtituit, à cujus ore, qui recedunt, extorres ab Eccleſia, ut ſint oportet: Sic enim loquitur. (b) „ Pater ergò, cùm ſuper „ hanc Petram, prò qua Dominus ro„ gavit, ut non deficeret fides ejus, „ poſt Chriſtum aedificata ſit, & fun„ data. Chriſti Eccleſia, quòd omnes, „ qui ab Eccleſia Romana recedunt, „ abſque fundamento aedificent, in va„ num laborantes, & ab eo, qui à Do„ mino Cephas appellatus eſt, ſepara„ ti, acephali, & monſtruoſi ho„ mines ſunt reputandi.„ V. Non ignobile teſtimonium ad veritatem praeſentem magis magiſque firmandam perhibuit Stephanus Epiſcopus Pariſienſis Anno MCCCXXIV. Cùm enim paulò ante cenſoriam virgam in aliquot Sancti Thomae propoſitiones extendiſſet, ſtatim ac tamen Romanus Pontifex Johannes XXII. Sanctorum faſtis Angelicum Doctorem adſcripſit, palinodiam cecinit, & unà cum Capitulo, & Academia Pariſienſi S. Thomae doctrinam commendavit, vel ex eo dumtaxat, quia à Papa commendatam. En ejus verba, quin & totius Cleri, & Scholae Pariſienſis cedro digna. (c) „ Nos igitur attenden„ tes cum eis (d), quòd Sacroſancta „ Romana Eccleſia fidelium omnium „ Mater, & Magiſtra in firmiſſima Pe„ tri Chriſti Vicarii confeſſione funda„ ta, ad quam velut ad UNIVERSA„ LEM REGULAM CATHOLICAE „ VERITATIS PERTINET AP„ PROBATIO, ET REPROBATIO „ DOCTRINARUM, DECLARA„ TIO

(a) *Inter* Epiſtolas S. Bernardi CCCXXXVII. *olim* CCCLXX. *cujus initium, ſeu titulus*. Reverendiſſimo Patri, & Domino INNOCENTIO Dei gratia Summo Pontifici Henricus Senonenſium Archiepiſcopus, Gaufridus, &c.

(b) *Jacob. à Vitr.* Hiſtor. Orient. *Cap.* 75.

(c) Hiſtor. Univerſal. Pariſ. *Tom. IV. ad ann.* 1324.

(d) *Ità legitur ibidem*: De Concilio Venerabilium virorum Decani, & Capituli Pariſienſis, & Venerabilis P. D. Guillelmi Dei gratia Archiepiſcopi Viennenſis S. Theologiae Profeſſoris, & aliorum XXIII. Magiſtrorum in Theologia, nec non XXXIX. Baccalaureorum in Theologia.

Digitized by Google

„ TIO DUBIORUM, DETERMI-
„ NATIO TENENDORUM, ET
„ CONFUTATIO ERRORUM, prae-
„ fatum Doctorem venerabilem, cu-
„ jus doctrina fulget Ecclesia, ut Sol,
„ & Luna, nuper Sanctorum Catalo-
„ go ascribendum, doctrinae diligenti
„ excussione, & examinatione praeha-
„ bita super vita ipsius, & doctrina,
„ ipsumque quoad vitam puram, & do-
„ ctrinam salutarem Orbi terrae com-
„ mendabilem praedicavit„ &c. Petrus Alliacensis primùm Cancellarius Parisiensis Academiae, deinde Episcopus Camaracensis, & S. R. E. Cardinalis Clementem VII. in sua Obedientia nuncupatum, nomine totius Parisiensis Universitatis, ità ingenuè testatur, quod nos in praesentiarum vindicamus. (a) Igitur „ prò vestris humillimis filiis Universi-
„ tatis praedictae, & prò nobis eorum
„ nuntiis, qui suis in hac parte obsequi-
„ mur mandatis, & documentis inni-
„ timur, corde, & ore unanimiter
„ protestamur, quòd quidquid hactenus
„ in hac causa actum est, & quidquid
„ in ea nunc, vel aliàs acturi, vel di-
„ cturi sumus, correctioni, & judicio
„ Sedis Apostolicae, & sedentis in ea
„ Summi Pontificis humiliter submitti-
„ mus, dicentes cum B. Hieronymo:
„ Haec est fides Pater Beatissime,
„ quam in Ecclesia Catholica didici-
„ mus, in qua si minùs peritè, aut mi-
„ nùs cautè aliquod positum est, emen-
„ dari cupimus à Te, qui Petri fidem,
„ & sedem tenes, &c.„ VIII. Francis-
cus Archiepiscopus Rotomagensis, ut infallibile Romani Pontificis judicium in materia fidei probet, ità scribit ad Jacobum Angliae Regem: (b) „ Grandi
„ quodam privilegio Romanus Pontifex
„ Custos fidei φύλαξ τῆς πίστεως à Patri-
„ bus habitus, ut Ephesina Acta Coe-
„ lestino Papae Χιλιστίνῳ τῷ φύλακι πί-
„ στεως Coelestino Custodi Fidei acclama-
„ tum testantur. Nec non, & posteà
„ insertum Chalcedonensibus Actis in-
„ signe monumentum illud est Petri
„ Episcopi Ravennatis ad Eutychem:
„ *In omnibus autem hortamur te frater ho-*
„ *norabilis, ut his, quae à Beatissimo Pa-*
„ *pa Romanae Civitatis scripta sunt, obe-*
„ *dienter attendas, quoniam B. Petrus, qui*
„ *in propria sede, & vivit, & prae-*
„ *sidet, praestat quaerentibus fidei veri-*
„ *tatem. Nos enim prò studio pacis, &*
„ *fidei extrà consensum Romanae Civitatis*
„ *Episcopi causas fidei definire non possu-*
„ *mus*, &c.„ deinde iterùm subdit, quòd Rom. Pontifex sit. „ Custos fidei, vio-
„ latae fidei Vindex, Caput totius fi-
„ dei„ &c. posteà laudat partem Epi-
stolae Agathonis Papae in Sextae Synodi Actione IV. Synodicè lectae de Ecclesia Romana dicentis ad Imperatores:
„ *Haec Spiritualis Mater vestri tranquil-*
„ *lissimi Imperii Apostolica Christi Eccle-*
„ *sia, quae per Dei Omnipotentis gratiam*
„ *à tramite Apostolicae traditionis nun-*
„ *quam errasse probabitur, nec haereticis*
„ *novitatibus depravata succubuit; sed, ut*
„ *ab exordio Fidei Christianae percepit*
„ *ab Authoribus suis Apostolorum Christi*
„ *Principibus; illibata fine tenùs perma-*
„ *net*: „ tandem concludit: „ Cui non
„ pa-

(a) *Card. Alliacens.* Orat. ad Clem. VII. Rom. Pontif.

(b) *Franciscus Rotomag. Archiep.* Apologia Evangelii prò Catholicis ad Jacobum Majoris Brittanniae Regem *Parisiis edita An.* 1625. *lib.* II. *Cap.* 1. 2. & 12.

Digitized by Google

„ patet fidei oſtium Romanis clavibus „ aperiendum, à Romanoque Pontifi- „ ce patefaciendum eſſe? „ IX. Gallicanus Clerus in Comitiis Generalibus Anno MDCL. ad Innocentium X. ità ſcribit: „ Scimus ubi Caput Eccleſiae, ibi „ totius fidei arcem, totius & diſciplinae Metropolim eſſe. „ X. tandem (ne monumentorum copia lector opprimatur, & propoſitos mihi fines transgrediar) quid non firmamenti adcedit huicce veritati ad refractariorum confuſionem ex Confeſſione reiterata Galliarum Epiſcoporum, & noviſſimè etiam ex declaratione, & profeſſione Cardinalis de Noailles? Illi, inquam, Anno MDCLIII. ad Innocentium X. ſcribentes, veneranteſque dogmaticam ejus Bullam in confixione Janſenianarum Theſium, cetera inter, haec habent: „ Hujus doctrinae lucem ..... priſtino „ decori reſtituit juxtà veterem fidei „ regulam ... Prolatum à Sanctitate „ Veſtra poſtulantibus quampluribus „ Galliarum Epiſcopis decretum, de „ quo in negotio illud obſervatione digmum accidit, ut quemadmodum ad „ Epiſcoporum Africae relationem Innocentius I. Pelagianam haereſim „ damnavit olim, ſic ad Gallicanorum „ Epiſcoporum conſultationem, haereſim ex adverſo Pelagianae oppoſitam „ Innocentius X. AUCTORITATE „ SUA proſcripſerit. Enimverò vetuſtae illius aetatis Eccleſia catholica, „ Cathedrae Petri communione, & auctoritate fulta, quae in Decretali „ Epiſtola Innocentii ad Africanos data elucebat, quamque dein Zozimi „ altera ad Univerſos Orbis Epiſcopos „ ſubſecuta eſt, Pelagianae haereſis „ damnationi abſque cunctatione ſubſcripſit. Perſpectum enim habebat, „ non ſolùm ex Chriſti Domini pollicitatione Petro facta, ſed etiam ex „ Actis priorum Pontificum, & ex anathematiſmis adverſus Apollinarium, „ & Macedonium, non dum ab ulla Synodo Oecumenica damnatos, à Damaſo paullò anteà jactis, judicia prò „ ſancienda regula à Summis Pontificibus lata ſuper Epiſcoporum conſultatione (ſive ſuam in Actis relationis „ ſententiam ponant, ſive omittant, „ prout illis collibuerit) DIVINA „ AEQUE', AC SUMMA PER UNIVERSAM ECCLESIAM AUCTORITATE NITI, Chriſtiani omnes „ ex officio ipſius quoque mentis obſequia praeſtare teneantur. Ea nos quoque ſententia, ac fide imbuti, Romanae Eccleſiae praeſentem, quae in Summo Pontifice Innocentio X. viget, AUCTORITATEM, debita obſervantia colentes, Conſtitutionem „ DIVINI NUMINIS INSTINCTU „ à Beatitudine veſtra conditam, nobiſque traditam ab Illuſtriſſimo Athenarum Archiepiſcopo Nuncio Apoſtolico, promulgandam curabimus in „ Eccleſiis, ac Dioeceſibus noſtris, atque illius executionem apud fideles „ urgebimus. „ Haec cùm ſincerè fuerint confeſſi Galliarum Epiſcopi, nec ex privata ſententia, verùm ex concordi Patrum traditione, atque praeſcriptione conſtanti, dubio procul, quod nos tuemur, dumtaxat verum, & ſemper in Eccleſia retentum, ac cuſtoditum adſeverarunt. Pariformiter quoque laudatus nuper Cardinalis Ludovicus-Antonius de Noailles Archiepiſcopus Pa-

ri-

Digitized by Google

ſiſienſis, Sorbonae Proviſor, & Domus Navarrae Superior, revocata priſtina, cui adhaeſerat, ſententia; rejecta, reſciſſaque adprobatione, quam pridem operibus Paſchaſii Queſnellii adpoſuerat, & ſine ulla exceptione humiliter adceptans Conſtitutionem *Unigenitus* à Clemente XI. editam, ad Benedicti XIII. R. P. pedes convolans, ità prae ceteris ſuam proteſtationem expreſſit, ſuprema in Pontifice cognita poteſtate definiendi ex cathedra, & ſeorſim à Concilio res ad fidem ſpectantes, dum finem Epiſtolae ponit. „ Tu Chriſti nomine, qui „ exauditus eſt prò ſua reverentia (ipſius enim in terris vices geris) neceſ„ ſaria mihi implorabis, impetrabiſque „ ſubſidia. Tu, cujus eſt praecipuè „ confirmare fratres, tuis me prò re„ catholica certantem auſpiciis Apoſto„ lica providentia, & AUCTORI„ TATE diriges, & proteges, quo fran„ gantur adverſantium vires, corda „ emolliantur, & praejudicatae, ac „ malignè ſuggeſtae opiniones mentibus „ evellantur, omneſque tandem addu„ cantur ad obedientiam, & concor„ diam. „

Quod cùm ità proteſtati ſemper fuerint, ſemperque tenuerint Galliarum Epiſcopi, & Synodi, quale luculentius non praeſtetunt teſtimonium ceteri reliquarum Dioeceſeon Paſtores, apud quos, vel nulla, vel fortaſsè levis hanc circà rem adverſa opinio invaluit, quae dumtaxat noviſſimis hiſce temporibus apud aliquos exteros vigere coepit, quando, nimirùm, ex ingeniorum libidine, acrior apud quoſdam contentio exarſit; quamvis Divina ope, & Apoſtolica authoritate fuerit jam paucorum audacia repreſſa, & adcenſa flamma penitus extincta? Numera ſtellas ſi potes. Silentio praetereundo integrum Michaëlis Baii *Tractatum Apologeticum de Romani Pontificis infallibilitate*, ejuſque obedientiam Rom. Pontifici incunctanter praeſtitam, de qua re alibi verbum ex profeſſo faciam. Satis ſuperque erit vel unicum Cornelii Yprenſis Epiſcopi monumentum laudare, ut refractarii prorſus convincantur, vel ſaltem confuſi erubeſcant: deinde, vel curſim, ad majorem veritatis triumphum reliquarum Orbis Academiarum Acta in Cauſa Queſnelliana percenſebo, ut undequaque falſitas exſuffletur. Praefatus, inquam, Cornelius Janſenius expendens illud Chriſti Domini ad Petrum Lucae XXII. *Confirma fratres tuos*, haec habet: „ Quia Confirmare fratres ad offi„ cium Paſtoris pertinet, & perpetuum eſſe debet, hinc Chriſtus juxtà ſenten„ tiam Antiquorum impetravit ei, (Pe„ tro) „ & aliud privilegium ad ſuc„ ceſſores propagandum, ut, videlicet, „ tanquam Caput Eccleſiae, nec ipſe, „ nec ſucceſſores ejus in docenda vera „ fide deficerent, juxtà illud Leonis Ser„ mon. III. de aſſumtione ſua ad Ponti„ ficatum: *In Petro omnium fortitudo mu„ nitur*, & illud Bernardi Epiſtola CIX. „ ad Innocentium. *Dignum arbitror ibi „ potiſſimùm reſarciri damna fidei, ubi non „ poteſt fides ſentire defectum*. „ Cùm ergò Antiquorum ſententiam dicat, quam in praeſentiarum vindicamus à temeraria cavillatione, & pervicacia falſariorum, certo certius, in Belgio praeſertim, haec ſemper vigult recta ſententia, haec alibi quoque fuit retenta, cùm univerſim *Antiquos* ſine exceptione „

ità

ità ſenſiſſe adfirmet. Hujuſce autem avitae, rectae, ſolùmque tenendae ſententiae teſtimonium perhibent adhuc in praeſentiarum Univerſitates Duacenſis, Colonienſis, Lovanienſis, & Salmanticenſis (a), quae humiliter dimiſsè ac reverenter abſque ulla explicatione excipientes Bullam *Unigenitus*, ſupremam in Romano Pontifice diffiniendi in materia fidei authoritatem ſunt venerатae, & Aſphaliam ejuſdem ſunt conteſtatae. Quinimò ipſa met Sorbonica Academia hanc eandem veritatem expreſſimam confeſſa eſt Anno MDCCV. & MDCCX. ad Clementem XI. ſcribens ſuper Conſtitutione ejuſdem, quae incipit: *Vineam Domini Sabaoth*, quam idem Gallicanus Clerus extenſis ulnis excepit, eodem, nimirùm, ex momento Pontificiae poteſtatis, & infallibilitatis. Tandem Anno MDCCXXXIX. varios poſt caſus, & varia poſt diſcrimina rerum, eadem Sorbonica Academia, Cleruſque Gallicanus laudatam Bullam *Unigenitus* excepit admiſit, nulla obtenta, quam olim optabat, declaratione.

Quid autem dicam de Theologis, qui prò Romani Pontificis indeficientia in decidendis quaeſtionibus dogmaticis circà credenda, & agenda, etiam extrà Concilium, ſteterunt? Improbus certè mihi foret ſubeundus labor, ſi omnium vellem ſyllabum texere, cùm paucos dumtaxat ſit reperire, qui ex adverſo ſenſerint, vel ex ipſa Gallia, eoſque nuperos, ut Andreas Dualius, & ipſe Sorbonicus Doctor, & Profeſſor, ſcripſit (b). Quare hìc dumtaxat in notula indigitatis aliquibus è Galliis, ſive Theologis, ſive Pariſienſibus Magiſtris, qui hanc veritatem

(a) *Vid. N. Franciſc. Vanraſt* Veritas in medio *T. II. ad calcem*.

(b) *Andreas Dualius* I. P. Qu. 2. Promiſſiones Chriſti prò infallibilitatis privilegio ad Romanos Pontifices Petri ſucceſſores, praeter paucos docent omnes, quotquot ſunt Catholici Doctores .... Liquidò conſtat veteres Eccleſiae Gallicanae Proceres in Summis Pontificibus infallibilitatem ſemper cognoviſſe.

Digitized by Google

tatem expresè docuerunt (a), ceteris apud alios (b) consulendis, dumtaxat S. Thomae Theologorum omnium Principis monumentum laudabo, ut, vel ex ejus testimonio dignoscatur neminem Veterum aliter olim sensisse; hancque potissimùm fuisse Parisiensium primaevam Doctrinam, cùm ipse Angelicus in Parisiensi Universitate, post ibidem exantlatos omnes Scholasticos agones, fuerit Magisterii laurea decoratus. Sic enim loquitur S. Thomas. (c) „ Respondeo dicendum, quòd sicut suprà dictum est, nova editio Symboli necessaria est ad vitandum surgentes errores. Ad illius ergò auctoritatem pertinet editio Symboli, ad cujus auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad authoritatem Summi Pontificis, ad quem majores, & difficiliores Ecclesiae quaestiones referuntur, ut dicitur in decret. lib. de Baptismo *C. Majores* „ (seu *Extrà de Baptismo*). „ Unde, & Dominus Lucae

(a) *Theologi indigitati sunt certè plures, bi praesertim nunc possunt percenseri, Alexander de Hales* in Summa *III.* P. *S. Bonaventura* in Breviloquio, & in expositione Regulae S. Francisci, *B. Augustinus Triumphus Ord. Eremit. S. Augustin. S. Thomae discipulus* de Potestate Ecclesiastica Qu. X. *Nicolaus de Lyra* in Luc. XXII. *Clemens V.* in Concilio Viennensi, *Petrus Aurelius, sive Aureolus Ord. Min. Archiep. Aquensis* in Lib. prò Sacra Facultate Parisiensi pag. 210. *Clemens VI.* in litteris ad Archiepiscop. Armen. *apud Raynaldum* An. MCCCLI. *Card. Alliacensis, ubi sup.* & in Tract. contrà errores Joh. de Montesono, *Joh. Major Ord. Min.* in *I.* Sententiarum dub. *I. Johannes à Calaja* in *III.* Senten. Dist. XXV. Qu. IV. *Johannes Puteanus* in 2. 2. S. Thom. qu. *I.* art. 6. dub. 2. *S. Franciscus Salesius Episcopus Gebennensis* in Controversiis fidei, *Leonardus Coquaeus* in Anti-Mornaeo T. *I.* fol. 83. *Dominicus de Ranconis Episcopus Vabrensis* de Suprema Petri Potestate, *Gabriel Albaspina Episcopus Aurelianensis in verba Tertulliani*: Episcopus Episcoporum Lib. de Pudicitia, & *in Lib. II.* S. Optati de Schismate Donatistarum, *Michaël Mauclerius* de Monarchia Lib. *VIII.* Cap. 6. p. 4. *Ludovicus Abelly Episcopus Rutbenensis* T. I. Theolog. de Fide Sect. *IV.* §. 4. *Henricus Spondanus Episcopus Apamiensis* ad An. Christi *XXXIII. Ludovicus Thomassinus* Differt. in Concil. *XII.* & *XIX. Ludovicus Bail* Apparat. ad Sum Concilior. *Antonius Charlas sup. laudatus, Andreas Duvalius* in lib. contrà Edmundum Richerium, & *alibi. Praecipuè tamen, qui aliquibus Coryphaei oppositae sententiae videntur, Archiepiscopus Parisiensis Petrus de Marca, de quo suprà, & Edmundus Richerius, qui nuncio missu priori, quam profugnaverat, sententiae, nostram professus est in solemni palidonia, quam cecinit coram Card. Richelio Regni administro Ann.* 1629. *hoc modo*: Protestor, & declaro me semper voluisse, ac etiam nunc velle, & me ipsum, & meum libellum, & quascumque ejus propositiones, omnemque doctrinam meam Ecclesiae Catholicae Romanae, & S. Sedis Apostolicae judicio subjicere, quam matrem, & Magistram Ecclesiarum, & infallibilem veritatis judicem agnosco. Quam declarationem protestor me liberè, ac voluntariè dedisse, ut mea ergà S. Sedem Apostolicam obedientia cunctis pateat. *Ità etiam constat sensisse omnes, qui initio saeculi superioris adversùs Lutheranos, & Calvinianos scripserunt: Hi enim non modò doctrinae caput* de infallibilitate Rom. Pontificum *tuentur, ac docent; verùm etiam* Communem Catholicorum sententiam esse *ajunt, probantque prò viribus*, (*etsi fidei dogma non esse concedant*) *ut D. Stephanus Baraus Archiepiscopus Arelatensis* in Clypeo fidei contrà Molinaeum Cap. *III. D. Hebertius Episcopus Vabrensis* in defensione fidei Catholicae, *D. Hallerius Episcopus Cabillonensis in diptatis* de Summo Pontifice, *dum in Sorbona publicum Professorem agerent. D. de la Maitre* de Pontifice, *pariter dum idem munus, ibidem obirent, & alii plures. Ex N. Ordine, qui semper usque ad Sanguinem Petri Cathedram vindicavit propugnavitque, praecipuè B. Albertus Magn.* in Cap. *XXII.* Lucae, *S. Thomas infrà laudandus*, Contrà impugnantes Religionem, & contrà errores Graecorum, *Hervaeus Natalis Magister Ordinis* Tract. de potestate Papae, *Durandus à S. Portiano Episcopus Meldensis* in *II.* Sententiarum Dist. XLIV. Qu. V. & in *IV.* Dist. XXIV. Qu. V. *Nicolaus Coffettau Episcopus Massilienſis* de Sacra Monarchia lib. *II.* Cap. 5. & in Respons. ad Mysterium iniquitatis Plessaei Mornaei, *Vincentius Contenson* Lib. V. Dissert. *I.* Cap. 2. Spec. *II.* Coroll. *I. Franciscus Engbien* de Libertatibus Ecclesiae Gallicanae *Leodii* 1684. *suppresso nomine*.

(b) *Vide sup. laudatos* de Romano Pontifice *Tractatores*.

(c) *S. Thomas* 2. 2. *Qu. I. Art. X.*

Digitized by Google

„ cae XXII. Petro dixit, quem Summum Pontificem constituit: *Ego prò te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos*. Et hujus ratio est: quia una fides debet esse totius Ecclesiae, secundùm illud I. ad Corinth. I. *Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata*. Quod servari non posset, nisi quaestio fidei exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiae praeest: ut sic ejus sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur, & ideò ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut, & congregare Synodum generalem, & alia hujusmodi.„

Ex praefato autem S. Thomae momento, ac monumento dissolvuntur cuncta adversariorum sophismata, elaborata, nedum ad impetendam R. Pontificis inerrantiam, sed ad vellicandam solidam, quam tuemur sententiam, eamque ut futilem, sed fruſtrà, & dolosè, accusandam. Eliminata quidem indefectibilitate à Romano Throno, ut Oppositores contendunt, nonne Ecclesia variis agitata contentionibus semper anxia maneret, & inter errorum turbines, nascentiumque haereseon procellas, fluctuans, sine pace, absque tranquillitate maneret? Certè, qui utroque non caligat oculo, id clarè cognoscit. Siquidem cùm non possint ità promtè Oecumenicae Synodi congregari, difficillimumque sit rem in omnibus Ecclesiis, aut ferè Primoribus, ad examen revocare arduam quaestionem, ideòque nec sine periculo fidelium statim compesci possit error, qui nisi protinùs enervetur, plures inficiet, quot, ehu! quot damna subibit Christi Sponsa hisce hostibus oppugnata? Infelicior propterea erit Christiana Ecclesia, eaque destituta erit pace, ac tranquillitate, gloria, ac majestate, qua olim insignita, & donata erat Synagoga. Illa protinùs suam securitatem, ac pacem consequebatur, dum Summus Sacerdos credenda diffiniebat: Haec verò, ut hanc decretalem sententiam obtineat, diù exspectabit suspensa, nec sine periculo fidelium, non sine injuria Salvatoris, ut optimè etiam S. Bonaventura adnotavit (a). Quinimò nonne, & Ecclesiis in unum convenientibus, ut res certa fiat, Romani Pontificis *judicium* adcedere debet ad veritatis sigillum, ad certitudinis firmamentum? Hoc cùm universim adstruant Patres, & constet ex anteactis judiciis; vel ex solo Augustini testimonio in causa Pelagianorum potest firmari. Quum enim variis in Synodis Pelagianum commentum fuisset profligatum, tunc demùm taxat diris devotum, & ut haeresis manifesta fuit ab omnibus reputatum, cùm S. Innocentii I. decretale judicium adcessit, quare M. P. inquit: (b) *Jam enim de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt, causa finita est, utinam aliquando finiatur error*. Et ut manifestaret ex sola solius Romani Pontificis dogmatica definitione causam omnem fuisse finitam, sub-

(a) *S. Bonaventura* Exposit. in Regul. S. Francisci *ex eo dicit esse adstruendam inerrantiam in Rom. Pontificem*, quia alioquin Synanoga felicior fuisset, quàm Ecclesia, quia illam habebat unum Summum Pontificem, qui omnes discordias poterat terminare, ut patet ex Deuteronom. Capit. *XVII*.

(b) *S. Augustin.* Serm. *II.* de Verbis Apostoli.

Digitized by Google

ſubdit Aquilinus Doctor. (a) *Litteris beatae memoriae Innocentii de hac re dubitatio tota ſublata eſt*: quamvis Auguſtinus ipſe interfuiſſet Concilio Carthaginenſi, & ſimul cum ceteris Patribus Pelagio, & Coeleſtio anathema dixiſſet. Ideòque Anaſtaſius Bibliothecarius, qui integram Pelagianae haereſis hiſtoriam ſcripſit, poſt enarratas Africanas Synodos, poſt recenſitos celebres Eccleſiae Patres, Auguſtinum, Alypium, Evodium, Aurelium, alioſque Doctores, qui Pelagium, & Coeleſtium damnarunt, eorumque errores proſcripſerunt, dumtaxat in S. Innocentio firmat fidei decretum, & ex ejuſdem ſententia finali dogmaticam definitionem excipiendam fore adfirmat; ejuſque deciſionem adpellat dogma fidei à tota Eccleſia tenendum. (b) *Hic*, inquit, *conſtitutum fecit de omni Eccleſia*, ſeu, ut loquitur Gallicanus Scriptor non ignobilis Johannes Cabaſſutius: (c) *decretum fidei ad univerſam Eccleſiam pertinens*. Locutuſque eſt ità Auguſtinus, quia tunc ea erat loquendi forma, & ſentiendi norma Patrum omnium: ut, nimirùm, ex promiſſione facta Petro à Chriſto de peculiari adſiſtentia Spiritus Sancti aſphaliam in eo ex Cathedra loquente velut in organo Spiritus Sancti, & ſupremo Judice fidei fideles omnes ſuſpicerent, & venerarentur. Quapropter S. Leo M. de eo loquens ait: (d) *Specialis cura Petri ſuſcipitur, & prò fide Petri propriè ſupplicatur, tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit. In Petro ergò omnium fortitudo munitur, & divinae gratiae ità ordinatur auxilium, ut firmitas, quae per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis ceteris conferatur*. Nec Patres II. Arauſicanae Synodi alio ex momento Canones à ſe procuſos, ut ſuſcipiendos veluti fidei normam contrà errores Semi-Pelagianorum edixerunt, quàm ex momento Pontificiae authoritatis, ac indefectibilitatis. (e) *Illi Canones non fuerunt à nobis inventi, vel facti, ſed ab Apoſtolica Sede fuerunt ad nos tranſmiſſi, ut ejuſdem Sedis auctoritate, & admonitione promulgarentur*. Quinimò (quod magis ad rem facit, &, quod modò diximus, clariùs manifeſtat) S. Proſper Aquitanus, etſi adſerat ante S. Innocentium I. Reliquos Eccleſiae Paſtores adversùs Pelagium ſtetiſſe, illiuſque commentum iratis diis ſacraſſe, tamen idcircò poſtremam S. Innocentii deciſionem *primam* adpellat, quia eo decernente, ac definiente, *primùm* fidei dogma illuxit ob plenariam Pontificis, abſolutamque diffiniendi poteſtatem, ejuſque certam in dogmaticis definitionibus infallibilitatem. Sic enim loquitur (f).

Talia cùm demens latè diffunderet error,
Commentiſque rudes traheret lethalibus auras,
Adfuit exhortante Deo proviſa per Orbem
Sanctorum pĩa cura Patrum, non diſpare motu
Conficiens diros jaculis coeleſtibus hoſtes.

(a) *S. Auguſtinus* lib. *II.* ad Bonifacium *Cap.* 3. *Videſis Card. Noriſium* Lib. *I.* Hiſtor. Pelagian. *Cap.* 2.

(b) *Anaſtaſius Bibliothecarius Monachus, & Abbas Romanus Anno* 858. *clarus* in Innocentio.

(c) *Juban. Cabaſſ.* Notitia Conciliorum *fol. mihi* 202. *edit. Lugd.*

(d) *S. Leo M.* Serm. *III.* de aſſumtione.

(e) *Vide Ludovic. Bail* in Concil. Arauſican. *II.*

(f) *Proſper* Carmine de Ingratis *Cap. II.*

Digitized by Google

Hiſdem namque ſimul decretis ſpiritus unus
Intonuit, peſtem ſubeuntem PRIMA recidit
Sedes Romana Petri, quae Paſtoralis honoris
Facta Caput mundi, quidquid non poſſidet armis
Relligione tenet..

Quod pariformiter conteſtati ſunt ceteri univerſim Patres, omneſque Synodi(a), ex hac praeminentia Petri, ejuſque indefectibilitate, juxtà Dominicam promiſſionem, eandem infallibilitatem abſolutè in Romana Cathedra ob Summi Pontificis, Petri in munere ſucceſſoris, dignitatem adſtruentes.

Et ex hiſce tam inſignibus monumentis, validiſque momentis nonne etiam II. Pars damnatae theſis penitùs exſufflatur? Citrà omnem dubitationis aleam. Quandoquidem ex hoc momento ſupremae dignitatis, nimirùm, Capitis Eccleſiae, ex quo in Eccleſiam, & per quam in omnia ejus membra vivificus ſpiritus promanat, Eccleſia eſt *Columna, & firmamentum veritatis*, ut optimè Angelicus docet. (b) „ Eccleſia Univerſalis non poteſt errare, quia ille, qui „ in omnibus exauditus eſt prò ſua reverentia, dixit Petro, ſuper cujus confeſſione Eccleſia fundata eſt: *Ego rogavi prò te Petre, ut non deficiat fides tua*. „ Ex ea, inquam, cauſſa, quia ad Romanum Pontificem ſpectat congregare, adprobare, vel reprobare Synodos, habet ipſe ſuper Synodicas ordinationes ſupremam facultatem: Ad ipſum etiam ex Generalium Conciliorum decretis fieri poteſt adpellatio: Ab eo etiam praecedentium Synodorum decreta explicari poſſunt, eaque ſuper Oecumenicas Congregationes facultate Papa praecellit, ſicut ſuprà corpus Caput. Audiatur iterùm Angelicus Doctor Theologorum Princeps, qui dum loquitur de interpretatione Symboli (c), ità docet. „ Romanus Pontifex hoc ſua au„ ctoritate poteſt „ (nimirùm Symbolum interpretari) „ cujus auctoritate „ ſola Synodus congregari poteſt, & „ à quo ſententia Synodi confirmatur, „ & ad ipſum à Synodo appellatur, quae „ omnia patent ex Geſtis Calcedonenſis „ Synodi. „ Quòd verò Angelicus etiam de Synodis Generalibus loquatur, & ex textu conſtat, & ex momento probandi. Clarìùs ſuam mentem aperit S. Thomas alibi dicens. (d) „ Papa habet immediatam jurisdictionem in „ omnes Chriſtianos, quia Romana „ Eccleſia nullis Synodicis conſtitutis „ ceteris Eccleſiis praelata eſt, ſed vo„ ce Domini, & Salvatoris noſtri pri„ matum obtinuit; & illa, quae San„ cti Patres determinaverunt eſſe juris „ poſitivi, ſunt relicta ſub diſpoſitione „ Papae, ut poſſit ea mutare, vel di„ ſpen-

(a) *Vide S. Irenaeum* Lib. 3. adverſ. haereſ. *Tertullianum* Lib. de Praeſcriptionibus *Capit. XXXV. S. Optatum Milevit.* Lib. *II.* de Schiſmate Donatiſtarum, *Patres Concil. Milevitan.* ad S. Innoc. *I. apud S. Auguſtinum* Epiſt. *CLXXVII. olim XCII. Concil. II. Turonenſe* Cap. *XXI. S. Avitum Viennenſem* Epiſt. *LXXVII.* ad Hormiſdam Pontificem, *alioſque innumeros apud Card. Sfondratum* Gallia Vindicata, & in Regali Sacerdotio, *Antonium Charlas* de Libertatibus Eccleſiae Gallicanae, & *noviſſimè N. Joſephum Auguſtinum Orſi* De irreformabili Romani Pontificis in definiendis fidei controverſiis judicio.

(b) *S. Thomas* in Supplem. ad *III.* P. *Q. XXV. Art. I.*

(c) *S. Thomas* Qu. X. de Potentia Art. *IV.* ad 13.

(d) *S. Thomas* In Opuſculo contrà impugnantes Religionem *Cap. IV.*

Digitized by Google

„ ſpenſare ſecundùm opportunitates „ temporum, vel negotiorum. Sancti „ enim Patres in Conciliis congregati „ nihil ſtatuere poſſunt, niſi auctorita- „ te Romani Pontificis interveniente, „ ſine qua etiam nec Concilium con- „ gregari poteſt.„ Reliqua S. Thomae monumenta in ſequenti Exercitatione laudabo.

Nec dum taxat Angelicus ità ſentit (eſtò ex eo, velut ex validiſſimo monumento, res tota firmari poſſit contrà oppoſitores, tum quia inſignis eſt Pariſienſis Doctor, qui illius Cl. Facultatis ſententiam avitam probatamque tradit; tum etiam, quia Patrum doctrinam apprimè callens, nonniſi ex illorum ſenſu, & mente loquitur) Verùm etiam, qui Veteres Sorbonici ſunt, quique recentiores illius Univerſitatis haud praejudicati ſunt, necnon aliarum inſignium Univerſitatum univerſim Theologi in eandem ſententiam manibus, pedibuſque deſcendunt. Quapropter eſtò Ludovicus Ellies Dupin(a) prò ſe laudet, contrà aſphaliam R. P. & contrà illius eminentiam, ac ſuperioritatem in Concilia, aliquos non ignobiles Theologos, nonniſi tamen obtorto collo eos ad ſua caſtra trahit, ut vel ex eorum textu plenè obſervari poteſt. Sicut etiam eſtò Paſchaſius Queſnellius (b) alias prò ſe laudet Univerſitates, mendaciter nimis, ut notum eſt Eruditis; ex earumque conſenſu in proſcriptione theſium ipſius evidentiſſimè conſtat. Integrum tamen exactumque Syllabum horumce propugnatorum Pontificiae independentiae à Concilio, ejuſdemque Supremi Hierarchae ſuperioritatis in Synodos, etiam Oecumenicas, ſicut efformare, improbum foret ſubire laborem, ſic in praeſentiarum hìc pingere, taedium, & faſtidium ingereret legenti: aliquos dumtaxat, eoſque prioris, mediae, & infimae aetatis, Theologos ex omnibus Univerſitatibus in medium proferam; deinde altioris Epochae Gallos inſignes dabo, ut veritas conſpicua fiat, &, vel ineruditus, quiſque Scholaſticus tyro acutangat petulantiam eorum, qui auſi ſunt hanc noſtram theſim adſerere futilem, & toties convulſam.

Diſertè adversùs nuperam quorumdam Pariſienſium, aliorumque paucorum ſententiam ſtant Viri Summi, nimirùm, S. Bonaventura (c) ſuprà laudatus prò aſphalia Romani Pontificis, Alexander de Hales (d), S. Johannes à Capiſtrano (e), S. Bernardinus Senenſis (f), B. Auguſtinus Triumphus (g), Johannes Seresberienſis (h), Cardinales Zabarella

(a) *Dupin* De Antiqua Eccleſiae Diſciplina *Diſſert. V. & VI.*

(b) *Queſnellus in opere ſuppreſſo nomine, edito ann.* 1717. *Cui titulus* Antiquae facultatis Theologicae Lovanienſis, qui adhuc per Belgium ſuperſtites ſunt Diſcipuli ad eos, qui hodie Lovanii ſunt, Theologos de declaratione Sac. Facultatis Theol. Lovanienſis Recentiores circà Conſtitutionem Unigenitus Dei Filius. *Sive quiſquis ſit illius infelicis operis ineptus author.*

(c) *S. Bonav.* in *IV.* Diſt. *XIX. & ubi infrà.*

(d) *Alexander Aleuſ.* P. *III.* Qu. *XL.* m. 2.

(e) *S. Joh. à Capiſtr.* de Papae, & Concilii authoritate.

(f) *S. Bernardinus Senenſis* in Mariali P. *III.* Sermone *III.*

(g) *B. Auguſtin. Triumph.* de Poteſtate Papae Qu. *VI.* Art. *I.*

(h) *Joh. Saresber. Epiſcop. Carnotenſis XII. Seculo clarus* in Polycratico lib. *VIII.* Cap. 23.

Digitized by Google

la (a), Baronius (b), Bellarminus (c), Sfondratus (d), & Pallavicinus (e), B. Albergatus (f), Boverius (g), Spondanus (h), Emmanuel Schelestrate (i), Christianus Lupus (k), Antonius Charlas (l), Johannes Cabassutius (m), & alii suprà laudati: Ex nostris autem S. Thomas, Cardinales Turrecremata (n), Cajetanus (o), & Gotti (p), S. Antoninus (q), Melchior Canus Episcopus Canariensis (r), Franciscus Sylvester, vulgo *Ferrariensis* dictus (s), Franciscus Victoria (t), Abraham Bzovius (u), & Franciscus Vanrast (x), qui prò Belgis quamplures laudat Veteres Theologos, eosque insignes, Tapperum, Driedonem, Cunerum, alioque inclytos veteres Lovanienses. Belgarum autem religio ergà S. Sedem praecipuè nuperrimè enituit in adceptatione Bullae *Unigenitus*, sicut etiam devotio aliarum Universitatum in eodem negotio maximè adfulsit. Ab hisce ergò viris propugnata nostra sententia, eaque certè, quae semper in Ecclesia fuit retenta, & à quà recedere nefas esse censuerunt Primipili Theologiae, nonne per contumeliam, & mendacium, per infamiam, & falsidiam traducitur à Patronis damnatae thesis? Sed mentita est iniquitas sibi. At cùm ità ogganniendo mentiti sint Patroni damnati furfuris, certissimè prae ceteris mentitus est Ludovicus Maimburgus (y), qui adseruit, hac quaestione in Concilio Pisano primùm agitata, Petrum de Plaoust unum ex Deputatis Universitatis Parisiensis palàm edixisse Parisiensium Doctorum, & Licentiatorum hanc (nobis videlicet adversam) esse unam concordemque sententiam, nimirùm, Ecclesiae; & consequenter Concilium Generale esse suprà Papam: quum Acta emendatiora Pisana solùm exprimant laudatum Petrum de Plaoust adseruisse Petrum de Luna, cetcrosque de Papatu contendentes *debere reputari schismaticos, & antiquati schismatis nutritores, & haereticos pertinaces*, nec verbo quidem habito de potestate Concilii suprà Papam (z), quod, & ipse Maimbur-

(a) *Card. Zabarella Florentinus strenuè restitit decisioni Concilii Constantiensis* Sess. V. Decret. *I. ut refert Emmanuel Schelstrate* in Concil. Constantiense.

(b) *Baronius* ad Ann. Christi *CMVIII. & MI.*

(c) *Bellarminus* de Conciliis Lib. *II.* Capit. *XVII. ubi* erroneam *dicit oppositam opinionem*, & qui contrà sentiunt à temeritate excusari non possunt.

(d) *C. Sfondrat.* Gallia Vindicat. & Regal. Sacerdot.

(e) *Pallavicinus* de Romano Pontifice.

(f) *B. Alberg. apud Sfondrat.*

(g) *Boverius* Demonstrat. *III.* general. Art. X.

(h) *Spondanus* ad An. Christi *MCCCCXIV.*

(i) *Schelstrat.* Antiquit. Eccl. illustrat. & in Concil. Constantiens.

(k) *Lupus ex professo* De appellationibus ad S. Sedem.

(l) *Charlas* de libertatibus Eccles. Gallicanae.

(m) *Joh. Cabassut.* Notitia Concil. fol. 568.

(n) *C. Turrecrem.* Lib. *II.* de Ecclesia Cap. 100.

(o) *C. Cajetan.* Tract. de auth. Pap. & Concil. Cap. V.

(p) *C. Gotti.* Tom. *I.* Theol. Dogm. Schol. de Rom. Pontifice.

(q) *S. Antoninus* in Sum. Theologic. P. *III.* Titulo *XXIII.* Capit. *III.*

(r) *Melch. Can.* De Locis Theologicis Libr. *III.* & *VI.*

(s) *Ferrariensis* Commentario in Lib. *IV.* contrà Gent. Cap. 76.

(t) *Victoria* Relectione *IV.* de Potest. Papae, & Concilii.

(u) *Abr. Bzov.* Romanus Pontifex.

(x) *Vanrast.* Veritas in Medio *in hanc thesim damnatam.*

(y) *Maimburgus* Tract. Historic. pag. 217. & 254.

(z) *Acta Concilii Pisani edita à Luca D'Acherio* Tom. VI. Spicileg. *Vide Emman. Schelstrate* Cap. I. Art. I. Dissert. III. in Concil. Constantiens.

Digitized by Google

burgus apertè antea alibi adſeruerat. Sed quia mendacem oportet eſſe memorem, ne confuſionem ſubeat ex falſitate ſibi objecta, Maimburgus, qui aut immemor, aut verſipellis, priùs dicta revocavit, & aperto commento falſitatem protulit, ſibi met mentitus eſt; eòque pejùs ad perenne ſui nominis dedecus, quia exemplo antiquitatis venerandae, & ex ſententia Gallicanae Eccleſiae directè, luculenter, & diſtinctè veritatem, quam tuemur, priùs edixit. (a) „Manifeſtum omninò eſt, exemplo Synodi „ Romanae, teſtimonio Ennodii, Eccleſiae Gallicanae, Sacrorumque Canonum à Gratiano citatorum, jam „ ſuprà nongentos annos deciſum eſſe, „ ſoli Deo judicium reſervari eorum „ criminum, quae Pontifici Romano „ imputantur; ſicque nulli Mortalium „ fas eſſe Pontificem judicare, aut eum „ Pontificia dignitate exuere, ſola haereſi excepta, quam ſi incurrat, certum eſt illum, nec dici, nec eſſe „ Pontificem.

Ut autem magis magiſque confundatur ejus commentum, & falſitas Sociorum ejus inſultantium Romanae Cathedrae (quam futili momento vallatam comminiſcuntur) laudata monumenta propatula facere non taedet. Cùm enim Theodoricus Synodum coëgiſſet adversùs Symmachum, Patres laudatae Synodi, *Palmaris* dictae, (b) *ſuggeſſerunt Regi ipſum Symmachum, qui dicebatur impetitus, debuiſſe Synodum convocare, ſcientes, quia ejus Sedis primum Petri Apoſtoli eſt meritum, vel Principatus, nec antedictae Sedis Antiſtitem minorum ſubjacuiſſe judicio. Sed potentiſſimus Princeps ipſum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem ſuam demonſtraſſe ſignificavit*, &c. (c). At cùm Patres alienum à veritate Regis dictum cognoviſſent, renuente Symmacho citato comparere, ſubjunxerunt. *Nobis, quid facere poſſimus, non remanſit, nec invitum ad diſceptationem noſtram adducere poſſumus: nova res eſt, Pontificem Sedis iſtius apud nos audiri nullum conſtat exemplum.* Idipſum adſeruit S. Avitus Viennenſis, qui teſtimonium irrefragabile profert de Rom. Pontificis eminentia ſuper quacumque Synodo, & teſtimonium ejus prae ceteris nobilius eſt, quia nomine totius Gallicanae Eccleſiae laudatur. Laudatus, inquam, Epiſcopus cùm reſponſionem Synodi in cauſa Symmachi commendaſſet, eandem vindicat, & jura ſimul Romani Pontificis ex concordi Eccleſiae ſenſu. (d) „Sanctorum voce patet Pontificum dignitatem Sedis ejus „ ſanctam toto Orbe venerabilem, dum „ illic, quicquid fidelium eſt, ubique „ ſubmittitur, dum totius Orbis caput „ eſſe dignatur, de qua mihi videtur „ dictum per Prophetam: ſi haec humiliabitur, ad cujus confugietis auxilium, & ubi relinquetis gloriam veſtram? Non facilè datur intelligi, „ qua vel ratione, vel lege ab inferioribus

(a) *Maimburg.* de Magno Schiſmate Occidentis *lib. V. fol.* 307.

(b) *Haec Synodus dicta eſt* Palmaris, quia teſte Anaſtaſio in Honorio, Porticus Baſilicae S. Petri Palmaria dicebatur, *Card. Sfondrat.* Regal. Sacerdot. *fol. mihi* 523.

(c) *Anaſtaſius* in Symmacho, *vide* Tom. IV. Concil. edit. Pariſ. *Caſſiodorum* in Chronico An. 500. & *Maimburg.* de Schiſmate Occident. lib. V. *fol.* 295.

(d) *S. Avitus Alcimus Viennenſis Epiſcopus initio VI. Seculi clarus* Epiſtola II. *communi omnium Epiſcoporum Galliae nomine apud Sirmondum* in Ennodio.

Digitized by Google

„ ribus eminentior judicetur . . . . Neque dumtaxat Synodum Provincialem, verùm etiam Oecumenicam excludit laudatum monumentum; &, ut omnis cavillatio procul abigatur, subdunt Patres Gallicanae Ecclesiae ibidem Romanum Pontificem DIVINO TANTUM EXAMINI RESERVARI, quod etiam expresè docuit S.Bonaventura ex sententia Sorbonicorum (a). Audiatur itidem alius Ecclesiae Gallicanae testis Ivo Carnotensis, qui ità de hac re loquitur. „ (b) Judicia Romanae Ecclesiae à nemine retractari possunt, & si quis „ aliquando hujus Ecclesiae auctoritate praegravatum se sentiat, non debet in Aegyptum descendere propter „ auxilium, sed ad ipsam confugere, „ & inde expetere levamen, unde se „ conqueritur accepisse gravamen. „ Et ne longum nimis traham funem, S.Bernardus, Galliae itidem decus, ità de Romano Solio loquitur, dum ad Eugenium Romanum Pontificem scribit. „ (c) Quis mihi faciet justitiam de vobis? extat quidem tribunal Christi. „ Sed absit, ut ad illud appellem: itaque recurro ad eum, cui datum est „ judicare de universis, hoc est ad vos. „ Vos appello ad vos; judicate inter „ me, & vos „.

Quae autem itidem faciunt ad firmandam hanc eminentiam Romani Pontificis super Synodos Oecumenicas, sive in dispensatione Legum Conciliorum Generalium, sive in appellationibus ab eis ad R. Pontificem, plura sunt, eaque validissimis monumentis firmata, sed ne praefixos mihi terminos transgrediar sufficiat laudare Constitutionem Leonis X. in Concilio Lateranensi probatam (d), in qua plura exempla ad veritatem hanc adstruendam adducuntur. Sic enim ibi decernitur: „ Solum Romanum Pontificem prò tempore existentem, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, tàm Conciliorum „ indicendorum, transferendorum, ac „ dissolvendorum plenum jus, & potestatem habere, nedum ex Sacrae „ Scripturae testimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, etiam praedecessorum nostrorum, Sacrorumque Canonum decretis; sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione „ manifestè constat. Quorum aliqua „ referre placuit, reliqua verò, utpotè notiora, silentio praeterire. In „ Alexandrina enim Synodo, Athanasio ibidem existente, Felici Romano Pontifici ab eadem Synodo scriptum fuisse legimus. Nicaenam Synodum statuisse non debere absque „ Romani Pontificis auctoritate Concilia celebrari. Neque nos latet, etiam „ eumdem Leonem Pontificem Ephesinam secundam Synodum ad Chalcedonensem transtulisse. Martinum „ Papam Quintum praesidentibus suis „ in Concilio Senensi potestatem transferendi Concilium, nulla consensus „ ipsius Concilii mentione habita, dedisse, Ephesinam quoque Primam „ Sy-

(a) *Ivo Carnotensis* Epistola CLXXXV.
(b) *S. Bonaventura* De Coelesti Hierarchia P.II. Cap.
(c) *S. Bernardus* Lib. III. de Consideratione c.2. *& alibi*.
(d) *In Constitut.* Pastor aeternus *lecta* Sessione II.

Digitized by Google

„ Synodum Coeleſtino, & Chalcedo-
„ nenſem eidem Leoni, Sextam Aga-
„ thoni, Septimam Hadriano, Octa-
„ vam etiam Conſtantinopolitanam Sy-
„ nodum Hadriano Romano Pontifici,
„ praedeceſſoribus noſtris maximam
„ reverentiam exhibuiſſe; eorumdem-
„ que Pontificum inſtitutionibus, &
„ mandatis, in Sacris Concilis per eos
„ editis, & factis reverenter, & humi-
„ liter obtemperaſſe. Undè Damaſus
„ Papa, & ceteri Epiſcopi Romae con-
„ gregati, ſcribentes de Concilio Ari-
„ minenſi Epiſcopis in Illyrico conſti-
„ tutis, praejudicium aliquod per nu-
„ merum Epiſcoporum Arimini con-
„ gregatorum fieri non potuiſſe teſtan-
„ tur: quandoquidem conſtat Roma-
„ num Pontificem, cujus ante omnia
„ dicebat ſpectari decretum, talibus non
„ praebuiſſe conſenſum. Eumdemque
„ Leonem Pontificem univerſis Siciliae
„ Epiſcopis ſcribentem idem voluiſſe
„ apparet. Conſueveruntque antiquo-
„ rum Conciliorum Patres, prò eo-
„ rum, quae in Sacris Canonibus ge-
„ ſta fuerant, corroboratione, à Roma-
„ no Pontifice ſubſcriptionem, approba-
„ tionemque humiliter petere, & obti-
„ nere; prout ex Nicaena, & Epheſi-
„ na, ac Chalcedonenſi hujuſmodi, &
„ Sexta Conſtantinopolitana, & Septi-
„ ma eadem Nicaena, & Romana ſub
„ Symmacho Synodis habitis, earum-
„ que geſtis, nec non in Aimari libro
„ de Synodis manifeſtè colligitur, quod
„ etiam noviſſimè Conſtantienſes Pa-
„ tres feciſſe conſtat. „ Quo monumen-
to quid clarius, quid validius ad retun-
dendam audaciam, & petulantiam au-
thorum damnatae theſis, quum ex ad-
probatione Concilii Generalis laudatum
decretum penitùs obſtruat os loquen-
tium mendacia? Ex laudato Ludovico
Bail, ut alios reticeam, ſententia Gallo-
rum nobis adverſa ad minùs temeritate
non caret tot poſt deciſiones Canonici ju-
ris, & praecipuè poſt Conciliarem ſenten-
tiam, aut ſaltem decretum in Concilio,
nemine reclamante, promulgatum. Futi-
lis igitur, & penitùs convulſa potiùs,
& jure ſummo, dicenda eſt ſententia,
quam tuentur, qui Romano Solio in-
ſultant. Peſſumè, inquam, & nimis igno-
ranter locuti ſunt confixi erroris Patronis
praecipuè cùm & laudata à Leone X.
monumenta, aliaque id genus innume-
ra, hanc ſupereminentiam Romani
Pontificis adſtruant, & firment, & ex
Actis Eccleſiae luculenter conſtet ſupre-
ma authoritas iſta, quam hucuſque vin-
dicavi; nec fas eſt ultrà progredi, ne
propoſitos mihi tranſgrediar terminos, &
res propatula fit apud eruditos ex pro-
feſſo Tractatores, quos unuſquiſque
conſulere poteſt.

Sed, inquiunt damnatae theſis Pa-
troni: Nonne prae ceteris Concilium
Baſileenſe, dum adhuc legitimum erat,
oppoſitum directè definivit? Nonne
Concilium Conſtantienſe in Spiritu San-
cto congregatum decrevit, decidítque
Concilium Oecumenicum ſupereminere
Romano Pontifici; huncque ſubjectum
fore correctioni, & decretis Oecumeni-
cae Synodi? Nonne tandem Cyprianus
cum Carthaginenſi Synodo fortiter re-
ſtitit decreto Stephani Papae, & ad ple-
narium Concilium adpellavit? Satis, igi-
tur, ſuperque futilis eſt ſententia adſe-
rens Romanum Pontificem irreformabi-
lem in judicio extrà Synodum Genera-

Digitized by Google

lem, & super eandem authoritatem habere, quod ex aliis etiam monumentis constat.

Vah quot malè inserta monumenta! Hisce similia sunt, quae indigitantur; quaeque, ut constat, nec cassa nunc sunt aestimanda. Ad I. igitur, quod nobis objicitur, dicimus, quòd Concilium Basileense praefatum decretum edidit, postquam recessit ab obedientia Eugenii IV. evasitque *Synagoga Sathanae*, ut loquitur N. S. Antoninus: (a) *basiliscorum spelunca, & Daemonum caverna*, ut ait S. Johannes Capistranus (b): quapropter ab eo recesserunt quotquot Domini erant, ut refert B. Albergatus (c); ideòque, ut optimè dixit, fideliterque retulit N. C. Turrecremata Scriptor, & testis coaevus: (d) *Talia decreta Concilii Basileensis* (videlicet contrà Pontificiam authoritatem) *ad furorem quorundam hostium Apostolicae Sedis cum multitudine populi parvi pretii, & nullius auctoritatis publicata sunt; & ideò plures attendentes praedicta decreta adversa esse Sanctorum Patrum doctrinis, non modò in Deputationibus suis contradixerunt, & reclamaverunt; verùm etiam in Sessionibus ipsius Concilii interesse noluerunt.*

Nullum itidem facessit negotium, quod nobis opponitur, decretum IV. & V. Sessionis Concilii Constantiensis. In primis tunc temporis editum decretum nullius esse roboris, quia non concilialiter factum, adstruit inter ceteros Cl. N. Cardinalis Turrecremata, qui tunc aderat, quum nondum ad Concilium adcesserint ii omnes, qui omninò interesse debebant ad evertendum schisma; &, qui jam convenerant, secum invicem diffidebant: quare, ut loquitur idem Turrecremata, praefatum decretum (c) *plurimorum judicio, scilicet eorum, qui fuerunt de obedientia Gregorii, & Benedicti, falsum est. Quoniam, sicut apertissimè patet ex gestis illius Congregationis, Decreta illa, si ità sunt appellanda, facta sunt solùm à Patribus aliquibus obedientiae Johannis XXIII.* Secundò laudatum decretum Sessionis IV. & V. à Martino V. tunc electo, tunc vero, legitimoque Pontifice, nusquam fuit adprobatum. Imò cùm de confirmandis Concilii Constantiensis decretis ultimò tandem rogaretur, respondit vivae vocis oraculo, ac posteà per Concilii Advocatum denunciari jussit: *Se omnia, & singula Concilii in materia fidei conciliaria decreta teneri, & inviolabiliter observari velle, & non aliter, nec alio modo.* Qua restricta clausula *in materia fidei* dumtaxat decreta intelligi voluit ad damnationem Johannis Vvicleffi, Johannis Hus, Jacobi Parvi, & Bohemorum iis in Sessionibus statim edita. Decretum verò, quod objicitur, *in materia fidei* non erat, sed, ut tunc loquebantur, *in materia reformationis* in Ecclesia inducendae. Ad reformationem porrò Ecclesiae in Capite, & in membris procurandam opportunum valdè censebatur tunc, si Romanus Pontifex Ecclesiae Caput Oecumenici Concilii admonitioni, & correctioni subderetur. Tertiò tandem, vel ex

(a) *S. Antoninus* III. P. Titulo XXII Cap. 10. §. 4.
(b) *S. Joh. Capistr.* de Papae, & Concil. Author. Cap. 13.
(c) *B. Albergatus apud* Carol. Sigon. in vita Cap. 13.
(a) *C. Turrecremata* Summa de Ecclesia Lib. II. Cap. 100.
(b) *Idem ibidem Capite* 99.

Digitized by Google

ex circumstantia temporis, praefata decreta Sessionis IV. & V. nihil obesse nostrae adsertioni constat, etiamsi absque ulla exceptione, & sine ulla explicatione admitterentur. Quum enim dirimeretur trium Pontificum schismate tunc sciissa esset Ecclesia, necesse omnino erat, ut unusquisque subditus foret ordinationi Generalis Concilii, sicque dirimeretur schisma, quod aliter tolli nequibat: quapropter laudatum Constantiensis Synodi decretum generale non fuit, sed ex peculiari momento, & in particulari casu, ac causa. *Ecce*, inquit nuper laudatus Card. Turrecremata, *manifestè patet, quòd decretum illorum Patrum non loquitur universaliter de qualibet Synodo, sed de illa singulariter, prò cujus tempore non erat in Ecclesia Pastor totius Ecclesiae indubitatus*. Et quidem patet evidenter ex verbis ejusdem decreti Sessione V. *Item declarat* (Sancta Synodus Constantiensis) *quòd quicumque, cujuscumque conditionis, status, dignitatis, etiamsi Papalis, qui mandatis, & praeceptis hujus Sacrae Synodi, & cujuscumque alterius Concilii Generalis legitimè congregati, super praemissis, seu ad ea spectantibus factis, vel faciendis obtemperare contumaciter contemserit, nisi resipuerit, condignae poenitentiae subjiciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia juris subsidia recurrendo*. De his ergò Conciliis loquitur Synodus Constantiensis, quae *super praemissis, seu ad ea spectantibus factis, vel faciendis* fuerint celebranda. Quae autem sunt illa praemissa, nisi schisma sopiendum, dubiique Pontifices deponendi? Haec autem vera, & propria causa fuit Constantiensis Synodi celebrandae. Decretum autem hoc ex peculiari causa latum quomodo favet oppositoribus, universim, & semper, ac quovis ex momento Rom. Pontificem Concilio Generali subjicientibus? Dubio procul, si vel ejusdem Concilii Acta attentè lustremus, comperiemus Constantienses Patres longè abiisse ab adversariorum intento; quinimò existimasse Pontificem certum, & indubitatum (ut extrà casum schismatis esse solet) non esse Concilii authoritati subjectum. Quandoquidem in Congregatione habita die XI. Septembris A.MCCCCXVII. communi omnium Nationum calculo decisum fuit, quòd *Papa ritè, & canonicè electus à Concilio ligari non posset*, seu legibus ullis adstringi per vim, & coactionem. Quòd si nullimode adligari potest legibus Synodi Oecumenicae, quomodo adstrui potest eminentia Concilii Generalis suprà Papam? quomodo adseri potest licita adpellatio à Papa ad Concilium Generale? Turpiter errant, qui ità opinantur, & pessumè delirant, qui nostram sententiam carpunt, effutientes eam futilem, totiesque convulsam.

Postremum, quod nobis opponitur, monumentum nullius roboris est, nulliusque momenti. Ut autem res tota plene expendatur, & in oppositores recudatur faba, prius benè librare historiam lubet, deinde efformare argumentum. Certum quidem est, quòd etsi Cyprianus, ad rectum Baptismi administrationem, existimaverit nonnisi à Catholico dandum esse lavacrum, secùs autem ab haeretico, ut illud Apostoli locum haberet: *unus Deus, unâ fides, unum baptisma*; nunquam tamen censuit Sanctus Martyr hoc ad dogma

pertinere, sed ad disciplinam dumtaxat, & Ecclesiae praxim, ut apertissimè constat cùm ex eo, quod de Firmiliano scribit; tum ex eo, quod hac de re ad Jubajanum pariter scripsit. (a) *Haec tibi breviter prò nostra mediocritate rescripsimus, nemini praescribentes, aut praejudicantes, quominùs unusquisque Episcoporum, quod putaverit, faciat, habens arbitrii sui liberam facultatem*; quod pariter repetiit in Concilio LXXXVII. Episcoporum. Quapropter dum Augustinus inquit (b) Cyprianum *cessurum tamen fuisse, si eo tempore quaestionis hujus veritas eliquata, & declarata per plenarium Concilium fuisset*, ex eo dumtaxat momento adfirmat S. Pater Cyprianum quaesiviſse Concilium plenarium ad controversiae finem, quia res ad meram disciplinam pertinens, quaeque proinde ex Ecclesiarum praxi innotescit, ubi nam benè discuti poterat, & ad lydium lapidem probari, nisi in Concilio plenario, & ex testimonio Episcoporum ex Universo Orbe confluentium ad illud? Numquam verò Cyprianus asphaliam Romanae Cathedrae denegavit, nusquam errori obnoxium dixit Summum Pontificem ex Cathedra diffinientem, nec vel per somnium effutivit à Pontifice ad Oecumenicam Synodum posse adpellari, ceu ad Superiorem Supremo Hierarchae, ut perperàm contendunt Patroni damnatae thesis, audacter nimiùm, nimiùmque impudenter criminantes sententiam in Ecclesia communem, ut hucusque ubertim fuit ostensum. Quapropter ex eo itidem retorquetur contrà refractarios argumentum ex facto Cypriani petitum, quia Stephanus R. Pontifex numquam dilucidum diffinitivum decretum adversus Cyprianum ediderat, sed dumtaxat ad eum rescribens dixerat: *Si quis à quacumque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est*: seu, ut traditio servaretur, Stephanus Papa tantùm edixit: & quia hanc traditionem Ecclesiasticam, seu praxim, & disciplinam Ecclesiae ad rem propriam facere Cyprianus existimavit: quia, nimirùm haec erat sententia sui antecessoris Aggrippini, pluriumque illustrium Episcoporum tradita in Conciliis Iconiensi, & Sinadensi, coactis Anno CCLVI. (c), quibus interfuere ex Cilicia, Cappadocia, Galatia, *aliisque Orientalibus* regionibus Episcopi quamplures, sub Firmiliano Caesareae Episcopo, ut Eusebius tradit (d), firmataque in I. Carthaginensi Synodo, cui XXXI. Episcopi ipso praesidente interfuerunt (e), atque in altera, pariter eodem Cypriano praeside, paulò post coacta, cui adfuerunt ex Africa, & Numidia Episcopi LXX. (f), & tandem roborata eadem sententia fuit ex decreto III. Carthaginensis Synodi ab eodem Cypriano coactae, ad quam ex Africa, & Numidia Episcopi LXXXIV. Presbyteri, & Diaconi quamplures confluxerunt. Idcircò Cyprianus errore tot illustrium Praesulum, torque insignium Ecclesiarum testimonio deceptus,

(a) *S. Cyprianus* Epist. ad Jubajanum *LXXIII.*
(b) *S. P. Augustinus* Lib. I. de Baptismo contrà Donatistas Cap. IV.
(c) *Ità tradit N. Natalis Alexander* Histor. Eccles. Seculi III. Cap. III. §. 3. *etsi aliter circà Epactam sentiant Baronius, & Pagi.*
(d) *Eusebius Caes.* Lib *VII.* Hist. Eccl. *Cap 6.*
(e) *S. Cyprianus* Epistola ad Quintum *LXXI.*
(f) *S. Cyprianus* Epistolis ad Pompejum, & Jubajanum *LXXIII. & LXXIV.*

Digitized by Google

ptus, ut traditionem, ad quam Stephanus Papa adpellabat, propugnaret, Stephano Papae reſtitit. Sed nullum hinc inter eos diſſidium tale fuit, ut receſſus ab obedientia Romanae Cathedrae poſſit inferri. *Vicit tamen*, inquit M.P. Auguſtinus, (a) *pax Chriſti in cordibus eorum, ut in tali diſceptatione nullum inter eos ſchiſmatis malum oriretur.*

Verùm, eſtò Cyprianus ità primùm reſtiterit, nonne errore cognito paulò poſt victas dedit manus Romano Pontifici, illiuſque decreto parens una cum Africana Synodo palinodiam cecinit? Id cùm doceant viri ſummi (b), ex inconcuſſis monumentis poteſt oſtendi adversùs eos, qui Cyprianum contendentem laudant, ſed poenitentem haud ſequuntur. Neque hìc in medium producimus illud, quod corruptum interpolatumque ex Euſebio Caeſarienſi refert Dominicus Bernini (c), ne eam ſubeamus confuſionem, quàm commentitium depravatumque monumentum à Bernino laudatum promeretur, ſed illud non obſcurum M. P. Auguſtini, aliudque luculentius Bethleemitici Doctoris. S. Pater, inquam, de Cypriano loquens ait: (d) *Correxiſſe autem iſtam ſententiam non invenitur: non incongruenter autem de tali viro exiſtimandum eſt, quòd correxerit; & fortè ſuppreſſum ſit ab eis, qui hoc errore nimiùm delectati ſunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt*, quod etiam alibi repetit (e), & iterùm indubiè. (f) *Majores veſtri, quibus tale teſtimonium perhibuiſtis, quod ab Orientalium propterea communione diſcreti ſunt, quia illi ſuum judicium reſciderunt, quo eis placuerat de iſta Baptiſmi quaeſtione Cypriano, atque illius Africano Concilio conſentire oportere, contrà Cyprianum fecerunt.* S. Hieronymus autem abſolutè tradit S. Cyprianum ſimul cum Synodo pri-

(a) *S. P. Auguſt.* Lib. V. de Baptiſm. contr. Donatiſtas.

(b) *Ità tradunt Alphonſus de Caſtro* Lib. *III.* adverſ. haereſes, *Jacobus Pamelius* in Epiſtolam LXXV. S. Cypriani. *Joh. Cabaſſutius* Diſſert. *II.* in Hiſtor. Conciliorum, *Ludovicus Bail ibidem* Sec. *III. Ludovicus Thomaſſinus* Diſſert. *II.* in Concilia, *N. Dominicus Gravina* Catholic. Praeſcription Lib. IV. *Cardinales Baronius* ad Ann. Chriſti 256. *Bellarminus* de Sacramentis in genere Cap. 26. *Aguirre* Defenſ. Cathedrae S. Petri Diſp. XLI. & *Sfondratus* Gallia Vindicat. *ubi ſup.*

(c) *Dominicus Bernini* in Hiſtor. Haereſ. *III.* Secul. *ut hanc ſententiam firmet laudat textum Euſebii (certè ex editione Coloniensi* 1581. *ut obſervare potui) & ad marginem laudat locum, nimir.* Lib. *VII.* Cap. 3. & 4. *& in corpore ità diſtincto characlere textum Euſebii tranſcribit:* Cyprianus Eccleſiae Carthaginenſis Paſtor primus inter homines ejus aetatis non aliter quàm per lavacrum baptiſmatis haereticos erroris maculis ante ablutos in Eccleſia admittendos exiſtimavit. Verùm Stephanus nihil novi, aut alieni à traditione ex Apoſtolorum temporibus derivata moliendum arbitratus hac de re, vehementer arbitratus eſt. Dionyſius igitur ubi longum ſermonem cum Stephano per litteras de hac controverſia contulit, tandem declarat quo pacto perturbationis fluctibus ſedatis omnes ubique Eccleſiae pacem inter ſe conciliaſſent. *Sed longe aliter Euſebius in editione Coloniens.* 1581. (*quae uſus eſt Berninus*) Lib. *VII.* Cap. 3. Cyprianus Eccleſiae Carthaginenſis primus inter homines ejus aetatis non aliter, quàm per lavacrum baptiſmatis haereticos erroris maculis antè ablutos in Eccleſiam admittendos exiſtimavit. Verùm Stephanus nil novi, aut alieni à traditione ex Apoſtolorum temporibus derivata moliendum arbitratus, hac re animo vehementer COMMOTUS fuit. *Deinde Cap. IV. de alia re loquens, ſubdit Euſebius:* Dionyſius igitur ubi longum ſermonem cum Stephano per litteras de hac controverſia contulit, tandem declarat quo pacto PERSECUTIONIS fluctibus ſedatis omnes ubique Eccleſiae, NOVA, AC PERVERSA NOVATI HAERESI REPUDIATA, pacem inter ſe conciliaſſent.

(d) *S. P. Auguſtinus* Epiſtola ad Vincentium Donatiſtam *XCIII. olim XLVIII.*

(e) *Idem* Lib. *II.* contrà Donatiſtas.

(f) *Idem* Lib. *III.* contrà Creſconium Cap. 3.

Digitized by Google

priſtinum retractaſſe errorem; Et quamvis Hieronymus non fuerit Africanae Eccleſiae Pater, tanti ponderis ejus monumentum eſt, ut vel inſignis Africani Patris Cypriano coaevi teſtimonium jure ſummo excipiendum judicetur, ut conſtat: quum laudatus Bethleemiticus Doctor univerſas ferè Orbis Bibliothecas luſtraverit, illuſtrioreſque Patres, aut fuerit allocutus, aut per Epiſtolas conſuluerit ad veritatem explorandam, ſummo criterio uſus. Ità enim loquitur Hieronymus: (a) *Conatus eſt & S. Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena, & idcircò haereticorum baptiſma reprobans ad Stephanum tunc Romanae Urbis Epiſcopum, qui à B. Petro viceſimus ſextus fuit, ſuper hac re Africanam Synodum direxit: ſed conatus ejus fruſtra fuit. Denique illi ipſi Epiſcopi, qui rebaptizandos haereticos cum eo ſtatuerunt, ad antiquam conſuetudinem revoluti, novum emiſere decretum: quid facimus? Ità & nobis majores noſtri, & illis ſui tradidire majores.*

Sed dato, quòd Cyprianus hanc palinodiam haud cecinerit, ut quamplures Critici adſtruunt: quid prò adverſariis? Futilem ne ex eo ſententiam noſtram dicent, poteruntque idcircò carpere illam? Ex ipſis met Cypriani ſcriptis cùm ad Stephanum, tum ad Jubajanum datis apertiſſimè colligitur, quanti fecerit Stephanum Cyprianus adhuc contentionis fervore ſuccenſus, cujus idcircò ſententiam non reprobavit. Quanti itidem fecerint Romani Pontificis poteſtatem, ſententiam, decretum, & perſonam Cyprianus nullo controverſiae calore inflammatus, ex aliis ejuſdem Epiſtolis luculentiſſimè colligitur: ex quibus, proinde, quae hucuſque diximus, confirmantur, & adverſariorum ſophiſmata retunduntur. Plura quidem extant S. Martyris monumenta ad rem hanc comprobandam: ne autem faſtidium ingeram ex copia eorumdem, ſufficiat unicum ejus textum in medium producere, cùm cetera ipſius, aliorumque Africanorum Patrum teſtimonia legere ſit apud laudatos Tractatores. Docuit enim apertiſſimè S. Martyr (b) *Haereſes, & ſchiſmata ex eo naſci, quòd non uni Sacerdoti, qui vice Chriſti Judicem agit, univerſa fraternitas obtemperet.* Et quòd reapſe ità ſit, vel ex eodem facto colligi poteſt: nimirùm, ex contentione rebaptizare volentium ab haereticis baptizatos. Nonne iſti renuentes obedire Romani Pontificis decreto ex refractariis facti ſunt primùm ſchiſmatici, deinde haeretici? Nec leve dubium de veritate facti occurre poteſt. Nonne ſententia, quam Cyprianus ſimul cum dimidia fere Eccleſia ſibi favente propugnabat, fuit diris devota à Conciliis etiam plenariis, ſarto tecto cuſtodito Stephani Romani Pontificis decreto? Hoc quidem apertiſſimè conſtat ex Conciliis Carthaginenſi I. Praeſidente Grato Epiſcopo tempore Conſtantini M. cujus meminit S. P. Auguſtinus (c), ab Arelatenſi I. Can. VIII. & diu poſt etiam à Conſtantienſi Seſſione VIII. Et Tridentino Seſſion. VII.

(a) *S. Hieronymus* in Dialogo adversùs Luciferianos.

(b) *S. Cyprianus* Lib. I. Epiſt. III. *ex edit. Pamel.*

(c) *S. P. Auguſtinus* Lib. II. de Baptiſmo contrà Donatiſtas Cap. 2.

Digitized by Google

sion. VII. Can. 12. in quibus error Africanorum fuit proscriptus. Quam ergò laudem, quale patrocinium ex praefato Africanorum facto possunt sibi spondere, qui ità pariformiter à Rom. Pontificis sententia declinantes ad Concilium Generale adpellant? Erubescant igitur damnatae thesis Patroni, qui ità loquuntur, sibique jugulum petunt. Ego quidem iterùm iterùmque repetens cum PP. VIII. Oecumenicae Synodi: (a) *Ne quidem à Concilio Generali posse in Romanum Episcopum sententiam dici* (quod pariformiter cetera Concilia testata sunt) ità cum S. Nicolao I. Romano Pontifice claudo rivos. (b) *Qui autem Romanae Ecclesiae Privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum Capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in haeresim labitur; & cùm ille vocetur justus, hic est procul dubio dicendus haereticus. Fidem quippe violat, qui adversùs illam agit, quae mater est fidei, & illi contumax invenitur, qui eam cunctis Ecclesiis praetulisse cognoscitur. Unde, & ipse S. Ambrosius se in omnibus sequi Magistram S. Romanam professetur Ecclesiam.*

* * * *
* * *
*

EXERCITATIO XX.

XXX. PROPOSITIO.

Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam potest absolutè tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

COnsuetum semper fuit iis, qui à veritate recedunt, ad eos confugere Patronos, quos habebant adversos, eosque sibi adscíscere Doctores, quos citrà omnem dubietatis aleam habebant apertissimos hostes; nec mediocris quidem nominis Magistros in suas advocare partes studuerunt, sed primi subsellii, primique nominis Heroës; ut saltem ex dignitate Doctoris, quem sibi in Coryphaeum adrogabant, & ex gloria, confícti, licèt, Tutelaris sibi blandiendo, aliisque insultando, facilius fucum facerent veritati. Quid enim dignius, quid sublimius, cùm ex parte dicentis, tum ex conditione doctrinae, Verbo Dei scripto? Quid itidem magis adversum haereticis cunctis, quàm Divinum eloquium? Ex Sacro hoc Depósito à Deo Ecclesiae commisso, ab eaque semper custodito, profligantur omnes Heterodoxi quomodolibet delirantes, & ab Ecclesia extorres facti. *Omnis Scriptura*, inquit Apostolus II. ad Timotheum III. *divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: Ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* At quid familiarius, quid solemnius Vitiliti-

(a) *VIII. Syn. tempore Hadriani II. celebrat. num.* 202.

(b) *S. Nicol. I.* in Epistola ad Mediolanenses, *quae extat* in Cap. Omnes Dist. *XXII.*

Digitized by Google

litigatoribus cunctis, quàm ad Divinam Scripturam adpellare, eaque abuti ad vitia fovenda, ad sphalmata quaeque venditanda? Sicut olim Diabolus mendacii pater, & haereticorum omnium dux, Christum in deserto adgressus, ut decipere posset, Divinum adhibuit Verbum, falsò contorquendo Scripturas, quem tamen Veritatis Magister eodem Divino Verbo sinceriè, & rectè laudato protrivit exterminavit; Ità omnes Sathanae emissarii, omnesque diaboli filii, ii, nimirùm, qui à Romana Communione segreges abeunt, ad veritatem impugnandam Dei Verbo scripto abutuntur; eaque objiciunt monumenta, quibus eorum deliria profligantur, sed ità contorta, & fucata, ut ex fraude comminiscantur. Eruditè quidem hoc prae ceteris M.P. Augustinus adnotavit. (a) *Ipsae Scripturae Sanctae, quae magnarum rerum ante intelligentiam suadent fidem, nisi eas rectè intelligas, utiles tibi esse non possunt. Omnes enim haeretici, qui eas in authoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cùm suos potiùs sectentur errores: ac per hoc, non quòd eas contemnant, sed quòd eas non intelligant, haeretici sunt.* Ut autem heterodoxi firmiùs obsistant, &, falsò laudantes Dei Verbum, facilius comminisci possint in Theologicis, Primores quosdam Divini Verbi interpretes laudare itidem consueverunt, eorumque sententiam se sequi professi sunt, ut mendacia falsitatibus confirmarent, & errores commentis palliarent. Et quia inter Divini Verbi interpretes, Latinosque Magistros principem debio procul locum semper obtinuit M. Pater Augustinus, quem semper ceteri Patres suspexerunt, & Ecclesia laudavit: ad eum, veluti ad signiferum erroris, confugere consueverunt Heterodoxi, non minùs ac ad Dei Verbum, ut ex Divino eloquio, & Sacrae Scripturae interprete majorem veritati facerent fucum, sicut in haereticis sui temporis Facundus Hermianensis observavit, qui propterea eruditè, & viriliter Augustinum vindicat à calumnia impostorum. (b) *Non enim meliùs loqui potuit Augustinus, quàm Prophetae, quàm Apostoli, & Evangelistae, quorum mentibus similiter malè intellectis, & incongruè adhibitis, tàm multi suos defendere conantur errores.* Quod verò tam familiare fuit priscis heterodoxis, papè! quàm solemnius fuit iis praesertim, qui Bajani, qui Janseniani audiunt, etiam post confixa in eis à S.Sede commenta? Quoniam Magni Patris doctrina peculiari encomio à Patribus cunctis ad haec usque tempora fuit laudata, à Theologis retenta, ab Ecclesia vindicata, & praecipuè in iis, quae de libero hominis arbitrio, & Dei gratia, ac de Praedestinatione Sanctorum tradit; hinc ex ejus scriptis conflati fuerunt Canones, quos II. Arausicana Synodus adversùs Pelagianos, Praedestinatianos, & Semi-Pelagianos edidit; eandemque sententiam Aquilini Doctoris in re tanti momenti, totque inter errorum procellas, veluti Sacram anchoram custodiendam, ad eamque veluti ad cynosuram inspiciendum decrevere Summi Ecclesiae Hierarchae

(a) *S. P. Augustin.* Ad Consentium Epistola *CXX. nov. edit.*

(b) *Facundus gente Afer VI. Seculo Ecclesiae Hermianensis in Africa Episcopus* Lib. adversùs Mocianum.

Digitized by Google

rerchae (a), Coelestinus I. Bonifacius I. Hormisda, Felix IV. Bonifacius II. Gelasius, Johannes II. Gregorius M. Martinus I. Agatho, Adrianus I. Leo IX. Gregorius VII. &, ut alios omittam, Clemens VIII. & Paulus V. (quicquid sit de exceptione, & temperamento à P. Viva hic adhibitis ad Molinianae sententiae vindiciam, cui propterea, ne à recto tramite recedam, objicio praeceteris tres insignes S. R. E. Cardinales Bellarminum (b), Norisium (c), & Gotti(d)). Benè perpendentes, inquam, refractarii praefati, quòd theses toties à S. Sede confixas propugnarent facilius, feliciusque venditarent, si S. Augustini adcederet authoritas, ad libitum, & libidinem M. P. testimonia adhibere consueverunt; nihilque saepiùs temerè reperentes, quàm Augustini nomen, nil frequentius ingeminantes, quàm S. Doctoris sententiam, Augustinianam commenti sunt opinionem, quae revera est Bajano-Jansenistica toties ab Ecclesia convulsa. Quinimò ad eam usque, ex superbia, & temeritate, devenerunt insaniam, ut vel floccipendentes ipsas Apostolicas Bullas flexo poplite excipiendas ab omnibus, qui Christiana professione censentur, Augustinum veluti Canonicum Scriptorem in omnibus fallere, & falli nescium, adseruerunt: quapropter absolutè, & generatim M. P. doctrinam etiam dogmaticis Bullis fore praeponendam effutierunt: itaut, ex eorum commento, ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam potest absolutè tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificiam Bullam.

Verùm falsò nimis, temerè, & non sine injuria ejusdem M. P. ut notum est iis etiam, qui leviter sunt instructi. Quandoquidem, vel Apostolicae Bullae sunt circà disciplinam, vel sunt circà dogmata, vel etiam ad pacem in Ecclesia fovendam, ad manutenendam charitatem, opportunum praescribunt modum à Theologis tenendum, ne fervore abrepti modestiae fines transgrediantur. Cujuscumque eae sint conditionis, suspiciendae sunt ab iis, qui Catholici audiunt, etiam posthabita sententia, quam isti viderint in Augustino clarè fundatam. Igitur omni ex capite commentitia est adsertio contrariorum. Et quidem, si primum spectetur, quomodo adseri potest haud standum esse ordinationi Ecclesiae, seu Bullae Pontificiae ad disciplinam spectanti, ut S. Patris doctrina, quinimò sententia in Augustino clarè fundata, sarta tecta custodiatur, quando Aquilinus Doctor luculentissimè docet parendum in omnibus esse decretis Ecclesiae, etiam sua propria opinione rejecta, & generatim, absque ulla exceptione, unumquemque teneri ad disciplinam propriae Ecclesiae servandam? Loquens enim M. Pater de varia disciplina circà jejunium laudat responsum S. Ambrosii Mediolanensis

(a) *Lege N. Hyacinthum Serry* Histor. Congregat. de Auxiliis Lib. *III.* Cap. *VII. col.* 315. *& sequentibus editionis novissimae Ann.* 1709.

(b) *Card. Norisius* in Vindiciis Augustinianis.

(c) *Card. Bellarminus* in Controversia de Gratia, & libero arbitrio. *Sed adiendenda est editio Ingolstadiensis Ann.* 1587. *ex Typographia Davidis Sartorii: hanc apud me habeo, & magnifacio, circà variationem editionum operum Bellarmini legesis Eruditos.*

(d) *Card. Gotti* in Theolog. Scholastico-Dogmatica *ubi*, de Gratia, & Praedestinatione *agit.*

Digitized by Google

Episcopi ad Monicam Matrem suam. (a) *Quando hic sum non jejuno Sabbato: quando Romae sum jejuno Sabbato. Et ad quamcumque Ecclesiam veneritis ejus mores servate, si pati scandalum non vultis, aut facere.* Nec dumtaxat S. Ambrosii sententiam laudavit, quinimò idipsum, quod ille docuit, exsecutus est, eam servans disciplinam, quae in Ecclesia, ad quam deveniebat, custodiebatur, etiam propria, & regionali postposita: ut, nimirum, morem gereret Ecclesiarum Pastoribus, quod etiam ab aliis custodiendum mandavit; hinc ait: *Sed quoniam contingit, ut una Ecclesia, vel unius Regionis Ecclesiae, alios habeant Sabbato prandentes, alios jejunantes, mos eorum mihi sequendus videtur, quibus eorum populorum congregatio regenda commissa est.* Et ne varia laudem M. Patris monumenta, quibus peculiares Ecclesiarum consuetudines servandae ab eo asseruntur juxtà propriam cujuscumque loci disciplinam, ut nimirum debitus geratur mos Episcopis locorum, *quibus populorum congregatio regenda commissa est*; satis superque sit adserere, quod omnibus est notum, videlicet Augustinum semper docuisse servandas esse locorum consuetudines, ut Statuta Pastorum custodiantur juxtà Domini praeceptum (b). Quum ergò ità sentiat Augustinus, dum de peculiaribus Edictis, seu Ordinationibus Pastorum verba habet, quantò magis obediendum esse decretis Supremae Sedis, Bullis, nimirum, Romanorum Pontificum, qui in Cathedra Petri sedent, ex Augustini sententia colligitur evidenter? Verùm quia, ut obstat, Adversariorum mens, & idea alia est; & dumtaxat ad fovendam propriam temeritatem, superbiam, propriumque errorem; illi à Romanorum Pontificum Bullis recedunt, & ad Sancti Augustini doctrinam adpellant, dum de dogmaticis quaestionibus agitur, ideò haud ultrà immorandum hac in re occurrit ad priorem hanc partem probandam; sed confestim ad Posteriorem gressum facere oportet, praecipuè cum ex Tridentina Synodo expressum habeamus decretum, quo laudantur utique Veterum Patrum sententiae, & pristinae Ecclesiae disciplina, mores, & praxis; sed standum esse recentioribus Ecclesiae Constitutionibus ex gravi momento editis praecipitur, moremque, ut par est, gerendum esse S. Sedis decretis, sanctè, justèque mandatur (c).

Sic ergò ad hominem contrà perduelles. Si in materia dogmatum standum esset doctrinae S. Patris pessumdata decretali sententia Romani Pontificis, majoris ponderis judicanda foret S. Augustini sententia prae dogmatica Bulla Supremi Ecclesiae Hierarchae, quare ut Canonicus Scriptor habendus esset Augustinus nulli obnoxius erroris: è contrà verò Romanus Pontifex, etiam è Cathedra docens, & ut supremus fidei judex decernens, habendus foret ut homo privatus, qui fallère, & falli posset. Atqui utrumque falsum est, utrumque è diametro adversum doctrinae M. Patris. Igitur ab ipso Augustino, ad quem confugiunt, vapulent maleferiati

(a) *S. P. Augustinus* Epistola XXXVI. *alias* LXXXVI: ad Casulanum.
(b) *Idem* Epistola ad Januarium LIV. *alias* CXVIII.
(c) *Tridentin.* Sessione XXI. Cap. II. & Can. IV. & *alibi pluries.*

Digitized by Google

riati Theologastri. Et nonne Aquilinus Doctor, esto viriliter contrà Pelagium, Coelestium, & assectas omnes steriisset, & in pluribus Africae Conciliis suam adversùs eos sententiam protulisset, tunc solùm errorem devictum asseruit, cum ex decreto S. Innocentii I. Romani Pontificis fuit Pelagiana haeresis damnata? Id luculentissimè constat ex ejusdem Aquilini Doctoris testimoniis in praecedenti Exercitatione laudatis, quibus pariter ad exsibilandum Jansenianum errorem usi sunt Galliarum Episcopi ad Innocentium X. scribentes. Igitur ex Augustini sententia tanti ponderis est solius Romani Pontificis decretalis sententia, seu dogmatica Bulla, ut nedum sua, sed plurium etiam Nationalium Conciliorum sententia illi inferior sit censenda.

Nonne iridem S. Pater Augustinus humiliter quidem, sed veraciter nimis, semetipsum declarat fallibilem, errori obnoxium, quem propterea nemo possit censere tantae authoritatis, ut certissimi monumenti loco cedat sententia sua? Nonne ex adverso idem S. Doctor tantae certitudinis asserit, vel solam Romani Pontificis sententiam, ut nefas sit Christianis, vel dubitare de veritate dogmatis à Pontifice definiti? Utrumque ità clarum est in Magno Patre, ut vel leviter de eo ambigere sit in meridie coecutire. Primum enim ità adstruit S. Doctor. (a) *Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non erraſſe perspexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem, sed proficienter me existimo Deo miserante scripsisse, non tamen à perfectione coepisse: quandoquidem arrogantiùs loquor, quàm verius, si vel nunc dico, me ad perfectionem sine ullo errore scribendi jam in ista aetate venisse. Sed interest quantum, & in quibus rebus erretur, & quàm facilè quisque corrigat, vel quanta pertinacia suum defendere conetur errorem. Bonae quippe spei est homo, si eum sic proficientem dies ultimus vitae hujus invenerit, ut adjiciantur ei, quae proficienti defuerunt, & perficiendus potiùs, quàm puniendus potiùs judicetur.* Posterius verò idem S. P. clarissimè manifestat, dum enunciato decreto S. Zosimi R. Pontificis circà propagationem primigeniae labis, ità de certitudine, veritate, & infallibilitate Apostolicae sententiae testimonium perhibet. (b) *In his verbis Apostolicae Sedis, tam antiqua, atque fundata, certa, & clara est catholica fides, ut nefas sit de illa dubitare Christiano.* Et iterùm: (c) *Per Papae rescriptum causa Pelagianorum finita est, totoque Orbe, post ejus damnationem, damnati sunt, ac literis Innocentii tota de hac re dubitatio sublata est.* Quomodo igitur Pseudo-Theologi isti ad Augustini sententiam confugiunt, ut detrahant potestati Romanae Sedis, & authoritati Pontificis Maximi, quando Augustinus ipse standum esse non suae, sed Romani Pontificis decreto aperte docet? Ut errores erroribus contegant, & mendàcia commentis patrocinentur, ità efficiunt tenebriones. Audiant etiam Angelicum

(a) *S. P. Augustin.* libro de dono perseverantiae *Cap. XXI.*

(b) *Idem S. P.* Epistola *CXC.* ad Optatum, *aliàs CLVII.*

(c) *Idem S. P.* Lib. II. contrà duas Epistolas Pelagianorum *Cap. 8.*

Digitized by Google

licum Doctorem S. Thomam Aquinatem fidissimum S. Augustini discipulum, ejusque doctrinae addictissimum, qui dum de Pontificiis decretis loquitur, ità ea veneratur, excipit, & vindicat, ut nec vel Augustini, nec vel alterius cujuscumque Doctoris sententia sit tenenda contrà Pontificias Bullas expressè doceat, & rationem adsignat. (a) *Quia, & ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia authoritatem habet: unde magis standum est auctoritati Ecclesiae, quàm authoritati, vel Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscumque Doctoris.* Quòd verò Angelicus Ecclesiae authoritatem eam dicat, qua Romanus Pontifex insignitur ut Ecclesiae Caput (ne cavillandi ansam suscipiant refractarii Conciliares definitiones opponendo Pontificiis dogmaticis decretis) evidentissimè constat ex iis, quae ex eodem Angelico in praecedenti Exercitatione diximus; constat itidem ex aliis, quae alibi habet directè contrà deliria hujusce damnatae thesis Auctorum. *Magis* (inquit (b)) *Standum est sententiae Papae (ad quem pertinet determinare de fide, quam in judicio profert) quàm quorumlibet Sapientum in Scripturis opinioni.* Quinimò ità S. Thomas prò hac veritate steit, & ritè, ut vel ex eo dicendos esse haereticos refractarios hosce docuerit, quia definitioni dogmaticae Romani Pontificis reluctantur. Audiant iterùm Pseudo-Theologi Theologorum Principem praedamnantem cum eorum thesi ipsos met Patronos ejusdem. (c) „ Postquam autem essent „ auctoritate universalis Ecclesiae determinata, si quis tali ordinationi „ pertinaciter repugnaret, haereticus „ censeretur. Quae quidem authoritas „ principaliter residet in Summo Pontifice. Dicitur enim XXIV. Qu. I. „ (Cap. Quoties, ex Epistola Innocentii I. ad Concilium Milevitanum.) „ *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror* „ om-

(a) *S. Thom. 2. 2. Qu. X. Art. 12.* in corpore.
(b) *S. Thomas* Quodlibeto IX. Q. VII. Art. XVI.
(c) *S. Thomas 2. 2. Qu. XI. Art. 2. ad 3. juxtà editionem N. Johannis Nicolai, Cujus haec nota marginalis est*: Sequens postrò appendix, quae in Decretis quoque ubi suprà Cap. „ Haec est fides „ velut ex Hieronymo praenotatur, est Pelagii se Catholicum fingentis, & in adulterinis Hieronymi repositum. Proindè mihi visum, nec ullus, credo, improbabit sapiens, ut aliam ex vero Hieronymo, & ex Cyrillo item appendicem textui adjungerem, quam si vacaret locus, in margine dumtaxat annotassem. *Quia autem laudatus P. Nicolai genuinos textus Hieronymi, & Cyrilli omisit, supplebo in praesentiarum ad majorem confutationem Adversariorum. Hieronymus quidem* Epistola LVII. ad Damasum Papam, *ità scribit*: Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, id est Cathedrae Petri, communione consocior, super illam Petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extrà hanc domum agnum comederit profanus est. Si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio. Et quia prò meis facinoribus ad eam solitudinem commigravi, quae Syriam junctо Barbariae fine disterminat, nec possum Sanctum Domini interjacentibus spatiis à Sanctimonia tua semper expetere: ideò hîc collegas tuos Ægyptios confessores sequor, & sub onerariis navibus parva navicula delitesco. Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. *Cyrillus autem, etsi prò haeretico haberet Nestorium, nunquam tamen ausus fuit illum prò haeretico damnare, nisi Coelestini Papae decretalis sententia adesset: eo quippe ex momento, quia Romani Pontificis sententia, vel sola, ad fidei veritatem definiendam sat est, ex eaque veritas omnis, velut ex Dei oraculo, pendet. Sic enim scribit ad eundem Coelestinum.* Quamvis haec ità se habeant, non priùs tamen Nestorii communionem confidenter deserere ausi fuimus, quàm haec ipsa pietati tuae indicaremus. Digneris proindè, quid hîc sentias, declarare, quo liquidò nobis constet, comunicare ne nos cum Nestorio oporteat, an verò eidem liberè denuntiare, neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet, ac praedicat.

Digitized by Google

„ *omnes fratres nostros Coëpiscopos nonnisi* „ *ad Petrum, idest ad sui nominis, &* „ *honoris auctorem referre debere*. Contrà „ cujus authoritatem nec Hieronymus, „ nec Augustinus, nec aliqui Sacro- „ rum Doctorum, suam sententiam „ defendit. Unde dicit Hieronymus „ ad Damasum Papam. *Haec est fides,* „ *Papa beatissime, quam in Catholica di-* „ *dicimus Ecclesia, in qua, si minùs peritè,* „ *aut parùm cautè fortè aliquid positum est,* „ *emendari cupimus à te, qui Petri fidem,* „ *& sedem tenes. Si autem haec nostra con-* „ *fessio Apostolatus tui judicio comprobatur,* „ *quicumque me culpare voluerit, se im-* „ *peritum, vel malevolum, vel etiam* „ *non catholicum, non me haereticum* „ *comprobabit*.

Ex hac autem tàm dilucida S. Thomae doctrina profligatur argutatio Oppositorum. Idcircò enim Augustini sententia à Patribus Concilii Arausicani II. fuit proposita, ut norma veritatis ab omnibus contrà Pelagianos, & Semi-Pelagianos tenenda, quia authoritate Romanae Sedis probata, & ex ejusdem Romani Pontificis decreto Canones illi fuerunt procusi. Sic enim laudati Patres loquuntur. (a) *Illi Canones non fuerunt à nobis inventi, vel facti, sed ab Apostolica Sede fuerunt ad nos transmissi, ut ejusdem Sedis authoritate, & admonitione promulgarentur*. Veritas igitur inconcussa non ex sententia Augustini, sed ex calculo Romanae Sedis eam probantis, est adstruenda; & quidem in quacumque re, sive ad mores, sive ad fidem pertinente. Adeòque dum sententia, quae etiam clarè fundata videtur in Augustini doctrina, adversatur Pontificiis Bullis, rejicienda est, & parendum est S. Sedi. Fuit itidem doctrina S. Patris circà materiam liberi arbitrii, Gratiae Dei, & Praedestinationis Sanctorum, à Romanis Pontificibus in Selectis Augustini Operibus commendata; ex eoque adprobationis momento tenenda est Sancti Patris doctrina. At quòd haec, vel illa thesis sit juxtà mentem S. Doctoris, ad cujusnam judicium spectat, nisi ad irreformabile illud Romani Pontificis, ut hucusque fuit propugnatum à Non minùs in Verbo scripto, quàm in Augustini doctrina clarè fundata sententia potest adstrui prò lubito contendentium: estò longè nobilioris, altioriſque momenti sit Divina Scriptura prae Operibus Augustini. At dum de hac re dubium exoritur, nonne haereticus certo certius judicatur, qui, posthabita Dogmatica R. Pontificis Bulla, propriam teneret sententiam, & vel ex eo sibi certam, quia in Verbo scripto clarè fundatam? Nemo, qui Christianus audit, inficiatur, ne auxiliares porrigat manus Novatoribus ad privatum spiritum confugientibus. Idque eo ex inconcusso momento, quia Romanus Pontifex est Supremus Ecclesiae, & fidei Judex, ad quem majores causae sunt referendae, & à quo, velut ab ore Petri loquentis, exspectanda est definitio. Quomodo ergò, dum agitur de Augustini doctrina, estò ab Ecclesia ut Catholica probata, fas erit unicuique proprio ingeniolo fidere, privatum, certumque judicium ferre de aperta Augustini mente contrà Romani Pontificis decretum, & ju-

(a) *Vide Ludovicum Bail* Tom. II. Concilior. Controversia De Concilio Arausicano II.

Digitized by Google

judicium in Dogmatica Bulla expressum. Huic à Domino promissa est adsistentia, ne deficeret fides ejus in doctrina, qua Ecclesia regatur, illustretur, custodiatur; & universim, in omnibus praestò est Spiritus Paracletus, ut id tenendum credendumque proponat, quod à Deo prima infallibili veritate fuit revelatum, sive id in Verbo Dei scripto, sive in Verbo Dei tradito habeatur. Igitur ut huic ex Cathedra loquenti, & per dogmaticam Bullam instruenti obsequatur Catholicus operae pretium est, ne à debita obedientia deficiat, ne in castra haereticorum descendat. Et quamvis ei certissimè videatur sententia, quam tenet, fundata in dilucida Augustini doctrina, eaque ab Ecclesia semel, & iterùm probata, ne tamen erret, ne deficiat à fide, in obsequium fidei, & firmitudinem veritatis, subjugare debet intellectum Pontificiae Bullae aliter decidenti: judicium namque proprium fallibile est, & errori obnoxium: at irreformabile, & indefectibile est judicium Romani Pontificis aliter diffinientis. Et quidem ex hoc privato judicio erraste, & turpiter nimis, Bajanos, Jansenianos, Quesnellianos omnes prò comperto est, quum ex mente Augustini, sed malè intellecti, suos firmare studuerunt errores, quia reapse ex dilucidis Africani Patris monumentis à S. Sede benè libratis, eisque objectis veritas fuit decisa contrà eosdem, ut suprà pluries ostendi, & iterùm probare nec decet, nec lubet, ne stulto labore consumar.

Quòd verò parendum sit Romanorum Pontificum Bullis, quibus interdicitur contentio super re quacumque in controversiam vocatae, estò sententia clarè videatur in Augustino fundata, vel ex eo constat, quia ad Romanum Pontificem uti Caput Ecclesiae, & Supremum Pastorem spectat, nedum, quid sit agendum, quidve credendum sit, indicere, & declarare; verùm ad pacem in Ecclesia servandam, rectamque oeconomiam custodiendam, ad eum spectat eas condere leges, quibus, quod expedit, indicatur, praecipiaturque: quare ea lata lege, ne contumaces, & rebelles evadant, qui etiam sibi favere causam in controversia existimant, humiliter parere debent, sibique imponere frenum, manumque coercere: ab iis censuris abstinere debent, quas Rom. Pontifex interdixit. Ex praefata namque oeconomia cùm universim etiam Generales Synodi indecisas eas quaestiones reliquerint, quae ultimo finali videbantur egere decreto; idque ut majori occurrerent malo, majorique bono providerent, Florentina, & Tridentina prae ceteris, vel ad firmandum cum Graecis pacem, vel ad servandam Orthodoxis quietem, nonnulla haud diffinierunt, aliqua itidem Theologorum examini, & sententiae rectè commiserunt. Quodque itidem cùm peregerint quamplures Romani Pontifices, praecipuè tamen Paulus V. & Alexander VII. rationabili decreto statuerunt, ut ego non semel adnotavi. Eoque ex momento probi, doctique Theologi, rectè sibi temperaverunt à lacessenda sarcasmis, censurisque respectivè Doctores prò & contrà Attritionem, necnon circà materiam ad Scientiam Dei, Praedestinationem Sanctorum, & Gratiam Salvatoris pertinentem. Nec quidem ego ab eo recessi: quare nec transversum unguem lon-

Digitized by Google

longè abit à Pontificiis hiſce decretis, ut obſervari poteſt in omnibus id genus materiebus in toto hoc opere pertractatis; ſummoque ſemper mihi duxi honore Pontificiis diplomaribus morem gerere, & obſequium praeſtare, etſi pro ſolitiori ſententia decertaverim, quamvis in vindiciam Thomiſticae veritatis viriliter pugnaverim. Quapropter eſto aliquando (a) haereticam dixerim, & Semi-Pelagianorum erroribus adcenſuerim propoſitionem illam *facienti quod in ſe eſt Deus non denegat auxilium ſuum*, eamque ſic abſolutè, & generatim prolatam diris devoverim: quam tamen, ad catholicam veritatem ſervandam, temperamento aliquo eſſe moderandam dixi, nimirùm *faciendi quod in ſe eſt ex auxilio gratiae Deus aliud auxilium non denegat*: eam dumtaxat ſententiam hac cenſura notavi, quae ſolùm damnata fuit ab Arauſicana II. Synodo (b), & univerſim à Patribus, & Conciliis fuit proſcripta (c): ea, nimirùm, quae operibus merè naturalibus, & ex viribus naturae elicitis cauſam meriti vitae aeternae indulget: nullatenus autem animus mihi inſedit theologica cenſura notandi Molinianam opinionem, qua praefata propoſitio *facienti quod in ſe eſt Deus non denegat auxilium ſuum*, temperamentum adponitur ex pacto inito Deum Patrem inter, & Filium ſuum, quem conſtituit humani generis Salvatorem. Hanc, inquam, theſim ſic temperatam, eſto falſam ex ſententia Patrum, & Theologorum exiſtimem, ſicut, ad libitum excogitatum pactum, quod in medium profertur, praeſertim quia Clemens VIII. eam vel rejeciſſe, vel non adprobaſſe refertur, & in Congregatione de Auxiliis ſelecti Judices adſeruerunt *nuſquam fuiſſe à S. Auguſtino expreſsè traditam, neque ullo modo poſſe colligi ex illius doctrina, ſed potiùs adverſari omninò illi, quam contrà Pelagianos, & Semi-Pelagianos ex Divinis Scripturis in ſuis Libris ſaepè comprobavit* (d): tamen quia laudatus R. Pontifex

(a) Tom. *II.* Exercit. *XI. fol.* 29. *ad not.* 1. *col.*

(b) *Concil. Arauſic. II. coaſt. Ann. DXXIX. Can. VI* Si quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quaerentibus, pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri, non autem divinitùs, ut credamus, velimus, vel haec omnia, ſicut oportet, agere valeamus, per infuſionem, & inſpirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confiteatur, aut humilitati, aut obedientiae humanae ſubjungit gratiae adjutorium, nec ut obediens, & humilis ipſius gratiae donum eſſe conſentit, reſiſtit Apoſtolo dicenti (*1. Cor. IV.*) „ Quid habes, quòd non accepiſti? „ Et „ Gratia Dei ſum id, quod ſum „ *Et Can VII.* Si quis per naturae vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitae aeternae, cogitare, ut expedit, aut eligere, ſive ſalutari, ideſt, Evangelizanti praedicationi conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo, & credendo veritati, haeretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis (Joan. XV. & *II. Cor. III.*) „ Numquid idonei ſumus cogitare aliquid à nobis „ quaſi ex nobis? ſed ſufficientia noſtra ex Deo „ eſt. „ *Id etiam ibidem pluries aſſeritur, & definitur, nimirùm Can. III. IV. V. VIII. &c.*

(c) *Vide Noſtros inſignes Theologos Reginaldum, Lemoſium, Genetium, Contenſonium, Alvarez, Serry, C. Gotti, & alios ubi de* Gratia, & de Praedeſtinatione, *praeſertim Natalem Alexandrum* Epiſt *XLII.* in appendice ad Theologiam Dogmatico Moralem, *apud quos invenies Patrum & Conciliorum monumenta.*

(d) *Vid. N. Hyacinthum Serry* Hiſtor. Congregat. de Auxiliis Lib. *III.* Cap *XVI.* column. 351. *& ſequ. in noviſſ. editione. Lege ibidem N. Thomam de Lemos* Diſput. *IX.* coram Clemente *VIII. apud quos etiam reperies quàm infelici eventu quidam Molinae defenſor eam propugnaverit, dum vitiato S. Auguſt. textu, & idcò à Clem VIII. objurgatus, animo defecit, capitiſque vertiginem paſſus in terram decidit, & ex morbo tandem properavit ad mortem. Lege etiam N. Antoninum Reginaldum* De Mente Concilii Tridentini circà gratiam ſe ipſa efficacem. Animadverſione *XIV.* in doctrinam P. Ludovici Molina.

Digitized by Google

tifex nullum diffinitivum decretum edidit, quo proscripta ea forent; & laudatus itidem Paulus V. solemni decreto jussit abstinendum ab omni theologica censura, quam ferre dumtaxat Apostolica Sedes potest, utpotè Magistra veritatis, & controversiarum omnium Judex, idcircò nullam in eam censuram tuli, nullamque in praesentiarum fero, exspectans judicium, & sententiam Romanae Sedis, cui ex corde obsequor, meque semper devinctissimum, & obsequentissimum volo, & qualecumque meum judicium supremo irreformabili ejusdem judicio submitto *pascens semper haedos meos juxtà Tabernacula Pastorum*, & praecipuè supremi illius Pastoris, cui à Domino dictum est: *Pasce oves meas, pasce Agnos meos*, cui nimirùm à Domino commissa est cura gregis, nedum, sed & Parum Catholici gregis, scilicet Episcoporum.

EXERCITATIO XXI.

XXXI. PROPOSITIO.

Bulla Urbani VIII. IN EMINENTI est subreptitia.

ITerùm turbas excitant, & commenta spargunt, qui fucum facere veritati contendunt, quia Romano Pontifici, ut par est, obedire detrectant, & propriam opinionem, toties estò convulsam, pertinaciter fovere conantur. Ut autem res tota, vel cursim, expendatur, historiam, vel strictim percensere non taedet, ex qua facillimè profligabitur damnata thesis, quae ex facto quoque, sed perperàm ab ejusdem Patronis recensito dependet. SS. Pontifex Pius V. Anno MDLXVII. septuaginta sex ex Michaëlis Baii operibus erutas theses, & coram se *stricto examine ponderatas, uti haereticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectivè*, damnavit sua speciali Bulla, quae incipit. *Ex omnibus afflictionibus*, quam Bullam coram tota Universitate Lovaniensi eodem Michaële Bajo praesente publicavit Maximilianus Morillonius Praepositus Ecclesiae D. Petri Arienfis, & Vicarius Generalis Cardinalis Granvellani Archiepiscopi Mechlinienfis, ad quem à SS. Pontifice fuit prò intimatione, & publicatione directa. Eandem Bullam reverenter exceperunt quotquot erant tunc ad eandem Universitatem pertinentes *Magistri, Regentes, & Legentes*, ut fidem facit Cornelius Jansenius, non diu post Gandavenses Episcopus inauguratus, qui etiam refert, quòd cùm tunc fuisset expetitum exemplar, seu copia ejusdem Bullae ab ejusdem Universitatis Magistris. *D. Praepositus respondit ob multas, easque graves causas, in praesentiarum non posse tradi copiam Bullae, sed articulos sua manu transcriptos, seque Facultati daturum, ne à quoquam ignorari possint.* Sequenti Anno Michaël Bajus, etsi omnia Romani Pontificis judicio submisisset, quia dubius haerebat de plenaria Romani Pontificis scientia, nimiùmque suspensus erat quomodo fuissent absolutè, & sine peculiari cuique thesi addicta propria censura, praefatae theses confixae; & praesertim, quia non fuerat Lovanienfibus traditum exemplar laudatae Bullae, ad eundem S. Pium V. suam direxit epistolam simul cum explicatione

sua-

Digitized by Google

ſdarum theſium, ut iis conſideratis, mentem ſuam R. Pontifex aperiret, & dubium omne ab eodem removeret. *Quapropter* (ità ſcripſit Michaël Bajus) *viſum eſt ipſas ſententias ſimul cum iis, quae nos movent, Beatitudini Veſtrae* (*cujus judicio omnia ſubjicimus*) *tranſmittere, ut iis conſideratis facilius diſpiciat, ac judicet, utrùm jam dictas litteras, tanquam legitimas, & ſufficienter diſcuſſas habere velit, an tanquam ſubreptitias, ac per quosdam bonorum virorum acmulos importunitate magis, ac arte, quàm ratione obtentas.* Michaëli Bajo nimia charitate reſpondit S.Pius V. adſerens omnia in laudata Bulla contenta *non ſine matura deliberatione, & conſideratione* à ſe *decreta ſtatutaque, quemadmodum, & ipſius cauſae gravitas, & hominum alioquin de S. Sede Apoſtolica benè meritorum conditio poſtulabat*; necnon iterùm eadem fuiſſe *maturè admodùm* conſiderata, idemque omninò fuiſſe decretum, perpetuo indicto ei, ceteriſque praefatarum theſium defenſoribus, ſilentio *prò earum aſſertione, & defenſione*. Verùm quia Lovanienſes inſtabant prò exemplari, ſeu copia Bullae S.Pii V. Greg.XIII. An.MDLXXIX. laudatum exemplar ad eos tranſmiſit unà cum Pontificio diplomate, cujus initium: *Provisionis noſtrae*, quo itidem S.Pius V. Conſtitutionem firmavit: alteram quoque in forma Brevis ad eundem Michaëlem Bajum per Franciſcum Toletum, qui poſteà fuit S. R. E. Cardinalis, litteram tranſmiſit: hinc omninò quievit, in omnibus paruit Bajus, declaravitque ſe nullatenùs receſſurum à mente, & decreto S.Sedis (a). Quievit, inquam, Bajus, necnon ſumma humilitate ab omni, vel propriae famae, ſtudio receſſit, ut, qua par erat, morem gereret Romano-Pontifici Chriſti Vicario, potiùſque ſe cuſtoditurum porcos, quàm Profeſſorem acturum contrà decretum Papae apertè fuit teſtatus, ut idem Cardinalis Toletus fideliter retulit. At non ceſſavit quaeſtio. Prò Bajanis theſibus, ſemel, & iterùm confixis, ſteterunt aliqui ejus diſcipuli, & ex eo, nimirùm, momento eaſdem propugnare ſtuduerunt, quia id eis licitum fore adfirmabant ex authographo S.Pii V. decreto, quo eas omnes, aut ſaltem ex eiſdem theſibus aliquas *in rigore* licitè poſſe defendi adſtruebatur. Autographum hoc decretum illud adſeverabant, quo parentheſis adjecta eximebat eaſdem: hoc nempe modo (*quamquam nonnullae aliquo pacto ſuſtineri poſſint in rigore*, * &

(a) Ego Michaël de Bay Cancellarius Univerſitatis Lovanienſis, & in eadem profeſſor Sacrae Theologiae, agnoſco & profiteor me ex variis colloquiis, & communicationibus habitis cum R. P. D. Franciſco Toleto, Concionatore Suae Sanctitatis, & ad hanc rem ſpecialiter miſſo, ſuper diverſis ſententiis, & propoſitionibus jam olim à Sanctiſſimo D. N. Pio V. foel. record. ſub dat. Kal.Octobris 1567. & nuper à Gregorio XIII. moderno Pontifice Maximo ſub data quarto Kal. Februarii Anno 1579. iteratò damnatis, & prohibitis, ità motum, & eò perductum eſſe, ut planè habeam mihi perſuaſum earum omnium ſententiarum damnationem, atque prohibitionem jure meritoque, ac non niſi maturo judicio, ac diligentiſſima diſcuſſione praemiſſis factam, atque decretam eſſe. Fateor inſuper plurimas ex eiſdem ſententiis in nonullis libellis à me olim, & antè emanatam Sedis Apoſtolicae ſuper eis cenſuram, conſcriptis & in lucem editis contineri, & defendi etiam in eo ſenſu in quo reprobantur. Denique declaro me in praeſentiarum ab iis omnibus recedere, & damnationi à S.Sede factae acquieſcere, neque poſthac ullam earum docere, aut defendere velle. Actum Lovanii die 24. Martii Anno 1580. — MICHAEL DE BAY.

Digitized by Google

proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento). Idemque authographum eiſdem favens, vel ex eo propugnabant, quia eis primitùs indictum ab Apoſtolico Nuncio ità erat expreſſum, cujus propterea exemplaris nulla eis fuerat copia relicta. Quare addebant nullam fore praeſtandam fidem novo exemplari Roma ad eoſdem tranſmiſſo à Gregorio XIII per Franciſcum Toletum, in quo comma illud variatum, aliterque diſpoſitum erat: in hunc videlicet modum: *quamquam nonnullae aliquo pacto ſuſtineri poſſent, * in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento haereticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, &c.* Ad removendum verò praefatum effugium, ſeu commentum, Urbanus VIII per ſuam Bullam, quae incipit IN EMINENTI datam An. MDCXLI. renovans Gregorii XIII Conſtitutionem, idem exemplar cum praepoſitione commatis confirmavit, omnemque cavillandi ſemitam praepedivit refractariis; & ut tandem acquieſcerent, ſummo jure eiſdem indixit. Sed numquid, cauſa finita, finitus eſt error? Outinam! quod olim ingemuit Auguſtinus confixa per S. Innocentium I. Pelagiana haereſi, deplorandum eſt in praeſentiarum in cauſa Michaëlis Baii; & eo potiùs, quia dum hic ſe penitùs judicio S. Sedis ſubmiſit, aliqui ejus diſcipuli S. Sedis decreto, & repetito praecepto obtemperare detrectarunt, & fraude mendacia contegentes, in eodem perſeverarunt errore. Laudatam Urbani VIII. Bullam IN EMINENTI ſubreptitiam adſeruerunt, fraude, nimirùm, extortam ab eis, quos ſibi exiſtimant adverſos, comminiſcentes.

Verùm, ut dixi, iterùmque dico; commentitiè nimis, fraudolenter, nimiùmque procaciter ogganniunt tenebriones iſti, ut commentis veritatem enervent. Ex hiſtoria enim fideliter percenſita eorum fraus detegitur, & veritas confirmatur. Ut autem magis magiſque commentum ventiletur, ità lubet eos arguere. Quum enim S. Pius V. clarè diſtinctè, & abſque ullo verborum involucro Michaëlis Baii theſes nigro theta ſignaſſet: quum inſuper ejus Apologetico excepto, maturè perpenſo, benèque librato itidem eidem Bajo, ut acquieſceret, injunxiſſet, & nedum ei, verùm & univerſae Lovanienſi Academiae ſilentium indixiſſet, quomodo adſtrui poteſt, & qua fronte liberè adfirmari fas eſt *in rigore aliquas* (eſtò indefinitè) *defendi poſſe* à S. Pio V. fuiſſe adſertum, quum laudatus Pontifex iterato decreto omnes, & ſingulas *uti haereticas erroneas*, &c. iratis diis ſacravit, eaſdemque etiam *Apologetico* explicatas, delibutas, temperatas penitùs profligarit? Citrà omnem dubietatis aleam, qui utroque oculo non caligat veritatem hanc luce meridiana clariorem intuetur. Quandoquidem, vel tunc certiùs S. Pius V. aliquas ſaltem ex praefatis theſibus *in rigore defendi poſſe* adfirmaſſet, quum eas Michaël Bajus Patrum monumentis adhibitis vindicavit expendit, temperavitque. Atqui tunc iterùm S. Pius eaſdem proſcripſit, ſeu priorem proſcriptionem firmavit, &, ne eaſdem propugnaret Michaël Bajus, juſſit, ſilentio eidem, ceteriſque diſcipulis, & aſſeclis ejus indicto. Igitur S. Pius V. omnes, & ſingulas praefatas theſes *in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus*

Digitized by Google

bus intentō, seu ut à Michaële Bajo primitus procusas, deinde Apologetico expensas, moderatas, propugnatasque, confixit.

Similiter quàm futilis sit adversariorum evasio ex jactata postpositione commatis, ille certè, qui Thyreſia coecior est, haud observat. Quandoquidem postposito commate juxtà lubitum adversariorum, nonne totus propositionis invertitur sensus, & involucrum tale in Bulla occurrit, ut vel Decretale supremum judicium, & Sententia Dogmatica R. Pontificis sit adcensenda cacodaemonum jactatis oraculis, quibus non semel fuere decepti Ethnici ad Numinum oracula confugientes? Id certè ex commento refractariorum evincitur.

Res itidem à Romani Sanctiſſimique Pontificis mente prorsùs aliena est, nec rationis compos Theologus potest sibi persuadere voluisse S.Pium V. juxtà Patronos damnati sphalmatis, aliquibus indefinitè permissis ut innoxiis thesibus, reliquas indefinitè quoque ut haereticas erroneas &c. damnare: cùm hoc idem sit ac adserere nullam thesim fuisse confixam.

Similiter ejusdem exemplaris ad Lovanienses transmissi à Gregorio XIII. & ab Urbano VIII. confirmati sincera fideliſque transcriptio adfirmatur à viris omni exceptione majoribus, qui laudatum Autographum S.Pii V. propriis oculis adtentè legerunt.

Qua fronte tandem, & qua audacia in re tanti momenti praeventum praeditumque Rom.Pont. in editione Dogmaticae Bullae adseri potest? Ne actum iterùm agam: ex iis, quae in vindiciam Pontificiae Asphaliae dixi, iterùm refractariis oppono. Utque mala fides adversariorum innoteſcat, & ventiletur, sat est addere easdem, quas in rigore defendi posse censent, opiniones, fuisse confixas ab Alexandro VIII. Clemente XII. & Benedicto XIII. quorum decretis Divina favente Gratia, & coeleſti nitente luce, ut par erat, omnes Universitates obsequenter parentes subscripserunt, praesertim, & ab initio Lovanienſis, & Duacenſis Academiae. Quapropter ex paucorum errore nullatenùs carpenda est Belgica natio (ut per ignorantiam aliqui effutiunt, dum universim Belgas nominant, dum adversarios hujusce, alteriùsve Apostolicae Constitutionis enunciant.) semper obsequentiſſima Romanae Sedi, ex qua illuſtriſſimi Heroës, & fidei pugiles innumeri prodierunt, & in praesentiarum ibidem non sine nominis gloria enitent. Idque pariter dictum velim de Gallicanis Academiis, quibus decorem prò viribus servo, ut paulò ante in Excitatione XIX. hujusce III. Tomi ostendi. Dum autem, errore confixo, veritate retenta, cunctis honorem servare satago, Romanam Cathedram, Petri Solium, Veritatis thronum praecipuè vindicandi, propugnandique mihi animus insidet, unicumque studium, & maxima cura mei operis est. Quapropter ex hac Sancta Sede cuncta dogmata, decreta omnia flexo poplite, dimisso capite, obsequente corde excipiens, omnia quae scripsi Romani Pontificis judicio, & correctioni submitto: hoc unum in votis habens: vivere, & mori in communione Romanae Eccleſiae veritatis Solii, omniumque Eccleſiarum Principis & Magiſtrae, & nedum, quae huc usque, aut e cathedra dictitavi, aut

Digitized by Google

quae typis edidi, verùm & inposterum à me dicenda, aut edenda sunt, ejusdem S. Sedis censurae, & judicio submitto, UT EJUS AUTHORITATE, QUAE SUSCIPIENDA SUNT, APPROBENTUR, ET QUAE CORRIGENDA SUNT, EMENDENTUR (a).

FINIS.

(a) *S. Anselmus* in Praefatione Libri de Fide Trinitatis.

Corrigenda, & Addenda.

TOM. I. *pag.* 397. *ad not. col.* 1. Laudatum Opusculum *corrige* LIX. Opusculum. Tom. II. *p.* 95. *c.* 1. *Verbum feci de Illustri Congregatione sub Titulo S. Ivonis pauperum Advocati erecta Neapoli in Ecclesia SS. Apostolorum. Verùm quia aliqua ibidem omisisse me novi, ut amicabiliter, & ex propria comitate certiorem me fecit Cl. J. C. D. Horatius Rocca Patritius Tranensis, olim inter Celebriores amplissimi Fori Neapolitani Advocatos praestantissimus, deinde non ambitu, sed supremo jussu Judex M. C. Vicariae in civilibus, statim in Supremo Justitiae, & R. Consilio S. Clarae ab antiquo residentiae loco dicto R. Consiliarius, inde in altero Supremo Justitiae, & gubernii R. Consilio Collaterali (quod tunc vigebat) R. à latere Consiliarius Regens, Regali Marchionatus titulo prò merito decoratus, nunc in Regalis Camerae Consilio, super à Carolo Borbonio Optimo Rege instituto, & in laudato Justitiae Consilio R. Consiliarius Decanus, interdum de Regia commissione totius praefati Consilii Praesidis vicibus laudabiliter functus, qui per viginti, & plures annos laudatae Congregationis S. Ivonis Gubernator extitit, & in praesentiarum Supremus Moderator: idcircò omissa supplenda mei oneris, & muneris esse censeo ad patriae decorem.* In laudata, inquam, Congregatione S. Ivonis, nedum pauperum causae patrocinandae suscipiuntur ab ejusdem Congregationis Advocatis, priùs benè libratis justitia causae, & paupertatis statu, quod non fine consilio, & studio fit, praecipuè re benè cognita à Gubernatoribus, quibus ex Supremis Magistratibus delectus praesidet Judex; verùm etiam expensae omnes ex ejusdem Congregationis aere fiunt. Et quod magis laude dignum est, nec quidem parta victoria minimum quid exigit à victore paupere cujus patrocinium laudata Congregatio suscepit, estò non levis momenti sit deportatus ex lite triumphus: quod utique observare non est in ceteris sub eodem Titulo S. Ivonis per Orbem erectis Congregationibus, in quibus patrocinium utique praestatur, sed non expensae, saltem post deportatam victoriam. *Haec addidisse sufficiat: cetera, qui exoptat, consulat apud Parthenopaeum Regium Collateralis Consilii Regentem Hectorem Capycium-latrum* Consultatione CLXIX. *quam mihi ostendit laudatus Marchio de Rocca.* EODEM TOM. II. *p.* 118. *ad not. col.* 2. Ex Catholicis ... Paschasius Quesnell. *corrige* Ex Acatholicis ... Paschasius Quesnell. *TOM. III. pag.* 42. *ad not.* 2. *col. & pag.* 38. *ad not.* 1. *col.* Patres Concilii Bizaceni in Sardinia *corrige* Patres Bizaceni in Concilio Sardiniae. *Cetera levia menda corriget Benevolus Lector.*

Digitized by Google

INDEX.

A

Absolutioni non est praemittenda satisfactio ex Divino praecepto. Exercitat. X.

Academiae illustres prò Roman. Pontificis asphalia, & eminentia in Concilia Generalia pugnant. pag. 361. & 366.

Adamum fuisse salvatum dogma fidei est. pag. 40. *vide &* not. ibid.

Advertentia requisita ad peccandum formaliter, quaenam debeat esse? p. 22. & seq.

Aequilibrium voluntatis sub gratia, quid sit? p. 146. c. 2. & seq.

Agapae priscis consuetae. p. 220.

Alma Redemtoris Mater *Antiphona à quonam composita?* p. 327. c. 2.

Amor initialis, an requiratur ad valorem confessionis? p. 210.

Amor purissimus omnis mixtionis expers non est necessarius ad ritè communicandum Corpori, & Sanguini Christi. Exercit. XIII.

Angeli omninò expertes corporis. p. 308. c. 2.

Quid de hac re senserint Veteres? ibid.

Quid in II. Nicaeno Concilio de hac re sit traditum? p. 307. & seq.

Angelica Salutatio *quandonam primùm recitata in communibus Ecclesiae precibus?* p. 328. & sequ.

Quando nam ante conciones? ibid.

S. Athanasius, an adhuc puer per ludum baptizaverint pueros? p. 345.

Atheus revera nullus. p. 7. ad not. 1. c.

Attritio ex metu gehennae etiam sine charitate est actus bonus, & supernaturalis. Exercit. IX.

An sine charitate sufficiat ad valorem Sacramenti poenitentiae? p. 210.

S. P. Augustinus, nunquam adseruit licitum adulterium uxoris ex consensu viri. Nec de eo dubitavit, aut per ignorantiam excusari posse crimen dixit. p. 57. & seq.

Ejus doctrina, quanti ponderis. p. 86. & 375.

Non licet eam sequi adversùs Bullas Roman. Pontificum. Exercit. XX.

S. P. Augustinus dubius circà Angelorum corporeitatem. p. 308. ad not.

Non est author trium librorum, nempe II. III. & IV. de Symbolo ad Cathecumenos. p. 323. ad not.

Neque operis Quaestionum Novi, & Veteris Testamenti. p. 324.

B

Bajus (Michaël) humiliter paret Bullae S. Pii V. p. 30. & 385.

Ejus Confessio Catholica. p. 385.

Ejus errores confutantur. Exercit. I. II. VI. VII. IX.

Baptismus omnem delet culpam. p. 247.

Collatus sine expressione Ministri conficientis invalidus. Exercit. XVII.

Datus per jocum nullus. Exerc. XVIII.

Calvinistarum baptismus validus. p. 349.

Baptismi forma ex Graecis quaenam revera sit? p. 334. & ad not.

Basnagii (Samuelis) varia commenta enervantur. p. 264. 281. ad not. & 323.

Belgarum Religio ergà S. Sedem. p. 366. & 387.

Ber-

Digitized by Google

Bernini (*Dominicus*) *interpolatum corruptumque Eusebii Caesarienſis textum laudat.* p.373.
Binghami (*Joſephi*) *errores notantur.* p.295. & 328.
Bulla Urbani VIII. in Eminenti *non eſt ſubreptitia.* Exerc.XXI.
Bullae Roman. Pontificum ſunt reverenter excipiendae. p.377. & ſeq.

C

Calvini (*Johannis*) *errores profligantur.* Exerc. I. IV. V. VII. VIII. IX. XI. XIV. XV. XVI. & XVIII.
Carteſius (*Renatus*) *an primus docuerit in nobis ideam innatam de Deo?* p.8. not. 1. c.
Charitas quotuplex ex S. Auguſtino? p.181.
Catharini (*Ambroſii*) *ſententia exponitur, & vindicatur.* p.340. & ſeq.
Chriſtus prò omnibus univerſim paſſus, & quomodo. p.80. & ſequ.
Ejus paſſionis influxus in Hebraeos, & Gentiles. Exerc.IV.
Communio Euchariſtica Seculo Apoſtolico fidelibus quotidiana. p.232. & ſeq.
An haec quotidiana communio deinceps fuerit praecepta? p.235. & ſeq.
Non eſt deneganda eis, qui non dum plenè ſatisfecerunt. Exerc.XIII.
Nec iis, quibus non ineſt amor puriſſimus. ibidem.
Concilium Eliberinum, quid decrevit circà Sacras Imagines? p.302. & ſeq.
Concilium Generale non eſt ſuprà Papam. Vid. Pontifex Romanus.
Concilium Nicaenum II. quid circà Angelorum corporeitatem decreverit? Vid. Angeli.
Quid de Imagine Dei Patris? Vid. Imago.
Confeſſiones apud Regulares validae. Exercit. XII.
Confirmationis Sacramenti forma varia apud Graecos, & Latinos. p.333.
Conſuetudo moderna abſolvendi poenitentes ante ſatisfactionem vindicatur. Exerc.X.
Cultus Sanctorum à Catholicis propugnatus non rejicitur ab aliquibus Reformatis, p.311. ad not.
S. Cyprianus non ad dogma, ſed ad diſciplinam ſpectare cenſebat rebaptizandos fore ab haereticis baptizatos. p.372.
Quare optabat Concilium Generale? ibid.
Suum errorem revocavit. p.373. & ſeq.

D

Dei exiſtentia cunctis nota. p.8. & ſeq.
Dei exiſtentiae idea nobis inſita, p.13. & ſeq.
Dei exiſtentiae ignorantia impoſſibilis. p.7. & ſeq.
Dei Patris ſimulacrum in Templo collocare fas eſt. Exercit.XV.
Dei voluntas de ſalute hominum duplex, & quae ex Catholicis? p.80. & ſeq.
Dei voluntas antecedens vera, & ſincera. p.109. & ſeq.
Dolor. Vide Attritio.
Dominicani. Vide FF. Praedicatores.

E

Eccleſiae diſciplina ſemper tenenda. p.227. & 253.
Eliberinum Concilium. Vide Concilium.
Energumenus, an poſſit Sacramenta miniſtrare? p.342. c.2.
Euchariſtia. Vid. Communio.

Fi-

Digitized by Google

F

Fides informis est virtus Theologica, & caret culpa. Exercit. VIII.
Forma Sacramentorum. Vide Baptismus, & Confirmatio.
Fratres Praedicatores semper adversi Jansenismo commento. p.85.ad not.
Eorum sententia de Gratia ab intrinseco efficaci longè diversa à Jansenii, & Quesnellii erroribus etiam ex testimonio Jesuitarum. p.124. ad not.
FF. Praedicatores variàm traducti vindicantur. p.10.& seq. 19.70.91. 123.
A' P.Viva vellicati defenduntur. p.11. 53. 123. 210. 212. & seq. 337. 339.
Eorum devotio ergà Deiparam. p. 312. & 330.

G

Gallicanus Clerus, Galliarumque Veteres Theologi, & Canonistae, quid olim senserint de aspbalia R. Pontificis ejusque superioritate in Concilia Generalia? p.361. & 366.
Gibenna, quid sit, & unde dicta? p.195. & seq.
S.Genesius, num re vera in Theatro baptizatus à Mimis? p.346.
Gotescalchus, an re vera fuerit haereticus? p.83. & ad not.
Gratiae sufficientis, & efficacis quidditas, earumque varietas ex Catholicis. p.86. & seq. p.120. & seq.
Gratia sufficiens interior, & exterior. p.87. *Utraque utilis.* Exercit.V.
Gratia sufficiens, an omnibus detur? p.89. 128. & seq. 151.
Gratia efficax, ex Pontificio decreto quaenam sit? p.124. ad not. 1.c. *Quaenam suavitas sit ei adjuncta?* p.145.
Gratia efficax Haereticorum profligatur. p.120. & seq.
Ex sententia Thomistarum vindicatur. p.123. ad not.

H

Hebraei solvebant lytrum prò masculis primogenitis, & quare? p.266.
Hebraearum puerperarum lex de purificatione expenditur. p.264. & seq.
Hebraeorum pueri, an fuerint, sicut & matres, obnoxii legi Purificationis? p.265.
Hebraeis non fuit absolutè probibitus imaginum cultus. p.305.& seq.

I

Jansenius (Cornelius Yprensis) plures docuit errores à S.Sede confixos. p.30. 47. 84. 119. 120. 136. 154. 176.
Post ejus mortem quinque in eo famosae theses fuerunt confixae. p.30.c.2.
Ignorantia quotuplex sit? p.45.& seq.
An dari possit ignorantia invincibilis de praeceptis naturalibus? p.51.& seq.
An de remotissimis praeceptis dari possit ignorantia insuperabilis? p.62.& seq.
Ignorantia verè invincibilis, nunquam imputatur ad culpam. Exercit.II.
Imago, effigiata, seu faciata, & non faciata. p.297. c.2. & seq.
Imaginum usus in Synagoga. p.297.
Sacrorum Imaginum usus in Ecclesia Christi. p.294. & seq.
Earumdem hostes. p.289.& seq.
Sacrae Imagines probatae ex Veteri Testamento. p.297.
Quid de eis dicant Reformati? p.293. & seq.

Ima-

Digitized by Google

Imago Dei, & Trinitatis etiam ab antiquis retrò seculis in Ecclesia servata. p.300.
Infideles recipiunt influxum ex Passione Christi. Exerc.IV.
Intentio quid, & quotuplex sit? p.350.
Quaenam requiratur ad valorem Sacramenti? Exerc.XVIII.
Quaenam ad licitam administrationem Sacramentorum? p.350.
Intentio, qua quis operatur bonum, & fugit malum merè, ut gloriam coelestem consequatur, recta est, & Deo placens. Exercit.VII.
S. Johannes Damascenus strenuus Sacrarum Imaginum defensor. p.290.
Prò defensione Sacrarum Imaginum dextera ei manus amputatur, sed miraculo ei à B.M.V. restituitur. ibid.
Judas Iscariotes, an communicaverit Corpori, & Sanguini Christi? p.111.ad not.
Julianus Apostata Divino miraculo sublatus è vivis. p.289. c.2.
Julianus Pelagii sectator cujusnam Ecclesiae Episcopus fuerit? p.46.ad not.

L

Libertas quotuplex sit? p.31.& seq.
Quaenam libertas requiratur ad merendum, & demerendum in statu naturae lapsae? Exercit.I.
Lovanienſis Academiae sententia prò Rom. Pontificis infallibilitate, ac eminentia in Concilia. p.366.& 387.
Lutherus (Martinus) Sacrarum Imaginum usum, & cultum admisit. p.293.& seq.
Varii ejus errores profligantur. p.30. 47. 70. 176. 179. 191. 242. 264. 338.

M

Maria Virgo laude digna ob propriàs virtutes, & praecisivè à Maternitate Verbi Divini. Exercit.XVI.
Nullimodè obnoxia legi Purificationis. Exercit.XIV.
Ejus perpetua Virginitas vindicatur. ibid.
Perperàm, & falsò à Novatoribus quibusdam procacioribus ejus vita traducitur. p.318.
Ad eam semper ab Ecclesia, & Patribus orationes directae. p.325.& seq.
Mariam speciali cultu Graeci venerantur: p.327. c.2.
Turcae itidem eam honorant: p.310.c.2.
Mariae Virginis Encomiastae. p.312. ad not. 1.c. & p.316. ad not. 1.c.
Maria verè Advocata nostra, & ità à Patribus salutata. p.331 & seq.
Molina (Ludovici) sententia de faciente, quod in se est etiam temperata pacto à se invento, rejicitur ut falsa. p.383.
Ejus dictum de S. P. Augustino ad glorificationem scientiae mediae retunditur. p.87. ad not. 1.c.
Monachi VIII. Seculo strenuè certant prò Sacris imaginibus. p.289.
Admissi ad Confessiones excipiendas, & conciones ad populum habendas. p.248.

N

Nectarii edictum circà confessionem criminum. p.216. ad not.
Nestorius Deiparae hostis. p.265.

O

Obstinatis, obduratis, & excoecatis, an aliquando denegetur gratia proximè suf-

Digitized by Google

ſufficiens? p.88. & 152.
Odium peccati ob meram ejus diſconvenientiam cum natura rationali laudabile. Exercit.VI.
Officium Corporis Chriſti. Vide S. Thomas.
Opera moraliter bona etiam extrà charitatem facta, dum pravo fine carent, & nulla mala circumſtantia vitiantur, omni culpa carent. Exercit.VI.
Originale peccatum non eſt perpetua poenitentia expiandum. Exerc.XI.

P

PApa. Vide Pontifex Romanus.
Parochianus temerè ſuſpicatur de confeſſionibus Secularium factas apud Mendicantes. Exercit. XII.
Patrum doctrina, quanti facienda, & quomodo penſanda in regulis morum? p.76.
Ad peccandum formaliter requiritur libertas perſonalis. p.31.& ſeq.
Peccatum Originale. Vide Originale pec.
Peccatum philoſophicum, quid ſit? & an poſſit ſejungi à culpa Theologica? p.5. & ſeq.
Peccata venialia, an ſemper fuerint deleta per Sacramentalem confeſſionem? p.237. & ſequ.
An impediant gratiam, ſeu effectum Euchariſticae communionis? p.260.
In magnis peccatoribus non ſemper deficit fides ex eo, quòd deficiat charitas. Exercit. VIII.
Pontifex Romanus ex cathedra definiens infallibilis eſt etiam extrà Concilium Generale. p.354. & ſeq.
Habet eminentiam, & poteſtatem ſuper Synodos Oecumenicas. p.364.& ſeq.
Utraque ejus praerogativa ex Veteribus, recentioribuſque Theologis vindicatur. Exercit. XIX.
Ejus Bullae ſuſcipiendae. Vide Bullae.
Praedeſtinatiani haereticí, an aliquando extiterint? p.81. ad not.
Probabilior opinio verè tuta in praxi, & moraliter. p.77.& ſeq.
Pueri decedentes cum ſolo Orginali, an puniantur poena ſenſus? p.42. & ad not.

R

REgulares non ſunt deturbandi à munere excipiendi confeſſiones, & concionandi. p.264.& ſeq.
Roſarium B.M.V. à B. P. Dominico inſtitutum. p.330.c.2.

S

SAcramenta per jocum, & non ſeriò peracta. Vide Intentio.
Salvatoris *nomen Chriſto competens in Novo Foedere probatum, & retinendum.* p.93. & ad not.
Salve Regina *Antiphona à quonam compoſita?* p.330.
Secundinae nullae in Deiparae partu. p.285. & ſeq.
Serach Hebraeis, quid ſit? p.267.
Soto (Petri) ſententia in materia gratiae vindicatur. p.150.& ſeq.
Stater, ſeu ſyclus Hebraeis pecunia ſacra. p.266. ad not.

T

S. Thomas Aquinas Author Officii Corporis Chriſti. p.112.ad not.
Praedamnator Janſeniſmi, & Queſnellianiſmi. p.40.69.100.136.157.168. 179.201.

Digitized by Google

Timor quotuplex sit? p.193. & seq.
Timor Gehennae est supernaturalis. Exercit. IX.
Timor Servilis quotuplex? p.205. & seq.

U

Usus rationis diversi gradus ex S. Thoma. p.50.&2.

V

Verecundia, an sit virtus? p.140.
S. Vincentius Ferrerius, primus qui Salutationem Angelicam Concioni praemisit. p.328.
Virtutes infidelium, an sint revera tales? Exercit. VI.
Quid de eis senserit S. Augustinus? p.165.
Vitia naturae lapsae, an imputentur ad culpam? p.35. & seq.

NOS

Digitized by Google

NOS FR. THOMAS RIPOLL

Sacrae Theologiae Professor, ac totius Ordinis Praedicatorum humilis Magister Generalis, & Servus.

HArum serie, nostrique authoritate officii, facultatem, quantum in Nobis est, concedimus Reverendo Admodum Patri Magistro Vicario Generali Congregationis nostrae Sanitatis Fratri Pio-Thomae Milante, ut possit typis mandare opus ab ipso compositum suprà Propositiones damnatas, dummodò ab Admodum RR. PP. Magistris Provinciae nostrae Regni Fratre Thoma-Maria Gargano, & Fratre Ludovico-Maria de Simone luce dignum judicetur, & ab ipsis approbetur. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem, &c. Datum Romae in Conventu nostro Sanctae Mariae super Minervam die 22. Martii 1737.

FR. THOMAS RIPOLL MAG. ORDINIS.

Reg. Fol. 5.

Fr. Raymundus Maffeitone Mag. & Socius.

REVERENDISSIME PATER

QUum lubenti animo lustraverim, Te jubente, ceteras lucubrationes P. M. F. Pii-Thomae Milante Ex-Vicarii Generalis Congregationis S. Mariae Sanitatis S. Theologiae, cùm in Ordine, tum in Regia Neapolitana Facultate, Magistri, Regii itidem Theologi, & Primarii Professoris in Cathedra Vespertina S. Thomae Aquinatis; quanta fuerim in praesentiarum suavitate repletus, quantave laetitia cumulatus, dum attento oculo legi, quas typis edere contendit: *Exercitationes Dogmatico-Morales in Propositiones proscriptas à SS. Pontifice Alexandro VIII.* vix possum effari, Cl. porrò Author tanta argumentorum soliditate, novaque expolita methodo, errores evertit, tanta eruditionum copia veritatem firmat, expendit, illustrat, ut omne tulisse punctum meritò videatur: quod praecipuè, vel ex eo mirari subit, quia modestiam eruditioni, & criterium pietati miro foedere sociavit, hinc lectorem docendo movet. Ut ergò quantocitùs publici juris fiant laudatae Exercitationes, & in vindiciam Thomisticae Scholae;

Digitized by Google

& in Ecclesiae munimem, & in confixionem laxitatis elaboratae; tenéo, & exopto. Dabam è Regali Conventu S. Dominici Majoris pridie Kalendas Martias Anno partae salutis XL. supra MDCC.

P. V. Reverendissimae

Humillimus, & addictissimus Cliens
F. Thomas Gargano S. Th. Magister Ex-Provincialis.

REVERENDISSIME PATER

TErtius Tomus *Exercitationum Dogmatico-Moralium* P. M. F. Pii-Thomae Milante Ex-Vicarii Generalis Congregationis S. Mariae Sanitatis, Primarii Regii Theologi, & Professoris in Cathedra S. Thomae Aquinatis, &c. quo confixae ab SS. Pontifice ALEXANDRO VIII. theses profligantur, à me non peregrinante oculo lectus, nil aut contrà fidem, aut adversùs bonos mores, sanamve Theologiam continet; quinimò omnia adamussim lapidem lydium veritatis. Cl. profectò Author susceptam ab initio non ignobilem spartam glorioso fine complevit; & comto doctoque stylo Baii Jansenii Quesnellii ceterorumque cùm Veterum tum Recentiorum confixos errores evertit, laxonum commenta defricavit; debellatisque hostibus veritatis, ut S. Petri Cathedra avito fruereur decore, ut Thomistica doctrina sarta tecta custodiretur, Catholica fides propugnaretur, & Christiana Ethica servaretur immunis, omnes intendit nervos, omnemque movit lapidem. Ut ergò opus hoc aeterno Coelo dignum ad fidei decorem, & Ordinis gloriam Typis mandetur exopto, & rogo. E' Conventu SS. Rosarii de Palatio XII. Martii Anni MDCCXL.

P. V. Reverendissimae

Addictissimus, Obsequentissimus Famulus, & Subditus
F. Ludovicus de Simone S. Th. M.

EMI-

Digitized by Google

EMINENTISSIMO SIGNORE

GEnnaro, e Vincenzo Muzio, publici Patroni di Stampa in queſta Fedeliſſima Città di Napoli, ſupplicando eſpongono all'Em.V. come deſiderano dare alle ſtampe un Libro intitolato *Exercitationes Dogmatico-Morales in Propoſitiones proſcriptas à SS.PP. Alexandro VIII. Ambore P.M. F.Pio-Thomae Milante Ordinis Praedicatorum*. Per tanto ſupplicano l'Em.V. a concederli il Reviſore, e l'averanno ut Deus, &c.

*Dominus Canonicus D.Julius Nicolaus Torno revideat, & referat. Neap.*10.*Aug.*1739.

C. EPISC. ANTINOP. VIC. GEN.

D. P. M. Gyptius Can. Dep.

EMINENTISSIME DOMINE

TUa juſſa capeſſens legi librum cui titulus *Exercitationes Dogmatico-Morales in Propoſitiones proſcriptas à felic. record. D. Alexander PP. VIII.* Auctore P.Magiſtro F.Pio-Thoma Milante O.P., qui eſt tertius Tomus. In eo tantum abeſt, ut quidpiam à Catholicae Fidei, aut Ethicae Chriſtianae regulis, vel latum unguem devium deprehenderim, quin potius Sacrae Doctrinae dogmata acri ingenio, ac tota nervorum contentione propugnata animadverterim. In prioribus Tomis, & morum doctrinae, & omnigenae eruditionis peritiſſimum ſe oſtendit Cl. Auctor: in hoc poſtremo Divinae Sapientiae penitiora adyta penetraſſe praeſeruli: Tanta argumetorum vi ex omni loco petitorum, & S.Sedis Apoſtolicae ſcita vindicat, & Novatorum molimina labefactat. Paucis me expediam: Univerſum opus ad umbilicum deductum; in quo nihil deſideres, vel quod mentem erudiat, vel quod animum in Orthodoxa Fide confirmet. E re Chriſtiana igitur fore exiſtimo, quod in lucem, Te annuente, prodatur. Datum Neap. XI. Calendas Martias Aerae Chriſtianae CIↃIↃCCXXXX.

Em. Tuae

Devinctiſſimus Cliens
Canonicus Julius Nicolaus Tornus.

*Attenta ſupradicta relatione, imprimatur. Neap.*23. *Martii* 1740.

C. EPISC. ANTINOP. VIC. GEN.

D. P. M. Gyptius Can. Dep.
S.R.M.

Digitized by Google

S. R. M.

GEnnaro, e Vincenzo Muzio, publici Padroni di stampa in questa Fedelissima Città di Napoli, supplicando espongono alla M. V., come desiderano dare alle stampe un Libro intitolato *Exercitationes Dogmatico-Morales in Propositiones proscriptas à SS.PP. Alexandro VII. Innocentio XI. & Alexandro VIII.* composto dal P.M. F.Pio-Tomaso Milante Regio Professore, e Vicario Generale della Congregazione della Sanità dell'Ordine de' Predicatori. Per tanto supplicano la M.V. a concederli il Revisore, e l'averanno ut Deus, &c.

Dominus Canonicus D.Alexius Symmachus Mazochi in hac Regia Studiorum Universitate S.Scripturae Interpres revideat, & in scriptis referat, Die 3. Februarii 1738.

Nicolaus de Rosa Episcop. Puteolan. Cap. Major.

EXercitationes *Dogmatico-Morales in propositiones ab Alex.VIII. proscriptas* ab eruditissimo Theologo S.Th.M.,Regio Professore F.Pio Thoma Milante perscriptae, non modo nihil admodum complectuntur, in quo singulare ergà Regis Invictissimi Majestatem, & Principalia jura studium, fidem, ac religionem quisquam desideret; verum etiam optimae frugis doctrinam, e suis Scripturarum ac Traditionis fontibus haustam, solideque ac luculenter adversam opponunt pravitatis Doctoribus illam à fundamentis suffodientibus: quarum editionem rei juxtà Christianae ac Publicae bene cessuram, auguror. Ità censeo. Datum Neap. XI. Kal. Martias An. 1740.

Ego Canonicus Alexius Symmachus Mazochius Regius Sac. Script. Interpres.

Die

Digitized by Google

Die 3. Martii 1740. Neapoli.

Viso rescripto S. R. M. sub die 22. Februarii currentis anni, ac approbatione ordine Majestatis Suae de commissione Reverendi Regii Cappellani Majoris per Reveren. Canonicum Alexium Symmachum Mazochium revisorem.

Regalis Camera Sanctae Clarae providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inserta forma praesentis supplicis libelli, & approbationis dicti revisoris; & in publicatione servetur Regia Pragm. hoc suum, &c.

MAGIOCCO. DANZA.

Illustris Marchio de Ipolito Praesidens S. R. C. & ceteri aularum Praefecti non interfuerunt.

Athanasius.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA DE MONTSERRAT
13020100002951

BIBLIOTECA
DE
MONTSERRAT

Armari LXIX B

Prestatge 40

Número 6

Digitized by Google

Digitized by Google